

# Université Lumière – Lyon 2

Faculté de Géographie, Histoire, Histoire de l'art et Tourisme -  
Centre interuniversitaire d'histoire et d'archéologie médiévales  
(UMR 5648)

Ecole doctorale « Sciences humaines et sociales »

*Les sermons de Guillaume de Sauqueville :  
l'activité d'un prédicateur dominicain à la fin du  
règne de Philippe le Bel*

*Tome III : sermones de sanctis*

Thèse pour l'obtention du grade de docteur de l'université Lyon 2  
présentée et soutenue publiquement par **Christine BOYER**

le 12 février 2007

Directrice de thèse : Mme Nicole Bériou

Devant un jury composé de Mme Elizabeth Brown, et de Messieurs Jacques Berlioz, Jacques  
Verger, Franco Morenzoni.

## SERMON 35

Saint André.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 95ra-95va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 64ra-va.

F. 95ra : Incipiunt sermones fratris Guillelmi de Saccouilla de sanctis<sup>1</sup>.

*Preibis ante faciem Domini parare uias eius*, Luce. I (76).

Quia instat aduentus Domini quem precedit festum beati Andree apostoli, ideo [de] beato Andree potest dici quod dictum est precursori aduentus Domini. *Preibis* etc. Sicut natura prouidet congregationi gruum que instinctu nature proficiunt sibi unam quasi aliarum ducem et reginam et ipsa precedit alias uoce et uolatu, sic actor nature preuidit congregationi fidelium proficiendo eis duces et rectores, apostolos scilicet et successores eorum prelatos, Luce. III (10, 1) : *misit eos binos ante faciem suam* etc. De numero apostolorum quem Dominus sic premisit, unus et de primis fuit Andreas apostolus. Ideo sibi competit uerbum preassumptum. *Preibis* etc. ubi comendantur a tribus. Fuit enim celerior in Domini missione, *preibis* ; securior in populi directione, *parare uias eius* ; superior uel subtilior in Dei contemplatione, *ante faciem Domini*. Facies enim est superior pars corporis et pulcior ad uidendum.

De primo nota quod ipse fuit primus uel de primis quos Dominus uocauit ad statum apostolatus ; apostoli autem in latino sermone dicuntur missi, ideo celerior in Domini passione, ut dicatur de eo quod dictum est de alio discipulo : *currebant duo simul set ille alius discipulus precucurrit citius Petro*, Io. X (20, 4). Ipse et Petrus simul currebant, quia simul fuerunt a Domino uocati : *ambulans Ihesus iuxta mare Galilee uidit |95rb| duos fratres* etc. (Matth. 4, 10) ; simul quia in unitatem fidei congregati, simul quia simili genere martirii coronati, set alius discipulus precucurrit citius Petro, quia beatus Andreas citius uenit ad martirium sicut credo. Ipse est igitur alter Eleazarus qui *gloriosam mortem magis quam odibilem uitam complectens uoluntarie peribat ad supplicium*, II Mach. (6, 19). Eleazarus interpretatur Deus meus adiuuans<sup>2</sup> festinanter et sic habemus primum quod fuit celerior in Domini missione.

Secundo fuit securior in aliorum directione, *parare uias eius*. Quando uie sunt cooperte niuibus, ille qui primo uadit, faciendo passus in niue, ostendit et parat uiam aliis et praebet eis securitatem eundi. Per niuem que resoluitur ad calorem solis, intelligitur caro nostra quam resoluitur ad calorem modice febris. Passus factus in niue est passio que sustinetur in carne, licet autem in uia Dei fuerint<sup>3</sup> multi passus et diuersi, quia per uaria genera tormentorum uenerunt diuersi martires ad Deum, in uia Dei alius sic, alius sic ibat, tamen proprius passus uie Domini fuit passio beati Andree

<sup>1</sup> incipiunt – sanctis om. B.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

<sup>3</sup> fuerint] fuerunt P.

quia sicut Dominus, ita iste passus est in cruce, Sap. XVIII (11) : *simili pena seruus cum Domino afflictus est et popularis homo similia regi passus*. Sicut ergo ille qui facit passus in niue ostendit uiam aliis, sic ille patiens in cruce docebat populos uiam sue salutis. « Biduo enim uiuens etc. » usque ibi : « et docebat populum<sup>1</sup> ». Ipse est alter Moyses assumptus ex aquis, ad litteram |95va| de mari uocatus, cui dictum est in Ex. (18, 20) : *ostendas populo uiam per quam ingredi debeant, ecce secundum in populi directione*.

Tertio superior in Dei contemplatione quia *ante faciem Domini*. Ad litteram ipse adhuc uiuens corpore, ante faciem Domini presens erat, unde dicebat<sup>2</sup> : « Regem meum iam uideo ». Ipse est alter Iacob qui post longam luctam dictus est Israel, id est uidens Deum. Ille Iacob dicebat, Gen. XXXII (46, 30) : *iam letus moriar quia uidi faciem tuam*, et in Ex. XLVI (Gen. 32, 30) : *uidi Dominum facie ad faciem et salua facta est anima mea etc.*

---

<sup>1</sup> CAO, 3, 1739 (antiphon, s. André, in tertio nocturno).

<sup>2</sup> CAO, 3, 1739 (antiphon, s. André, in tertio nocturno).

### SERMON 36

Saint André.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 95va-96vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 6va-7va ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 183v.

Plan :

Thème – La course du cheval.

Division (Eze. 1, 14) : comment maintenir la bonne direction.

I – Aller droit devant soi.

F. 95va : *Ambulauit pes meus iter rectum*, Ecc. (51, 20).

[Thème] Hec est differentia inter equum ambulans etc. ut habes in sermone<sup>1</sup> *Ambulate in dilectione* (Eph. 5, 2). Tunc applica. Hoc ideo dixi quia Scriptura comparat uiam iusti ambulare equi, unde<sup>2</sup> in Ysa. (26, 7) : *semita iusti rectus callis ad ambulandum*, uiam uel uitam peccatoris comparat cursui equi (Prou. 1, 15) : *fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum*. Pedes enim eorum ad malum currunt (Prou. 1, 15) : *prohibe pedem tuum etc.* Met toun pee<sup>3</sup> hors de l'eure. Recte<sup>4</sup>, que est differentia inter ambulationem equi et cursum equi<sup>5</sup>, talis est inter uiam iustitie et uiam peccati. Quid est uiuere iuste ? Preponere pedem dextrum, scilicet amorem Dei, et postponere sinistrum, scilicet amorem mundi. Tunc omnia deducas sicut in sermone predicto, et applica finaliter quod sic fuit edoctus ambulare beatus Andreas. Nam cum Ihesus « ambulans secus mare Galilee uideret Petrum et Andream mittentes rethe in mare [95vb], statim ligauit eos quodam uinculo, obligauit eos quodam precepto : uenite, inquit, post me etc.<sup>6</sup> » Venite, inquit, uero tam pedibus corporis quam affectu mentis. Illi hoc uinculo obligati statim ambulare ceperunt, preponentes pedem dextrum amorem Dei et postponentes pedem sinistrum amorem mundi. Omnia enim reliquerunt statim post Christum sequendum. *Relictis omnibus secuti sunt eum* (Luc. 5, 11). *Vestigia eius secutus est pes meus* (Iob 23, 11).

[Division] Si ergo recta semita iusti comparatur ambulare equi et equum ambulare est ipsum preponere pedem dextrum et postponere sinistrum, beatus Andreas bene potuit dicere uerbum propositum : *ambulauit pes meus iter rectum*. Moun pe est alé l'amblore que jeo ay tenu la voye de droiture. Ubi commendatur a tribus. Primo quia fuit illaqueatus amore, hoc pertinet ad affectum.

---

<sup>1</sup> Sermon 16.

<sup>2</sup> unde *om. B.*

<sup>3</sup> toun pee] ton pe *B.*

<sup>4</sup> recte *om. B.*

<sup>5</sup> equi *om. B.*

<sup>6</sup> CAO, 4, 6554 (répons, s. André) d'après Mt. 4, 18-19.

« Pes meus amor meus<sup>1</sup> ». Secundo quia uilitatus in labore quo tenderet ad perfectum, *ambulauit*. Tertio preseruatus ab errore ne caderet in defectum, *iter rectum*. Propter omnia simul nota quod auriga uolens excitare ad motum aratrum boues ut terram araret et laboret : dic ut [in] sermone predicto et exponas figuram de animalibus in Eze. (1, 14) ubi dicas quod *animalia illa ibant droytement sanz clocher quia pedes eorum recti*, seurement sanz peril de forvoyer quia *unumcumque coram facie sua ambulabat*, continuerunt se sanz retorner, *non reuertebantur cum ambularent* (Ez. 1, 12).

[I] De primo nota quod non omnes claudi claudicant [96ra] de eodem latere. Talis enim claudicat de pede dextro qui non claudicat de sinistro et e contrario, et talis est qui claudicat utroque pede. Ille qui claudicat de pede dextro cadit uersus latus dextrum, qui sinistro uersus sinistrum, qui utroque inclinatur uersus latus utrumque. *Inclinauit ex hoc in hoc* (Ps. 74, 9). Hoc ideo dixi quia Ps. (17, 46) uocat peccatores claudos : *filii alieni inueterati sunt et claudicauerunt*. Ratio est quia a principio Deus fecerat hominem rectum, creando eum cum originali iustitia. *Fecit Deus hominem rectum* (Eccle. 7, 30) set statim, cum cecidit in peccatum, cadendo effectus est claudus perdens originalis iustitie donum. Figuram habemus ad hoc II Reg. III (4) in Miphiboseth qui cecidit et claudus effectus est. Miphiboseth natus fuerat rectus set cum portaretur a nutrice, cadens factus est claudus. Miphiboseth interpretatur os confusionis<sup>2</sup> et significat primum hominem qui propter os et goulam<sup>3</sup> suam confudit totum genus humanum. Ille non fuit natus claudus quia in iustitia originali creatus, set postea cadens in peccatum factus est claudus. Peccatum ergo hominem naturaliter rectum facit esse claudum, set inter alia peccatum superbie principaliter. Sic est enim de superbo sicut est de claudo : claudus uult omnes precedere et superbus omnibus preesse. Modo non omnes claudi, non omnes superbi claudicant eodem pede. Per latus dextrum in Scriptura intelligimus statum prosperitatis, per sinistrum statum aduersitatis. Diuites ergo, quo pede claudicant ? Certe pede dextro, quia quando uident se honoratos [96rb] et exaltatos, cadunt in peccatum superbie et elationis. Hoc pede nolebat claudicare propheta Dauid qui dicebat (Ps. 35, 11) : *pretende iustitiam tuam hiis qui recto sunt corde. Non ueniat mihi pes superbie*. Pauperes quo pede claudicant ? Certe sinistro. Quando enim uident se in aduersitate, cadunt in peccatum impatientie. Impatientia autem nascitur ex superbia. Et sunt aliqui qui claudicant pede dextro, qui cadunt in peccatum in statu prosperitatis : qui non claudicant pede sinistro multi sunt in statu aduersitatis. Similiter e contrario. Aliqui autem in neutro statu sunt recti. Vis ergo rectus esse et nullo pede uel latere claudicare ? Non declines ad dextram neque ad sinistram, sis humilis in prosperitate et patiens in aduersitate. Prou. III (26-27) : *dirige semitam pedibus tuis et omnes uie tue stabiliuntur, ne declines ad dexteram neque ad sinistram*. Sic fecit ille sanctus Iob qui fuit *uir simplex et rectus* (Iob 1, 1) etc. Utinam quicumque post multa

<sup>1</sup> Cf. *Manipulus florum*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, XIII, 9 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 108.

<sup>3</sup> goulam] gulam B.

prospera sustineret aliqua aduersa, haberet oculum ad illum Iob. Ipsemet testatur quod Dominus uoluit probare an ipse claudicaret aliquo pede. *Obseruasti*, inquit, *omnes semitas meas et uestigia pedum meorum considerasti* (Iob 13, 27). Primo probauit an claudicaret a dextris, dans ei multa prospera. Fuit enim *magnus inter omnes Orientales et erunt ei uii filii* etc. (Iob 1, 3). Multa dicuntur ibi. Postea probauit an claudicaret a sinistris, mittens ei infinita aduersa, set ipse neutro pede claudicauit. Fuit enim |96va| *humilis in prosperis et patiens in aduersis. Si*, inquit, *ambulauit in uanitate et festinauit in dolo pes meus, appendat me in statera iusta* (Iob 31, 5-6). Statera cognoscitur esse iusta ex hoc quod lingua statere manet immobilis et recta, non declinans ad dextram neque ad sinistram ; quando ad alteram partem se inclinatur, signum est quod statera non est iusta. Sic quod persona sit iusta perpendi patet in lingua. *Loquela tua manifestum te facit* (Matth. 26, 73). Sic patuit iustitia sancti Iob qui nec in prosperis habuit uerba iactantiae et presumptionis, nec in aduersis uerba impatientiae seu desperationis. *In omnibus hiis non peccauit Iob labiis suis* nec stultum aliquid contra Deum locutus est, in Iob (2, 10). Dilata sicut uis, et potes iterum dicere propter statera quomodo uides qui habent alios rectificare minus quam alii deberent claudicare. Set sic est de lingua iudicium hodie sicut de lingua statere qui semper flectitur uersus partem fortiolem uel ponderosiolem uel magis repletam etc., sicut scis. Tunc applica ad beatum Andream, qui quandoque claudicauit pede sinistro non dextro, sequens Christum in prosperis, recedens ab eo in periculo mortis ; idem<sup>1</sup> de ceteris apostolis. Set postea spiritu recto innouato in uisceribus suis, nec in prosperis nec in aduersis a recta confessione fidei declinauit. Ergo exemplo eius iuxta consilium Apostoli ad Heb. (12, 13) : *gressus rectos facite pedibus uestris ut non claudicans quis erret*.

[II et III] De duobus aliis dicas ut in sermone predicto<sup>2</sup> *Ambulate in dilectione*. Facias, si uis, prothema in isto ser|96vb|mone *Da sermonem rectum et bene sonantem in os meum*, in Hest.<sup>3</sup>, ubi dicas quod psalterium, quantumcumque sit bonum et bene concordatum et penna cum hoc bene scissa, numquam reddit delectabilem sonum et melodiosum nisi penna uel calamus ducatur manu boni artificis qui nouerit artem psalterizandi. Calamus non facit principaliter delectabilem sonum, set artifex qui cum calamo tangit ordinate cordas uel psalterium. Hoc ideo dixi quia lingua peccatoris comparatur calamo. Ps. (44, 2) : *lingua mea calamus*. Sicut enim calamo causat artifex sonum, sic cum lingua formatur uerbum. Artifex qui habet hunc calamum regere Dominus est. *Hominis enim est animum preparare set Domini est gubernare linguam*, Prou. XVI (1). Ideo sicut nec psalterium bene concordatum nec calamus bene formatus faciunt uel reddunt delectabilem sonum sine artifice mouente, sic nec lingua peccatoris sine Deo per gratiam cooperante. « In uanum enim<sup>4</sup> laborat lingua

<sup>1</sup> idem] item B.

<sup>2</sup> Sermon 16.

<sup>3</sup> CAO 3, 1880 et 4, 6319 (De Esther, antienne et répons).

<sup>4</sup> enim om. B.

predicatoris<sup>1</sup> etc. » Propter hoc petebat Hester regina a Domino dicens : « Da sermonem » etc.  
Gallice : donne a ma bouche, a moun psalterioun, droyte parole et melodieus soun<sup>2</sup>. Applica etc.

---

<sup>1</sup> Cf. *Manipulus florum*, Predicatio AE (Gregorius homelia XXX super evangelia).

<sup>2</sup> CAO 6319 : Conforta me, Rex sanctorum principatum tenens, Et da sermonem rectum et bene sonantem in os meum (répons).

### SERMON 37

Saint Nicolas.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 96vb-98rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 12ra-13rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 183v-184r.

Edition par Hildegard Cöster dans sa thèse en 1935 : CÖSTER (H.), *Der Königskult in Frankreich um 1300 im Spiegel von Dominikanerpredigten*, thèse dactyl., Francfort, 1935-1936.

Plan:

Thème – Le roi de France a le pouvoir de soigner certaines maladies. Le royaume de France n'est pas soumis à l'Empire.

Division – Dieu a le pouvoir de laver le péché. On peut l'implorer:

I – pour la noblesse de sa famille.

F. 96vb : *Osanna filio Dauid*, Mt. XXI (9).

Quilibet heres Francie, ex quo inunctus et coronatus, habet specialem gratiam et uirtutem a Deo quod tactu manus sue curat infirmos, propter quod habentes infirmitatem regiam ueniunt ad regem de multis locis et terris diuersis. Ideo mihi uidetur quod heres Francie, ex quo [97ra] coronatus et inunctus [est], potest proprie dici filius Dauid, quia Dauid interpretatur manu fortis<sup>1</sup>. Ille ergo est filius Dauid, cuius manus uirtuosa et fortis est in curandis infirmis. Sic legimus de Christo quod infirmi curari querentes uocabant eum filium Dauid : *miserere mei, domine fili Dauid* (Matth. 15, 22). Quare hoc ? Quia manus eius fortis erat. Singulis enim manus imponens curabat eos. Repeto ergo hoc quod dixi, scilicet quod uerus heres Francie, ex quo inunctus et coronatus est, quia manum habet uirtuosam in curandis infirmis, dici potest filius Dauid. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei* (Ps. 88, 21-22). Hoc ideo dixi quia Francia denominatur de franchise, hoc ideo quia heredes Francie non subiciuntur imperio, *liberi sunt filii*, Math. XVII (25). Est ista libertas non subesse imperio. Certe ita ualde magna loquendo de imperio sicut ego intelligo : non intendo loqui de imperio imperatoris, set loquor de l'empire a l'empireneur, l'empireneur<sup>2</sup> qui<sup>3</sup> touz empire et qui touz jours empire, dyabolus est cuius dominio subsunt omnes mali, quia *ipse est rex super omnes filios superbie*, Iob (41, 25). Illi proprie sunt de l'empire qui uadunt enpiraunt. Velit Deus quod heredes Francie numquam intrent en l'empire, quod non uadant de cetero peiorando set meliorando, alioquin *fili regni eicientur in tenebras exteriores*, Mat. VIII (12). Quod illa sit magna libertas esse extra l'empire, extra peccatum peiorandi dicit expresse Ieronimus<sup>4</sup> : « Sola, inquit, apud

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 103.

<sup>2</sup> l'empireneur] l'empire gallice est peiorator latine add. *P in marg. inf. a.m.*

<sup>3</sup> qui] que *B.*

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Nobilitas A (Hieronymus in epistula ad Celanciam) ; Hieronymus, *Epistulae*, 148, 21 (I. Hilberg, CSEL 56, 1996, p. 347).



Deum libertas est non seruire peccatis [97rb]. Summa apud Deum nobilitas est clarum esse uirtutibus. » Set dices : Domine, ego sum en l’empire, uiuo in peccato, docete me moy mettre en franchise. Ecce persona conditionis libere, utpote sacerdos uel religiosus, qui ratione sui non subest iustitie seculari. Quando habitat locum uel terram non amortizatum, ratione loci subest in aliquo seruituti. Set quando talis habitat locum amortizatum, tunc totaliter liber est a subiectione iustitie secularis, extra omnem seruitutem est. Persona libere conditionis est anima habens in se libertatem arbitrii. Unde hoc quod anima de se libera totiens incurrit in seruitutem peccati ? Certe ratione loci in quo moratur. Locus uel terra in quo moratur anima est corpus terrenum, quod inhabitat pour scilicet le seruage de ceste tere, ut seruiatur corpori et impleantur desideria carnis. Anima misera frequenter seruitutem incurrit : *carne seruiio legi peccati*, Rom. VII (25). Ideo Apostolus consulit cuilibet qui se uult franchir et ponere extra l’empire, quod nitatur terram suam amortizare, id est corpus per abstinentiam et opera penitentie mortificare. *Mortificate membra uestra que sunt super terram* (Col. 3, 5). Sequitur quod *uenit ira Dei in filios diffidentie*, Colo. III (Ephes. 5, 6). *Mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu* (I Pe. 3, 18). Non est aliud remedium nisi illud. *Si enim spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis*, Ro. VIII (13). Audeo dicere quod quanto terra est minus amortizata, caro melius nutrita, tanto anima est peior et est magis en l’empire. [97va] Propter hoc iste gloriosus confessor beatus Nicholaus<sup>1</sup> ab infantia sua cepit terram suam amortizare. Nondum enim duos annos compleuerat quando incepit primo ieiunare et tantum semel feria IV<sup>a</sup> et VI<sup>a</sup> mamillas suggere et sic terram suam amortizando posuit se extra l’empire, unde possum bene dicere de eo quod fuit de regno, non de imperio. *Non est ancille filius set libere* (Gal. 4, 30). Plus dico quod non solum ipse est de regno Francie, immo est uerus heres et inunctus et coronatus in regno Francie. Probatio : dixi quod heres Francie inunctus et coronatus habet manum uirtuosam in curando infirmos. Spiritualiter autem loquendo : nullum regnum est Francie seu liberum nisi regnum celorum. *Illa que sursum est Ierusalem libera est* (Gal. 4, 26). Totus mundus sedet en l’empire, cotidie mundus efficitur peior. Modo inter illos, qui iam uenerunt ad regnum inter sanctos iam inunctos et coronatos in celis, ille uel unus de illis qui habet manum uirtuosiore in miracula faciendo et infirmos curando est beatus Nicholaus. Innumera<sup>2</sup> sunt miracula eius. « Innumeris decorasti miraculis », dicitur in collecta<sup>3</sup>.

[Division] Hoc ergo est signum et argumentum euidens quod ipse est uerus heres regni Francie, inunctus et coronatus in celis, quia de tumulo eius sacrum resudat oleum quo sanantur omnes infirmi, quo liniti sanantur ceci, surdis auditus redditur et debilis quisque sospes regreditur. Ideo sicut ad heredem Francie inunctum et [97vb] coronatum tamquam ad filium Daud habentem uirtuosam manum confluunt infirmi morbum regis habentes, sic ad beatum Nicholaum currere debent omnes languentes precipue languore uel infirmitate peccati. Hec est infirmitas regis, id est de qua solus rex

<sup>1</sup> *Lectionnaire dominicain*, in festo b. Nicolai, lectio prima, p. 141.

<sup>2</sup> innumera] innumerabilia exp. B.

<sup>3</sup> *Corpus orationum* II D, oratio 1463 (SL 160A, 1993, p. 263).

celorum curare potest. Nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus. Debent, inquam, currere ad eum pro sanitate habenda et dicere : *Osanna filio David*. Osanna, id est obsecro salua, ubi tria nominantur. Primo : la grant nobleté de soun tres haut parage, quia filius regis est filius ; sa grant prouesté et soun biau vasselage, *David* manu fortis<sup>1</sup>. Cil qui sount en deserte ount bon avantage, non oportet nisi quod clament : Osanna, obsecro salua, nam qui corde possit illud [clamare], propulsato uitio sospes regreditur.

[I] Circa primum nota quod filiorum eiusdem matris unus non potest gloriari super alium de nobilitate quantum est ex parte matris, quia ex illo latere pares sunt et fratres. Unde si unus gloriatur de nobilitate super alium, oportet quod gloria ueniat ex parte patris. Ex parte enim patris unus bene est nobilior alio in tantum quod unus est bastardus, alius de legitimo choro, unus filius serui uel rustici, alius filius nobilissimi uiri et de trehaut parage. Hoc ideo dico quod nos omnes boni et mali, diuites et pauperes, principes et subditi sumus filii eiusdem matris : mater de cuius utero omnes exiimus, in [98ra] cuius gremio omnes nutriimur terra est. Ecc. XL (1) : *occupatio magna* etc. Dicas sicut habes in sermone<sup>2</sup> *Quicumque spiritu Dei aguntur* (Rom. 8, 14), et dicas ut ibidem, quomodo, licet simus<sup>3</sup> fratres, tamen scutelle non sunt sorores etc. Concludas finaliter. Et<sup>4</sup> ideo non gloriatur beatus Nicolaus nec de hoc commendatur, id est de nobilitate parentele carnalis, quia illa prouenit ex parte matris terre, scilicet a quo caro originem trahit, set de nobilitate ex parte patris. Gloriatur enim patrem se habere Deum, filium Dei se nominat. De hoc expone illud Ps. (71, 2) : *Deus iudicium tuum regi da et iustitiam tuam filio regis*. Ubi aduertendum quod psalmus optime copulat iudicium et iustitiam simul. Iterum optime copulat regi et filio regis ; primum pro tanto, quia lathomus uolens bene scindere lapides et facere murum rectum, oportet quod habeat duplex instrumentum, scilicet regulam et martellum. De hoc quere in sermone *Habundat ministerium iustitie* (II Cor. 3, 9). Deducas diffuse aliam copulam, scilicet regi et filio regis. Ideo fecit quia aliter et alia intentione reparat domum ruinosam lathomus mercenarius, aliter heres uel filius. De hoc habes in sermone<sup>5</sup> *Saluatorem expectamus* et in sermone<sup>6</sup> *Tu et filii tui*. Deducas figuram et totum, finaliter adde quod qui uult aliquam domum sustinere, oportet non solum quod ruinas reparat, uerum etiam quod residuas partes ne deficient sustentet. Sic princeps uel prelatus non solum tenetur reparare ruinas [98rb] et defectus et peccata corrigendo, uerum etiam tenetur sustentare parietes pauperes deficiendo pascendo sicut faciebat beatus Nicolaus, ut patet<sup>7</sup> in tribus puellis quas maritauit, in frumento quod a nautis postulauit etc. Item nota quod ubi parietes deficient, necesse est domum cadere. Parietes autem sustentantes regnum duo sunt. Unus sustentat spiritualiter apud Deum per suffragia orationum,

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 103.

<sup>2</sup> Sermon 63 bis.

<sup>3</sup> simus] sumus P, B.

<sup>4</sup> et] quod B.

<sup>5</sup> Sermon 29.

<sup>6</sup> Sermon 99.

<sup>7</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Nicolaus, p. 39-41.

parietes<sup>1</sup> illi sunt pauperes religiosi uiri. Audeo dicere quod non est regnum aliquod, quantumcumque firmatum, quod possit diu durare nisi sustentetur primo pariete. *Nisi Dominus edificauerit domum* etc. (Ps. 126, 1). Alter paries sustentat temporaliter, isti parietes sum mercatores, cultorum agrorum operarii, populus minutus. Si ergo aliquis consuleret regi quod permetteret parietes illos defficare, subtrahendo eleemosinas pauperibus consuetas, retinendam pecuniam debitam mercatoribus et minutis hominibus non soluendo debita, talis consuleret sibi quod permetteret cadere domum suam : consuleret sibi destructionem regni sui. Non dubito, quando duo parietes tibi deficient, [quod] regnum corruet, quod per Dei gratiam numquam erit, quia *regnum eius quod non corrumpetur* (Dan. 7, 14). Tunc facias finem quomodo beatus Nicholaus non fuit lathomus conductus, set filius et successor hereditarius. *Si filius et heres per Deum* (Gal. 4, 7), heres quidem regni celorum, ad quod nos perducatur.

---

<sup>1</sup> parietes] pauperes B.

### SERMON 38

Conception de la Vierge.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 98rb-101va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 66ra-68vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 178v-179r.

Plan :

Thème – Le roi de France peut saisir les biens d'une personne. Modalités de la saisie.

- a. comparaison avec la mort
- b. pénitence et miséricorde
- c. cas de la saisie générale

Division

I – Le jour du Jugement sera annoncé par le sceau royal. On ne croit pas ceux qui annoncent la parole de Dieu, pour deux raisons.

II – L'étendard montrera la tristesse.

III – La lumière montrera la fureur.

F. 98rb : *Erunt signa in sole et luna* in Luc. (21, 25).

[Thème] Quando res et bona alicuius arrestantur in manu regia, ostia domus uel camere [98va] in qua res ille tenentur incluse solent aliquo signo regio sigillari. Apposito signo regio et arresto durante, ille non potest se de rebus propriis iuuare. Modo quid faciunt homines cautelosi timentes ne persone sue uel bona sua arrestentur in manu regia ? Primo quidem si de bonis timent, non exspectant arrestum regis set festinant ponere bona sua extra domum suam et recludere ea penes aliquem notum suum ; illa que penes alium recluduntur a rege non arrestantur. Secundo si de personis timent, etiam arrestum regium non exspectant set, quatinus possunt, fugiunt ad aliquem locum exemptum in quo rex non exercet iustitiam nec apponit merum imperium<sup>1</sup>. Hoc ideo dixi quia loquendo spiritualiter et realiter manus regia est proprie manus Dei. Ps. (85, 10) : *quoniam magnus etc. quia in manu eius etc.* Nullus nostrum potest effugere quin finaliter tam ipse quam bona sua arrestentur in manu regia, sancto Iob dicente (10, 7) : *cum sit nemo qui de manu tua etc.* Mihi autem uidetur quod Dei iudicium, scilicet particulare quod erit in morte cuiuslibet nostrum et uniuersale de quo loquitur euangelium hodiernum, utrumque, inquam, iudicium est sicut quoddam arrestum regium. Declaro primo de particulari, postea de generali.

[a] Primo quidem in morte cuiuslibet nostrum tam res sue quam persona sua arrestantur in manu regia. Persona enim arrestatur et detinetur in carcere regio, inferno uel purgatorio. Ecc. (Act. 13, 11) : *ecce nunc manus Domini super te et eris* [98vb] *cecus et non uidens solem usque*

---

<sup>1</sup> merum imperium] meum B.

*ad tempus*. Usque ad tempus dixi pro illo de purgatorio quia illi de inferno deputati sunt carceri perpetuo. Iterum in morte arrestantur res nostre : de omnibus enim que hic possidemus, nichil possumus nobiscum portare. Iob (27, 19) : *diues cum dormierit nichil secum afferet*. Quid ergo debent facere homines discreti ? Primo quidem non expectantes arrestum mortis debent bona sua ponere extra manum suam et recludere in manu pauperis. Ecc. (14, 13) : *ante mortem benefac amico tuo et secundum uires exporrigens da pauperi*. De hiis que remanebunt penes nos tempore arresti non poterimus nos iuuare. Prou. (11, 4) : *Christo diuitie non proderunt in die ultionis*. Illa autem iuuabunt que apud pauperem recludentur. Ecc. XXIX (Eccli. 29, 15) : *conclude elemosinam in sinu pauperis et hoc pro te exorabit*. Crisostomus<sup>1</sup> super Mt. : « Melius seruatur pecunia que in dextra pauperis collocatur, hanc calumpniator non extorquet, inuidus non terminatur, latro non auferet, fur nocturnus non diripiet, seruus fugam meditans non inuadet, set semper est tuta, semper integra, semper salua. » Idem ibidem<sup>2</sup> : « Qui thesauros suos collocat in terra non habet quid speret in celo. Ut quid enim respiciet in celum, ubi nichil habet repositum ? Quidcumque pro anima tua feceris, hoc Domini est quod relinqueris perdidisti. » Ideo dicitur in figura primo Reg. V (7) : *non maneat archa Dei Israel apud nos quoniam manus eius dura est super nos*. Apud illos manet archa Dei qui penes se reti[nent] et reseruant in archa bona pauperum Christi. Basilius<sup>3</sup>, omelia prima : « Panis est famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclau conseruas, discalciati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod possides, tot iniurias quot subuenire nolueris. » Ergo non maneat archa Dei apud nos. Non seruemus penes nos in archa pauperum Christi, quando manus Domini erit super nos ualde dura. Arrestabuntur in manu regis de qua dicit Ps. (31, 4) : *die ac nocte grauata* etc.

[b] Secundo qui timet ne persona sua arrestetur in manu regis, sicut timebat sanctus Iob qui dicebat (13, 21) : *manum tuam longe fac a me et formido tua non me terreat*, non debet expectare mortis<sup>4</sup> arrestum set indilate surgere debet ad locum exemptum. Locus autem exemptus a regno Christi iurisdictione est locus penitentie, quia super penitentes ipse non exercet rigorem iustitie set dulcorem misericordie. Recte penitentia est uirga aurea quam rex Assuerus protendebat manu, in quo signum clementie monstrabatur. Virga regia corrigens uitia est penitentia. Ps. (44, 7) : *uirga directionis uirga regni tui*. Tunc rex Assuerus uirgam auream alicui protendit, quando Dominus peccatori concedit spatium penitendi. In hoc ipse monstrat signum clementie, non rigorem iustitie. De hoc signo petebat Ps. (85, 17) : *fac mecum signum in bono* set heu Iob XXIII (23) dicit : *dedit ei Dominus locum penitentie et ille abutitur eo in superbia*. Ille abutitur loco exempto sibi ad refugium [99rb] concesso, qui propter immunitatem loci sumit audaciam delinquendi. Multi frequenter fuerunt decepti cogitantes penes se : « Tu secure potes perpetrare hoc homicidium, statim fugies ad ecclesiam,

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Elemosina AS (Crisostomus super Mattheum).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Elemosina AP (Crisostomus super Mattheum).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Elemosina AU (Basilius homelia prima).

iniurias] iniuriaris P.

<sup>4</sup> mortis] mortem B.

ostium est apertum », et miseri non auertunt quod clientes regis sunt in insidiis prope eos qui antequam fugere possint, preoccupant et arrestant eos. Spiritualiter cliens regis qui<sup>1</sup> peccatores arrestat ut ad carcerem trahat est mors. Ita uocat eum Iohannes in Apoc. (6, 3) : *cum apparuisset, inquit, sigillum quasi tunc etc.* Sequitur (Apoc. 6, 8) : *ecce equus pallidus et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Modo aliqui fatui sumunt audaciam peccandi, quia cogitant penes se : « Cliens regis non est prope te, tu non ita cito morieris ». Iterum : « Locum refugii habes paratum, ostium penitentie est tibi apertum », et miseri non auertunt primo quod mors insidiatur eis de prope, que antequam penitent, preoccupat eos et trahit ad carcerem regis. Ps. (17, 6) : *dolores inferni circumdederunt me, preoccupauerunt me laquei mortis.* Unde<sup>2</sup> Bernardus<sup>3</sup> : « Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis inuenitur ? Non miseratur inopiam, non reueretur diuitias, non sapientie, non moribus, non etati denique parcat nisi quod senibus est in ianuis, iuuenibus uero in insidiis. » Si quilibet nostrum cogitaret quomodo mors insidiatur ei de prope, numquam auderet peccare. *Memorare nouissima tua et in eternum non peccabis*, Ecc. (Eccli. 7, 40). Augustinus<sup>4</sup> : « Nichil sic reuocat a peccato sicut quam frequens mortis cogitatio. » Secundo decipiuntur quia credentes inuenire ostium penitentie apertum, inueniunt ipsum clausum, ad Heb. XII (17) : *non inuenit penitentie locum quamquam cum lacrimis inquisisset eum.* Suple Esau. Non ergo exspectemus clientem regis set fugiemus statim ad locum penitentie, alioquin arrestabuntur persone nostre. Ecc. secundo (Eccli. 2, 22) : *si penitentiam non egerimus, incidemus in manu Domini.* Sic patet primum.

[c] Dixi secundo quod etiam generale iudicium erit quoddam arrestum regium. Tunc enim arrestabuntur omnes persone nostre in manu regis, quia *omnes stabimus ante tribunal Christi* (Rom. 14, 10) et illud arrestum est ualde timendum. Heb. XV (10, 30-31) : *quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manu Dei uiuentis.* Modum illius arresti describens Anselmus<sup>5</sup> dicit : « A dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita demonia, subtus patens infernus, desuper iudex iratus, intus conscientia urens, foris mundus ardens, uix ibi iustus saluabitur. Heu miser peccator sic depressus, quo fugiet ? », quasi dicat de cetero : non inueniet locum penitentie apertum, ostium penitentie erit clausum. Augustinus<sup>6</sup> : « Ille iudex nec gratia preuenitur nec misericordia iam flectitur : nec pecunia corrumpitur nec satisfactione uel pena mitigabitur. Hic, dum tempus habetur, agat anima pro se quamdiu est locus penitentie, quia ibi erit locus iustitie. » Iterum omnia bona nostra

<sup>1</sup> qui *add. P s.l. a.m.*

<sup>2</sup> unde *om. B.*

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Mors AT (Bernardus) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermo de conuersione ad clericos*, 16 (SBO, IV, p. 90).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Mors P (Augustinus libro exhortationum) ; Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manicheos*, 2, 28 (PL 34, 219).

<sup>5</sup> *Manipulus florum*, Iudex siue iudicium AK (2) (Anselmus de similitudinibus mundi) ; Anselmus Cantuariensis, *Meditationes et orationes*, meditatio 1 (F. Schmitt, 1946, p. 78-79).

<sup>6</sup> *Manipulus florum*, Iudex siue iudicium F (Augustinus libro 3 de simbolo) ; Quoduultdeus, *Sermo 2 : de simbolo*, II, 8 (R. Braun, SL 60, 1976, p. 345).

tunc arrestabuntur quia bona mundana propter hominem facta finem habebunt et exterminabuntur. Dixi autem a principio quod quando bona aliqua arrestantur in manu regia, ostia domus uel camere in qua tenentur inclusa [99vb] aliquo signo regio sigillantur.

[Division] Domus autem uel camera in qua predicta bona tenentur inclusa est celi circumferentia. *Domus Dei et porta celi* etc. (Gen. 28, 17). Ostia principua huius mundi per que lumen subintrat ad nos sunt sol et luna. Ideo in signum quod omnia intus contenta arrestabuntur in manu regia, sigillabuntur hec duo ostia. Ita dicunt uerba proposita : *erunt* etc. ubi nominantur tria, nam de die iudicii regale sigillum nuntiabit<sup>1</sup> rumorem, *erunt signa* ; diurnale uexillum denominabit merorem, quia sol conuertetur in tenebras, *in sole* ; luminare pusillum indicabit furorem, quia luna conuertetur in sanguinem, *in luna*.

[I] De primo nota quod uetule habent istud signum pronosticum : quando sentiunt prurimum uel tonitruum in auribus, dicunt quod audiunt<sup>2</sup> rumores in breui. Rumoribus ergo mirabilibus, quando portantur per nuntium ignotum, non creditur propter solum uerbum dicentis, nisi uideatur et cognoscatur sigillum mittentis. Spiritualiter rumor in breui futurus qui cantare debet continuum tonitruum in auribus cordium nostrorum est rumor de aduentu Christi ad iudicium, dicente Ieronimo<sup>3</sup> : « Quotiens illum diem considero, toto corde contremesco, siue enim comedo siue bibo siue aliquid aliud facio, semper uidetur tuba illa terribilis sonare in auribus : *surgite mortui, uenite ad iudicium* ». De uoce<sup>4</sup> huius debet intelligi illud, primo Reg. (3, 11) : *quicumque audient timent ambe aures eius*. Nuntius portans rumores semel missus mundo tamen ig[100ra]notus est Dei filius, missus quidem quia misit Deus filium suum in terris, ignotus quia in Io. (1, 10) : *in mundo erit et mundus eum non cognouit*. Hic est ille nuntius quem uidit Iohannes in Apoc. (7, 2) : *uidi alterum angelum ascendentem ad ortu solis, habentem signum Dei uiui*. Huic nuntio mundus credere noluit propter solum uerbum dicentis, nisi uideret sigillum mittentis. *Dicebant iudei : Quia facis signum ostendis nobis quia hoc facis* (Joh. 2, 18), quasi dicat : tu facis te regis nuntium, ostendas nobis sigillum. Alii temptantes signum querebant ab eo, set quando uiderunt et cognouerunt sigillum mittentis, uiderunt eum<sup>5</sup> facere signa que non potuerunt fieri nisi a solo Deo, tunc crediderunt uerbo suo sicut Nichodemus qui dicit (Ioh. 3, 2) : *Rabi scimus* etc. *Nemo enim potest facere signa que tu facis* etc. Alii dicebant : quomodo potest homo peccator hec signa facere ? Et alii uidentes sigillum non recognoscebant quod esset sigillum regis set dicebant multi signa Christi esse demoniorum. *In Belzebuto principe demoniorum eicit demonia* (Luc. 11, 15). Adhuc hodie est sic : nuntiantibus enim uerbum Dei non creditur etiam nisi uidetur sigillum regis, nisi apparent in eis signa sanctitatis et bonitatis ; quin ymmo magis

<sup>1</sup> nuntiabit] nominabit B.

<sup>2</sup> audiunt] audient P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Judex siue iudicium O (Hieronymum super Mattheum).

<sup>4</sup> uoce] nocte P.

<sup>5</sup> eum] enim B.

deprauantur, dicunt quod totum est fictio ypocrisis, allegantes illud Mt. XXIII (24) : *iam impletum surgent pseudoChristi et pseudoprophete et dabo signa magna et prodigia* etc. Que est causa huius ?

Primo quod mundus nuntio Dei non credit, nisi uideat sigillum mittentis, secundo quod multi, ubi uident signa, adhuc manent increduli. Ratio primi est ista quia homo alterius patrie et ignote lingue, ueniens ad terram istam, non intelligitur ab indigenis terre huius nisi loquatur per signa, set si sunt hic aliqui pauci de patria sua, illi soli capiunt eius uerba. Homo alterius patrie ueniens ad terram istam est homo Christus Ihesus ueniens de celo in terram. Mundum enim ipse non reputauit patriam suam, ymmo expresse dixit : *uos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo* (Jo. 8, 23), et iterum (Ioh. 18, 36) : *regnum meum non est de hoc mundo*. Et ideo homines qui patriam habent in mundo nec patriam habent in celo, homines qui terrena sapiunt, illi non capiunt uerba Christi. Verbum Dei non capit in nobis, nisi forte loquatur per signa, quando uident terremotum uel audiunt tonitrua, tunc aliquantulum credunt. Multi crediderunt in eum, uidentes signa que faciebant in eo, set si sunt hic aliqui pauci de patria Christi, sicut erant apostoli quibus dixit : *de mundo non estis set ego elegi uos de mundo* (Jo. 15, 19), illi de facili capiunt uerba eius (Ioh. 10, 27) : *oues mee uocem meam audiunt*. Hanc causam assignat ipse in Iohanne (8, 46) : *si ueritatem dico quare uos non creditis qui ex Deo est uerba Dei audit propterea uos non auditis quia ex Deo non estis*. Ubi Gregorius<sup>1</sup> : « Si uerba Dei audit qui ex Deo est, et audire uerba Dei audire non potest quisquis ex illo non est, tunc roget se unusquisque si uerba Dei aure [100va] cordis percipit. Unde sic celestem patriam desiderare ueritas iubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appeti, propria largiri. Penset ergo unusquisque nostrum, si hec uox Dei in corde<sup>2</sup> eius aure conualuit, et quia iam ex Deo sic agnoscit. Nam sunt plerique qui precepta Dei non aure cordis percipere dignantur. »

Ratio secundi est quia figura sigilli non imprimitur faciliter nisi in cera molli, unde Ps.<sup>3</sup> dicit (21, 15) : *factum est cor meum tamquam cera*. In corde humano debent imprimi uerba et miracula Christi sicut in cera imprimitur figura sigilli. In Can. (8, 6) : *pone me ut signaculum super cor tuum*. Quod ergo aliqui non credunt nisi uident signa manifesta, hoc ideo est quia corda eorum in malitia sunt obdurata, similes pharaoni de quo Ex. VII (3-4) : *indurabo cor eius et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Egypti et non audiet uos*. Pharaon interpretatur denegans uirum<sup>4</sup>. Vir autem dicitur a uirtute. Pharaon ergo est ille qui uidens in alio signa uirtutis et manifesta indicia sanctitatis, negat ea et deprauat, dicens quod totum est fictio et ypocrisis et causa est quia isti sunt in malicia ita obdurata quod credunt aliquos similes esse sibi.

Redeo ad propositum. Quia Christus experimento probauit quod in primo aduentu suo mundus non credidit uerbo dicentis nisi uideret sigillum mittentis, ideo ueniens secundo ad iudicium, ostendit mundo regale sigillum. In Ex. XXXIII (34, 10) : *uidentibus cunctis signa faciam que [100vb]*

<sup>1</sup> Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, I, 18, 1 (PL 76, 1150B).

<sup>2</sup> corde] cordi B.

<sup>3</sup> unde Ps.] Ps. autem B.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.



*numquam sunt uisa super terram, ut cernat populus iste opus Domini terribile quod facturus sum, et in Luc. (21, 11) : terremotus erunt per loca et pestilentie et fames terroresque de celo et signa magna erunt. Ideo dixi quod de die iudicii regale sigillum nuntiabit rumorem.*

[II] De secundo nota quod « quando aliquis magnus paterfamilias uel dominus moritur, familia eius deponit indumenta letitie et in signum meroris induit se uestibus nigris<sup>1</sup> ». Maximus autem dominus uidetur esse humanum genus. *Dominamini piscibus maris*, in Gen. (1, 28) dictum est ei, *et uolatilibus celi et uniuersis animantibus que mouentur super terram*. Breuiter dominium eius se extendit a solis ortu et occasu ab aquilone et mari, ymmo plus ipsa luminaria celi facta sunt ut famulentur et seruiant homini, qui famulatus fuit figuratus per sompnum Ioseph. *Vidi, inquit, per sompnum quasi solem et lunam et stellas XI adorare me* (Gen. 37, 9). Dixit optime *per sompnum* quia honor mundanus et mundanum dominium non est nisi sompnum. Sicut enim cum aliquis sompniat se manducare cibis satiatus sompniatus non satiat sompnantem, uidetur ei quod tenebat panem in manu et expergefactus inuenit eam uacuam, sic diuitie et honores mundi non satiant habentem. Quin ymmo *dormierunt sompnum suum* etc. (Ps. 75, 6). Bene ergo dixit: *uidi per sompnum* etc. quia licet sol et luna famulentur homini in presenti uita, humanum tamen dominium non est nisi sompnum, nihilominus hec duo, moriente humano genere defficiente |101ra| familia eius, scilicet luminaria celi, deponent indumenta letitie et uestient se uestibus nigris. Spiritualiter sol qui indutus est lumine sicut uestimento, Apo. VI (12) : *sol factus est niger tamquam saccus cilicinus*. Marci XIII (24) : *in diebus illis sol contenebrabitur et luna non dabit splendorem suum*. Crisostomus<sup>2</sup> : « Paterfamilias moriente, domus turbatur, terrenalibus plangit et nigris se uestimentis se induit, sic humano genere propter quod facta sunt omnia circa finem constituto celi misteria lugent et candore deposito tenebris induuntur. » Ioel III (2, 10) : *sol et luna obtenebrati sunt et stelle retraxerunt splendorem suum*.

De tertio nota quod sacrista noster, quando pulsatur ad horas, facit communiter duo signa, unum cum campana minori et aliud cum maiori. Ideo autem pulsatur duplex campana et fuit duplex signum ut fratres se prepararent et parati hora debita ueniant ad chorum. Spiritualiter due campane maior et minor cum quibus fit signum ad horas, sicut luminare maius et luminare minus, de quibus Gen. (1, 14) : *fiant luminaria in firmamento celi et sint in signa et tempora*, et in Ps. (103, 19) : *fecit lunam in tempora*. Modo si aliqua hora indiget pulsatione et preparatione, illa est hora nouissima, *estote parati quia qua hora non putatis filius hominis ueniet*, in Luc. (12, 40). Hoc debet continue pulsare<sup>3</sup> aures cordis nostri. Ideo sacrista Saluator noster pro hac hora faciet multa signa set spiritualiter faciet duplex signum cum maiori et minori campana. Act. secundo (19-20) : *dabo prodigia in |101rb| celo sursum et signa in terra deorsum sol conuertetur in tenebras et luna in*

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Judex siue iudicium AD (Crisostomus super illud Matthei 24 : *et uirtutes celorum*).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Judex siue iudicium AD (Crisostomus super illud Matthei 24 : *et uirtutes celorum*).

<sup>3</sup> continue pulsare] pulsare continue B.

*sanguinem antequam ueniet dies Domini magnus et manifestus*, unde Gregorius<sup>1</sup> super illo uerbo : *erunt signa in sole et luna*, « Dominus ac Redemptor noster, paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum que mala sequentur denunciat, ut nos ab eius amore compescat. Appropinquante eius terminum quante persecutiones preueniant innotescit, ut qui Deum metuere in tranquillitate nolimus<sup>2</sup>, iustum eius iudicium uel persecussionibus accusari timeamus. » Spiritualiter signum illud quod fiet cum campana minori, quando luna conuertetur in sanguinem, indicabit furorem et incutiet timorem. Hoc patet in simili. Rex enim Francorum, preter commune uexillum quod depingitur cum floribus liliorum, quando procedit ad bellum contra inimicos, habet uexillum ante se totum coloris sanguinei et audiui dici quod quando uexillum illud explicatur in bello, non est aliquis ita audax qui totus non tremat. Proprie loquendo nullum regnum debet uocari regnum Francie nisi solum regnum Christi et beatorum. *Sola illa que sursum est Iherusalem libera est* (Gal. 4, 26). Omne regnum mundanum est regnum seruorum. Merito summus pontifex maior in regno mundi uocat se seruum seruorum Dei. Modo rex Francorum Christus in duplo aduentu suo usus est et utetur duplici uexillo. Vexillum enim aduentus Christi fuit depictum cum floribus liliorum. Signum |101va| enim aduentus sui primi fuit flos uel lilium uirginitatis in matre cum fructu fecunditatis. *Flores mei fructus honoris et honestatis* (Eccli. 24, 23). *Ego flos campi et lilium conuallium* (Can. 2, 1). Ita depixerat Ysaïas hoc uexillum (7, 14) : *dabit Dominus ipse uobis signum, ecce uirgo concipiet* etc. Set uexillum aduentus secundi, quando ueniet contra aduersarios ad peccatores debellandum, erit totum coloris sanguinei. Apo. VI (12) : *luna tota facta est quasi sanguis*. Primum uexillum non indicabit furorem set pacem et mansuetudinem regis. *Ecce rex tuus tibi uenit mansuetus* in Mt. (21, 5). Set secundum uexillum sanguineum ab eo indicabit furorem regium quod non erit ita audax qui non tremat totus. *Turbabuntur omnes gentes et timebunt qui habitant terminos a signis tuis* (Ps. 64, 9), et Baruc.<sup>3</sup> VII (Habacuc 3, 11) : *sol et luna steterunt in habitaculo suo* etc. usque ibi (3, 12) : *in fremitu conculcabis terram in furore* etc. Figuratur rex iste per regem Salomonem propter duplicem nominis interpretationem. Salomon enim interpretatur pacificus<sup>4</sup> et significat Christum a primo aduentu suo usque ad secundum. Ps. (71, 7) : *oriatur in diebus eius iustitia* etc. Iterum interpretatur retribuens iniquis et significat eum in aduentu secundo quando retribuet malis supplicium dicens eis (Matth. 25, 41) : *ite maledicti in ignem eternum*, et iustis premium dicens (Matth. 25, 34) : *uenite benedicti Patris mei, percipite regnum* etc.

<sup>1</sup> Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, I, 1, 1 (PL 76, 1077C).

<sup>2</sup> nolimus] uolumus B.

<sup>3</sup> Baruc.] Habacuc B.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 138.

## SERMON 39

Conception de la Vierge.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 101va-104va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 68vb-71ra.

Plan :

Thème – Lien entre la lune et le soleil, Marie et Jésus. Les signes annonciateurs de leur venue.

Division

I – Une chose douteuse est confirmée par des miracles multiples.

- a. cas des lettres secrètes
- b. cas des testament
- c. confirmation de la fête de l’Immaculée Conception

II – La joie de la fête est double.

F. 101va : *Erunt signa in sole et luna* in Luca. (21, 25).

[Thème] Ortus solis et exordium noue lune habent illud |101vb| commune quod tam in ortu solis quam in nouilunio apparent signa per que iudicamus de tempore futuro sereno uel tempestuoso. Ita ordinauit Deus a principio quando fecit lunam in tempora, quando fecit *solem in potestatem diei* (Ps. 135, 8) etc. Tunc enim dixit in Gen. (1, 14) : *fiant luminaria in firmamento celi et sint in signa et tempora*. Spiritualiter per solem et lunam intelligimus in Scriptura Christum et Mariam. Ratio est quia recte sic se habet Christus ad Mariam sicut se habet sol ad lunam. Luna recipit a sole complementum uirtutis et perfectionis sue, scilicet plenitudinem luminis. Sol autem a luna non recipit nisi solam eclipsim, non quia sol eclipsetur in se ipso set per comparationem ad nos, sic Maria a sole iustitie Christo habuit complementum uirtutis et perfectionis, plenitudinem luminis gratie. *Aue*, inquit angelus, *gratia plena* etc. (Luc. 1, 28). Unde<sup>1</sup> Jeronimus<sup>2</sup> : « Ceteris uirginibus per partes prestatur gratia, Marie se totam effudit gratie plenitudo, que fuit in Christo quamquam aliter et aliter, in Christo fuit sicut in capite influente, in Maria uero sicut in collo transfundente. » Hoc est recte modus lune quod lumen transfudit inferius que primitus recipit a sole. Set sol iustitie quid accepit a luna ? Christus in Maria assumpsit quasi solam eclipsim deffectus et miserias nostre mortalitatis. Sap. VII (1) : *numquid ego mortalis homo similis omnibus et in uentre matris figuratus sum caro*. Unde<sup>3</sup> Leo Papa<sup>4</sup> : « Salua proprietate utriusque substantie et in unam coeunte personam, suscipitur a maiestate humilitas, a uirtute infirmitas, |102ra| ab eternitate mortalitas ». Ecce quot eclipses recipit sol a luna, Christus a Maria, non quod sol iustitie in se ipso in sua diuinitate fuit eclipsatus set eclipsatus est per

---

<sup>1</sup> unde om. B.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria R (Hieronymus).

<sup>3</sup> unde om. B.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Incarnatio R (Leo papa in sermone) ; Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, XXI, 2 (A. Chavasse, SL 138, 1973, p. 87).

comparationem ad nos, quando *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inuentus ut homo* (Phil. 2, 7). Ideo Apoc. IX (2) dicitur : *obscuratus est sol*. Conuenienter igitur per solem et lunam intelligamus Christum et Mariam. Dicamus in persona Marie illud Ecc. primo (Ecci. 50, 6) : *quasi luna plena in diebus suis lucet*, et in persona Christi quod statim subditur (50, 7) : *et quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei*. Si sol et luna sunt Christus et Maria, tunc sicut Scriptura conceptionem filii Dei seu aduentum eius in carne describit per aduentum solis in oriente, Malach. 16 (4, 2) : *oriatur uobis timentibus nomen meum sol iustitie*, ita nos non incongrue describere possumus conceptionem Marie per exordium noue lune, ut dicamus illud Hest. (8, 16) : *noua lux oriri uisa est*. Modo hec duo ortus solis et exordium noue lune, conceptio Christi et Marie, habent sibi commune quod in utroque apparuerunt signa serenitatis future appropinquantis temporis gratie. De ortu solis patet hoc quod enim Christus mystice conceptus est et natus de Virgine. Hoc fuit signum pronosticum aduenientis temporis gratie, quando *uenit plenitudo* etc. (Gal. 4, 4). Hoc signum predixerat Ysa. (7, 14) : *dabit Dominus ipse uobis signum* etc. Hoc est signum suum preostensum Moysi in Ex. (3, 2). Vidit enim quod *rubus<sup>1</sup> ardebat et non comburebatur*. [102rb] Tunc *rubus<sup>2</sup> ardet et non comburitur*, quando Virgo concipit set non corrumpitur sibi in exordio noue lune. Quod enim Maria concepta est et nata de sterilibus patre et matre, hoc fuit signum pronosticum aduenientis temporis gratie. Ioachim enim et Anna per XX annos cohabitantes prolem habere non poterant, donec angelus ambobus diuerse apparuit et signo dato de prole tali habenda eos certificauit. Figura ad hoc Iudic. VI (37) ubi Gedeon signum querens in uellere dixit : *ponam uellus hoc lane in area*. Si in solo uellere ros fuerit et in omni terra siccitas, sciam quod *per manum meam liberabis populum* Israel (Ps. 96, 10). Gedeon interpretatur circuiens in utero<sup>3</sup> et significat Dei filium qui, ueniens liberare populum suum de manu potentie, circumclusus est in utero Marie. Gen. 26 (Ier. 31, 22) : *nouum creauit Dominus super terram femina circumdabit uirum*. Vellus lane est corpus Marie, unde<sup>4</sup> Bernardus<sup>5</sup> : « Beata nempe Maria lana mundissima fuit et uirginitate clarissima que sola digna esset in se filii Dei recipere dignitatem, sicut lana conchillii sanguinem ut ex eadem fieret purpura imperiali maiestati tantummodo digna quam que nullus esset dignus induere. » Ubi Augustinus<sup>6</sup> : « Tam predictus dignitate area tota sicca est mater sterilis et infecunda. Ergo uellus lane roridum ponit in area. Tota sicca fuit Maria in uentre sterili concepta et ibidem celesti gratie rore perfusa ». Unde cantamus<sup>7</sup> de ea : « Celi rore tellus fusum Gedeonis [102va] uellus diuinitatis pluuiam ». Bernardus<sup>8</sup> : « Beatam Virginem omnimodis constat ab originali contagio sola Dei gratia priusquam

<sup>1</sup> rubus] rubum P, rubrum B.

<sup>2</sup> rubus] rubum corr. P a.m., rubrum B.

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 100.

<sup>4</sup> unde om. B.

<sup>5</sup> Non inueni.

<sup>6</sup> Non inueni.

<sup>7</sup> AH, vol. 54, p. 346, n° 219 (de beata Maria Virgine).

<sup>8</sup> Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Assumptione beatae Mariae*, 2, 8 (SBO, V, p. 237).

nasceretur esse mundatam » etc. Quod igitur signum liberationis populi quesitum est in uellere posito in area tota sicca. Hoc bene uult quod conceptio Marie in utero sterili erat signum pronosticum aduenientis temporis gratie. Ecc. XL 16 (Eccli. 43, 6-7) : *luna in omnibus in tempore suo ostensio temporis et signum eius a luna signum diei festi*. Sic habeo declaratum quod tam in ortu solis quam in nouilunio, tam in aduentu Christi quam in Conceptione Marie, apparent signa serenitatis gratie.

[Division] Hoc autem duo aduentus Christi et conceptio Marie concurrunt simul hodie. *Sol enim et luna steterunt in habitaculo suo*, Abacuc. (3, 11). Tam Christus quam Maria adhuc latent in matris utero. Ideo cum utraque conceptio fuerit miraculosa, dicunt bene uerba proposita : *erunt signa in sole et luna*, ubi nominantur duo : confirmatur res dubia miraculo multiplici, *erunt signa*, geminatur letitia festi titulo duplici, *in sole et luna*.

[I] De primo nota quod duo paria litterarum solent sigillari, littera secreti et littera testimonii, set dicerentur quod littera secreti sigillatur clausa, littera uero testimonii conuenientius sigillatur aperta.

[a] Loquendo primo de littera secreti et deinde magis ad propositum de littera testimonii. Littera secreti non est aliud quam pellis quedam froncina uel uitulina uel alterius animalis in qua scripta sunt uerba que alicui mittimus et uolumus seruare secreta. Verbum autem secretissimum est illud |102vb| uerbum, de quo dicitur in Iohanne (1, 1) : *in principio erat uerbum et uerbum erat apud Deum*, tamquam ualde secretum et cognitum sibi soli, Ysa. (24, 16) : *secretum meum mihi secretum meum mihi*. Hoc uerbum fuit isto tempore nobis missum, Ysa. (9, 8) : *uerbum misit Dominus in Iacob et cecidit in Israel*, et in Ps. (106, 20) : *misit uerbum suum et sanauit eos*. Missum, inquam, fuit et scriptum siue impressum, non in pelle froncina aut uitulina set in pelle humana, *quando uerbum caro factum est et habitauit in nobis* (Ioh. 1, 14). Littera ergo continens hoc secretum debuit merito clausa sigillari. Littera continens hoc secretum est Maria concipiens in utero Dei filium<sup>1</sup>. Unde<sup>2</sup> cantamus in prosa<sup>3</sup> : « Verbum patris processu temporis intrat tui secretum corporis intus totum et totum deforis simul unit ». Hec littera clausa signata fuit sigillo duplici, primo quia adhuc clausa in utero matris signata fuit signo sanctitatis, ut de ea posset dici ex tunc *corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis* (Ecci. 45, 14). Bernardus<sup>4</sup> : « Est itaque Virgo regia, ueris honorum titulus cumulata », que procul dubio sancta fuit antequam nata etc. Secundo signata fuit clausa quia concepit et peperit uerbum Dei clauso utero et signato sigillo uirginitatis, in quo figuratur ipsa per litteram signatam anulo<sup>5</sup> regis Assueri, que littera reuocabat sententiam mortis quam procurauerat Aman contra populum Dei, Hest. (3). Per anulum qui habet in partibus continuitatem, intelligo |103ra|

<sup>1</sup> filium] uerbum B.

<sup>2</sup> unde om. B.

<sup>3</sup> AH, vol. 54, p. 289, n° 188 (in nativitate BMV, Dominicains).

<sup>4</sup> cf. Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 174 (ad canonicos lugdunenses), 2 (SBO, VII, p. 388).

<sup>5</sup> anulo] ambo B.

uirginem integritatem. Littera ergo anulo<sup>1</sup> regis signata, per quam reuocata est sententia mortis, est uirgo regia per quam reuocata est sententia mortis, quam procurauerat Eua. Augustinus<sup>2</sup> : « Nutrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. » Propter duplicem clausuram uel duplex sigillum huius littere dicitur bis, in Cant. (4, 12) : *ortus conclusus soror mea, ortus conclusus fons signatus*, et Deut. XXVIII (46) : *Erunt in te signa* etc. Hoc de littera secreti.

[b] Circa litteram autem testimonii est sciendum quod in curia prepositi fides non adhibetur litteris testimonii, nisi sint signate sigillis autenticis. Qui legeret ibi litteram non habentem aliquod sigillum, tota curia derideret eum. Spiritualiter curia prepositi est ecclesia Dei, non quidem ecclesia triumphans nisi per antifrasm. Curia enim dicitur a cura. Nos ergo cantamus<sup>3</sup> de ea : « O quam iocunda curia que cure prorsus nescia ». Set curia est proprie presens ecclesia in qua beneficiis est annexa cura et maioribus beneficiis pluribus bonis temporalibus maior est cura. Ecc. II (Eccle. 2, 26) : *peccatori dedit afflictionem et curam superfluam<sup>4</sup> ut addat et congreget*. In hac curia non adhibetur fides litteris, nisi sint sigillate sigillis autenticis. *Nisi signa et prodigia uideritis, non creditis*, Io. (4, 48). Littere testimoniales quibus debet in hac curia fides adhiberi sunt littere noui et ueteris Testamenti. Ioh. (20, 31) : *hec autem scripta sunt ut credatis* etc. Et merito debet eis fides adhiberi quod signate sunt [103rb] multis sigillis autenticis, confirmate miraculis infinitis. *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* in Mt. (Marc. 16, 20). De filio Dei principali auctore utriusque Testamenti dicebant scribe et Pharisei : *hic homo multa signa facit. Si dimitemus eum sic omnes credent in eum*, Ioh. (11, 47-48), quasi dicant<sup>5</sup> : tot signa autentica. Ostendit quod tota curia credit sibi. Set heu, hodie in curia huius prepositi, frequentius allegantur et maior fides adhibetur litteris Iustiniani, qui tamen nulla signa<sup>6</sup> fecit, quam litteris canonis sacri. Iterum in curia prepositi, in scola fidei, libentius leguntur et curiosius allegantur littere philosophorum gentilium, dicta hominis dampnati et heretici pessimi Commentatoris quam auctoritates canonis, cum tamen ille non sunt signate sigillis autenticis. Aueroy's miracula non fecit. Vere tota scola sibilare deberet super capita eorum qui talia faciunt, set unde hoc quod legentibus litteras testimonii, allegantibus et predicantibus Scripturas Sacras fides non adhibetur ? Cotidie fiunt sermones, nullus uel modicus fructus sequitur. Una causa est ista : quecumque littere testimonii essent signate sigillis multis autenticis, si aliquis in curia prepositi litteras illas legeret et sigilla non ostenderet set absconderet, litteris illis fidem non adhiberet. Sic spiritualiter quia illi qui litteras sacras legunt et docent, pauca uel nulla signa sanctitatis ostendunt. *Signum uirtutis nullum* possumus ostendere, Sap. (5, 13), quia quod docemus uerbo, non

<sup>1</sup> anulo] ambo B.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria B (Augustinus in sermone de Assumptione) ; Ambrosius Autpertus, *Sermo de Assumptione sanctae Mariae*, 4 (R. Weber, CM 27B, 1989, p. 1029).

<sup>3</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

<sup>4</sup> superfluam] super terram B.

<sup>5</sup> dicant] dicat P.

<sup>6</sup> nulla signa] signa nulla B.

ostendimus<sup>1</sup> exemplo. Hec est causa quare *testimonium nostrum nemo accipit* (Ioh. 3, 32). Verificatum |103va| est in uobis quod dicit Ps. (73, 9) : *signa nostra non uidimus iam non est propheta* etc.

[c] Venio ad propositum. Ostensum est quod littere signate sigillis authenticis, quibus debet fides adhiberi, sunt littere noui et ueteris Testamenti. Iste autem littere testificantur conceptionem Virginis Marie. Cantamus in prosa<sup>2</sup> : « Te signarunt ora prophetica, tibi canit Salomon Cantica canticorum, te uox angelica protestatur. » Etiam alie scripture loquentes de conceptione, natiuitate, uita et Assumptione Virginis gloriose sunt multis sigillis signate, multis miraculis confirmate, Dan. III (99) : *signa et mirabilia fecit apud me Dominus excelsus*. Et ut de ceteris taceam, recito solum unum quod perhibet testimonium festo conceptionis. Cum abbas<sup>3</sup> quidem cum multis monachis nauigaret<sup>4</sup> per mare occidentale, subita et horribili tempestate perteriti inceperunt sanctos diuersos in suorum auxilium inuocare et multa eisdem uouere. Tunc abbas dixit eis : « Inuocemus Virginem Mariam omnium sanctorum potentissimam ». Quod cum facerent, apparuit eis angelus dicens quod a tempestate liberarentur si Deo et beate Marie promitterent quod festum conceptionis eius de cetero celebrarent et alios celebrare docerent, et cum ignorarent diem et officium, docuit eos de utroque, dicens quod facerent officium natiuitatis, mutando solum nomen natiuitatis in uerbum conceptionis. Unde potuit eis et omnibus nobis beata Virgo dicere illud Ex. XXXI (13) : *uidete ut sabbatum meum custodiatis quia signum est inter me et uos*, quasi dicat : miraculum manifestum ostendit uobis quare festum conceptionis mee |103vb| absque dubio celebrare debet, et hoc fuit primum. Confirmatur res dubia miraculo multiplici, *erunt signa*.

[II] De secundo nota quod adhuc ortus solis et exordium noue lune habent istud commune quia sicut in ortu solis aues celi iocundius cantant, ita in nouilunio homines mundi magis exultant : magis gaudemus et libentius uidemus lunam nouam quam plenam. Spiritualiter aues celi sunt angeli Dei. *Aues celi portant uocem tuam* (Eccle. 10, 20). Si<sup>5</sup> ergo in ortu solis, hoc est in natiuitate Christi, aues celi iocundius cantauerunt dicentes : *gloria in excelsis Deo* etc., ita in nouilunio, id est in Conceptione Marie, homines mundi debent magis gaudere dicentes (I Reg. 30, 16) : *gaudeamus omnes in Domino quasi festum celebrantes* etc. In cuius figura dicitur in Hest. (8, 16-17) quod propter litteram supradictam signatam anulo regis : *Iudeis noua lux oriri uisa est, gaudium, honor et tripudium apud omnes populos*. Sequitur : *mira exultatio epule atque conuiuuium et festus dies*. Expositio figure patet ex dictis set uidetur quod sic talis differentia inter homines mundi, qualis est inter aues celi. Aues quedam sunt nocturne que de nocte uolant et de die tenent rostrum in pluma et latitant, quasi ortum solis exhorreant. Alie sunt aues diurne que, cum tota nocte dormierunt, in ortu

<sup>1</sup> ostendimus] extendimus B.

<sup>2</sup> AH, vol. 54, p. 288, n° 188 (in natiuitate BMV, Dominicains).

<sup>3</sup> Exemplum 8.

<sup>4</sup> nauigaret] nauigarent B.

<sup>5</sup> si] sic B.

solis excitantur et cantant. Sic spiritualiter aliqui similes aubus nocturnis, in conceptione Marie que est exordium noue lucis, festum non faciunt, ymmo iuxta illud Iob (24, 17) : *si subito apparuerit aurora arbitrantur umbram mortis*. Reputant peccatum mortale facere [104ra] festum conceptionis. Set alii similes aui diurne angelo Dei, qui cum gaudio nuntiauit conceptionem Marie, festiuant et cantant iocunde, dicentes matutinale inuitatorium<sup>1</sup> : « Conceptionem Virginis Marie celebremus, Christum eius filium adoremus Dominum. » Set numquid debemus maius festum facere de nouilunio quam de fine lune, de Conceptione eius quam de Assumptione ? Respondeo : ecclesia in qua sunt repositae reliquie alicuius sancti uel sancte, de illo sancto et sancta de qua reliquias concipit, facit festum grande. Licet festum Iohannis Baptiste sit maius simpliciter festo Dyonisii, ecclesia tamen illa in qua reliquie Dyonisii sunt repositae non minus sollempnizat in festo Dyonisii quam in festo Iohannis Baptiste. Reliquie pretiosissime sunt membra uirginea, corpus Marie : *hec enim speciosior est sole et super omnem dispositionem stellarum etc.*, Sap. VII (29). Modo si est uerum, quod pie creditur, quod Maria fuerit simul in corpore et anima assumpta<sup>2</sup>, festum Assumptionis magis est festum ecclesie triumphantis quam ecclesie militantis, quia illa die ablate sunt a nobis reliquie ille et translate in ecclesia triumphante. Iosue X (37) : *Non reliquit in ea, hoc est Ebron, ullas reliquias*. Ebron interpretatur transiens<sup>3</sup> mihi uel transitio mea. Si Maria transiuit de mundo simul in corpore et anima, non reliquit in eo ullas reliquias, et ideo festum illud Assumptionis est proprie festum ecclesie triumphantis, assumpta est Maria in celum, gaudent angeli etc. Apoc. XII (11, 19) : *apertum est templum Dei in celo et uisa est archa testamenti eius in templo eius*. Sequitur : *signum magnum apparuit in celo mulier [104rb] amicta sole et luna sub pedibus eius* (Apoc. 12, 1). Nomine solis et lune intelligo animam et corpus Marie, quia sicut lumen solis redundat in lunam, sic gloria anime redundat in carnem. Mulier ergo amicta sole et luna sub pedibus eius est Maria, cuius anime gloria iam redundat in corpus, ut pie creditur. Signum et mirabile magnum apparuit in celo in eius Assumptione, ita ut mirarentur angeli dicentes (Can. 6, 9) : *que est illa que progreditur quasi aurora consurgens pulchra ut luna, electa ut sol*. Set in die Conceptionis reliquie iste repositae fuerunt in ecclesia militante et ideo, licet festum Assumptionis simpliciter sit maius, huic tamen ecclesie propter quod et aliquantulum maius est festum Conceptionis. In Ps. (75, 11) : *reliquie cogitationis diem festum agent tibi* quasi dicat : quia cogitat ecclesia militans quod reliquias tuas, Virgo beata, hodie recepit, ideo festiuat tibi. Set dices : reliquie iste<sup>4</sup> instanti conceptionis non fuerunt sancte, quia Maria tunc non fuit sub gratia set sub culpa. Esto quod ita fit, adhuc respondeo : angelus bonus qui non gaudet de malo culpe cum gaudio nuntiauit conceptionem Marie, non quod gauderet de conceptione quatinus erat annexa culpe, set quatinus erat exordium salutis nostre. Ecclesia festiuat de corona Christi et eius

---

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> *assumpta om. B.*

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 139 (*sub nomine Eber*).

<sup>4</sup> *iste] quod add. P.*



cruce, quarum<sup>1</sup> neutra est uel umquam fuit subiecta gratie, ymmo uterque fuit instrumentum maxime culpe. Si ergo Ecclesia licite festiuat de istis, non quatinus instrumenta detestabilis culpe set quatinus arma redemptionis nostre, si<sup>2</sup> angelus nuntiauit cum gaudio conceptionem |104va| Virginis Marie, non quatinus annexa culpe set quatinus exordium redemptionis nostre, quare nos non possumus sollempniter hoc festum celebrare ? Certe licet, et expedit ut, iuxta dictum collecte<sup>3</sup>, per temporalia festa que agimus peruenire ad gaudia eterna mereamur etc.

---

<sup>1</sup> quarum] quare *B.*

<sup>2</sup> si] sic *P.*

<sup>3</sup> *Non inveni.*

## SERMON 40

Sainte Lucie.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 104va-105ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 64va-65ra.

F. 104va : *In te complacuit mihi*, Luc. III (22). Consensus mutuus<sup>1</sup> sufficienter expressus facit matrimonium, et licet ad sponsalia contrahenda sufficiant uerba de futuro, tamen non sufficiunt ad matrimonium contrahendum. Sponsus uirginum Christus est, Lucia uirgo sponsa Christi est. Ut ergo ostendant inter se fuisse non solum sponsalia in quibus fit promissio de futuro, set uerum matrimonium in quo fit de meo tuum, in uerbo proposito exprimit quilibet<sup>2</sup> consensum suum, non per uerba de futuro set ex habundanti per uerba de preterito dicens : *in te complacuit mihi* quasi dicat quilibet : « Accipio te in meam, et ego accipio te in meum. » Ubi tria notantur.

Primo ostendit sponsus sponse sue uel e contrario sponsa sponsi sui ualorem immensum, *complacuit*, complete placuit, quasi dicat : nihil est in te quod mihi displicere debuit. Dicat ergo sponsus illud Ysa. LXII (4-5) : *uocaberis uoluntas mea in ea*. Sequitur : *quia complacuit Domino in te et habitabit iuuenis cum uirgine et gaudebit sponsus super sponsam*, et ipsa de sponso suo dicat illud Ysa. XLII (42, 1) : *ecce electus meus complacuit mihi sibi in illo anima mea*.

Secundo ostendit sponse a sponso honorem impensum : *mihi*. Magnus honor quod rex et Dominus ancillam suam accipit |104vb| sibi in uxorem. III Reg. I (2) : *queramus domino nostro regi adolescentulam uirginem*. Virgo adolescentula Christo regi quesita et exquisita fuit beata Lucia. Sap. (8, 2) : *hanc amaui et exquisiui et quesui mihi sponsam assumere* etc. E contrario potest sponsa dicere illud<sup>3</sup> Can. (2, 16) : *dilectus meus mihi et ego illi qui pascitur inter lilia*, id est qui delectatur in uirginali munditia, et illud Ps.(72, 28) : *mihi adherere Deo bonum est*. Bonum, inquam, non solum delectabile et utile, set bonum honorabile, et sic habemus honorem impensum.

Tertio [ostendit] sponsi ad sponsam et e contrario sponse ad sponsum amorem intensum, *in te*, non dicit tecum, set in te, quia caritas ita coniungit et unit corda amantium quod non sinit unum cum alio set cogit unum esse in alio. *Deus enim caritas est et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo*, in hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, I Io. III (16). Parum autem *si diligamus inuicem Deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est*, I Io. III (4, 12). Caritas non solum conformat set transformat amantem in amatum. Quia ergo Spiritus Sanctus [est] amor, congrue potest dici huic sponse illud Luc. I (35) : *Spiritus Sanctus superueniet in te* etc. Ad litteram cum quereret ab ea Paschasius : « In te ergo est Spiritus Sanctus », dixit Lucia<sup>4</sup>. « Caste uiuentes templum Dei sunt, spiritus qui habitant in eis, unde tanto pondere fixit eam Spiritus Sanctus etc. » Poterat etiam ipsa

<sup>1</sup> mutuus] coniugium *add. B.*

<sup>2</sup> exprimit quilibet] quilibet exprimit *B.*

<sup>3</sup> illud *om. B.*

<sup>4</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Lucia, p. 51.

dicere sponso illud Tho. (10, 5) : *in te uno omnia habentes* etc. Ps. (9, 3) : *letabor et exultabo in te*.  
Augustinus<sup>1</sup> : « Inquietum est cor nostrum donec quiescat in te. » |105ra|

---

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, I, 1 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

## SERMON 41

Saint Thomas apôtre.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 105ra-vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 5rb-6ra.

F. 105ra : *Quia uidisti me credidisti*, in Io. (20, 29).

Creditor cui non potest solui statim in presenti totum rei uendite pretium, quando dantur sibi aliquae arre<sup>1</sup>, libentius credit residuum. Curialior tamen esset si absque omni arra<sup>2</sup> totum crederet. Nos omnes qui uiuimus in uita presenti sumus creditores, prima Pe. (1, 8) : *numquid nunc non uidentes creditis*. Exspectamus adhuc solutionem, pretium nostre redemptionis, quod pretium non est aliud quam clara uisio Dei : « Visio tota merces<sup>3</sup>... » Nec idem pretium potest solui perfecte creditoribus in uita presenti quia *non uidebit me homo et uiuet* in Ex. (33, 20). Set salutem talem exspectamus in patria, ubi enim uidebimus eum sicuti est. Curiales ergo sunt illi creditores qui nullam arram uisionis habentes, nichilominus totum credunt. Istos commendat Dominus in euangelio hodierno (Io. 20, 29) : *beati qui non uiderunt et crediderunt*. Pauci sunt hodie tales qui uelint credere sine arris. *Etsi<sup>4</sup> signa et prodigia uideritis, non creditis* in Io. (4, 48). Hodie iuxta uulgare dictum : nullus credit in Deum nisi super bonum uadium. Arra autem potissime illius beate uisionis fuit uisio humanitatis Christi. Unde et apostolis dictum est : *beati oculi qui uident que uos uidetis* (Luc. 10, 23). Sine istis arris Thomas credere noluit (Io. 20, 25) : *nisi, inquit, uideo, non credam*. Set datis sibi arris, ostensa sibi humanitate<sup>5</sup> et ostensis cicatricibus uulnerum Christi, tunc libenter et faciliter credit et dixit : *Dominus meus et Deus meus* (Io. 20, 28), illud scilicet quod noluit credere sine arris imperatur ei in uerbis propositis : *quia uidisti me, credidisti*. Ubi |105rb| tria notantur : primo spectaculum summe formidinis exclusiuum, *quia uidisti* ; secundo spectaculum regie ymaginis ostensiuum, *me*, pronomen est demonstratiuum, *Philippe qui uidet me uidet et patrem* (Io. 14, 9) ; tertio coagulum nimie certitudinis adhesiuum, *credidisti*.

De primo nota quod dicunt logici quod argumentum est ratio rei dubie faciens fidem, et quamuis sic generaliter differat argumentum, cum certum est quod nullum argumentum, nullum medium tollit a contradictione totale dubium, nec fecit contradictionem simpliciter eidentem, nisi medium demonstratiuum demonstratio facit eidentiam et excludit omnem formidinem. Totus discursus huius uite mortalis est quasi quidam discursus sillogisticus tendens ad unam conclusionem finalem. Finalis autem conclusio omnium uiuentium [est] mors, et in Ps. (77, 50) : *non pepercit a morte animarum earum et iumenta eorum in morte conclusit*. Conclusio ista habet annexam maximam

<sup>1</sup> arre] erre B.

<sup>2</sup> arra] erra B.

<sup>3</sup> Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, ps. 90, sermo 1, 13 (E. Dekkers, J. Fraipont, SL 39, 1956, p. 1277).

<sup>4</sup> etsi] nisi B.

<sup>5</sup> humanitate] humanitatem P, B.

formidinem. Quilibet naturaliter formidat et timet mortem et pro Deo, est aliquod medium huius dubie formidinis exclusiuum. Vere sic [est] mors et resurrectio mediatoris Dei et hominum. Cogita quod « Christus moriendo mortem destruxit et uitam resurgendo reparauit<sup>1</sup> » ; de cetero conclusionem mortis non formidabis. *Eamus*, dicit Thomas, *et moriamur cum eo* (Jo. 11, 16). Set infideles qui non utuntur hoc medio, non credunt futuram resurrectionem nec exspectant aliam uitam, formidant de conclusione mortis. Non est mirabile, cum non habeant medium dubie formidinis exclusiuum. Set quod fidelis qui resurrectionem credit et uitam eternam exspectat, mori timeat [105va], hoc est uituperabile. Unde Ambrosius<sup>2</sup> dicit quod « spes commodi laboris<sup>3</sup> furatur et metum absconditur periculi ». Dicit bene spes commodi. Mercator uidens se infortunatum in una terra transfert se ad aliam in qua sperat plus lucrari. In nundinis huius mundi plus perdimus quam lucratur. Prou. (I Io. 2, 16) : *omne quod est in mundo aut est concupiscentia* etc. Si uis emere a carne delicias, statim cum emisti perdidisti, set<sup>4</sup> emendo diuitias minus habes quam ante haberes. Probatio : desiderium est rei non habite ; set auarus quanto plus habet, tanto minus habet. Si a dyabolo honores nichil per hoc lucraberis, quia honor non est in honorato set in honorante, ergo in nundinis huius mundi nichil potes lucrari ; quod attendens Apostolus dicit ad Phil. (1, 21) : *michi uiuere Christus est et mori lucrum*. Est ergo Christus uel resurrectio Christi medium quod precognitum excludit a conclusione mortis dubium formidinis. Unde<sup>5</sup> dicebat quidam sanctus uir<sup>6</sup> : « O anima mea, egredere, quid times ? LXXV annis Christo seruiuisti<sup>7</sup> et mortem times ? » Set quia medium non tollit conclusionis formidinem nec facit euidenciam uie<sup>8</sup> sic demonstratiuum et euidens, ideo apostoli, antequam haberent euidenciam demonstrationem de resurrectione Christi, timuerunt de conclusione mortis, set postquam hoc medium fuit eis monstratum, non solum non timuerunt mori, ymmo letanter exposuerunt se morti. Exemplum habemus in euangelio hodierno ubi legimus quod cum *fores essent clausae* (Io. 20, 19) etc. Expone. Ecce ergo spectaculum dubie formidinis exclusiuum [105vb]. In cuius signum sanctus ille Symeon *qui responsum acceperat* etc. (Luc. 2, 26), uiso hoc spectaculo, mori non timuit, ymmo dixit : *nunc dimittis* etc. (Luc. 2, 29). Potuit ergo quilibet apostolus dicere et specialiter Thomas, uiso hoc spectaculo, quod dixit Iacob uiso Ioseph filio suo : *iam letus moriar quia uidi faciem tuam* (Gen. 46, 30). Ubi tria notantur : primo ueritatis perfectione certitudo mirifica, *quia uidi*. Secundo casualitatis oberine pulcritudo specifica, *faciem tuam*. Tertio uoluntatis electiue promptitudo magnifica, *iam letus moriar* etc.

<sup>1</sup> Guillelmus Duranti senior, *Rationale diuinorum officiorum*, VI, 86, 13 (A. Davril, T.M. Thibodeau, CM 140A, 1998, p. 447).

<sup>2</sup> Ambrosius Mediolanensis, *Explanatio Psalmorum XII*, ps. 1, cap. 13 (M. Zelzer, CSEL 64, 1999, p. 10).

<sup>3</sup> laboris] labores B.

<sup>4</sup> set] si B.

<sup>5</sup> unde om. B.

<sup>6</sup> *Manipulus florum*, Anima AD (quidam sanctus) ; Hieronymus, *Vita sancti Hilarionis*, 32 (A. Bastianensen, *Vite dei santi del III al VI sec.*, IV, 1975, p. 142).

<sup>7</sup> seruiuisti] seruisti B.

<sup>8</sup> uie om. B.

## SERMON 42

Saint Jean l'Évangéliste.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 105vb-106ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 65rb-va.

F. 105vb : *Duo in agro, unus assumetur, alter relinquetur*, Luc. XVII (35).

Ager Achesdemach, id est ager sanguinis, quem fortis mulier, id est Dei sapientia, emit pretio sanguinis, est ecclesia in qua sollempnizatur hodie spiritualiter de duobus : *duo in agro*, scilicet de Christo assumpto ad dexteram Patris et de Iohanne euangelista relicto loco eius ad custodiam matris. Ideo dicitur hic : *duo in agro*. Ubi notantur tria utrumque tangentia, primo Christi cum Iohanne familiaris et amorosa commictio, *duo in agro*, secundo Christi a Iohanne singularis et miraculosa disiunctio, *unus assumetur*, tertio Christi in Iohanne exemplaris et memorosa representatio, *alter relinquetur*. Ideo fuit alter Christus quia amicus est alter ipse.

De primo nota quod sicut dualitas inter alias species numerorum est propinquior unitati, que unitas est principium numeri, ita Iohannes in numero apostolorum fuit propinquior Christo principio numeri et principium totius apostolici collegii. Gen. (2, 24) : *erunt duo in carne |106ra| una*. Ad litteram consanguinei fuerunt, Mat. (19, 5-6) : *erunt duo in carne una, itaque iam non sunt duo set una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Isti sunt duo filii olei*, Zach. III (14). *Isti sunt duo oliue et duo candelabra* in Apo. (11, 4), figurati per duo luminaria in Gen. (1, 16) : *luminare maius et luminare minus*.

De secundo nota : unus ab aliis singulariter discretus et disiunctus Christus est. *Magister uester unus est Christus* (Mt. 23, 10). Unus est et secundum non habet *uirum de mille unum reperi* (Eccle. 7, 29). Nam « sicut anima rationalis et caro unus est homo<sup>1</sup> » etc. Iste *unus assumetur*, Mt. ultimo (24, 40). *Assumptus est in celum et sedet a dextris Dei* (Marc. 16, 19). Unde<sup>2</sup> poterat dicere Maria de Ihesu naturali filio suo et Iohanni filio eius adoptiuo (Matth. 20, 21) : *sedeant hii duo filii mei, unus ad dexteram tuam* etc.

De tertio : *fiant dies eius pauci et episcopatum eius accipiat altera* (Ps. 108, 8). Ad litteram Christus cum paucis diebus uixisset, tandem in cruce moriens reliquit alterum loco sui, Ecc. XXX (4) : *mortuus est pater illius et quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se*. Sequitur (Ecc. 30, 6) : *reliquit defensorem domus sue contra inimicos et amicis reddentem gratiam*.

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *In Iohannis euangelium tractatus*, LXXVIII, 3 (R. Willems, SL 36, 1954, p. 524).

<sup>2</sup> unde om. B.

### SERMON 43

Circoncision.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 106ra-108vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 179v-180r.

Plan :

Prothème – L’usage des langues selon les régions. L’usage de la langue par le prédicateur.

Thème – La Circoncision sauve du péché.

I – La dureté du Jugement est adoucie par la bienveillance de Dieu.

II – La Circoncision sauve du péché.

III – C’est une marque imprimée sur notre qualité d’humain.

Nb : II et III ont été inversés dans le sermon.

F. 106ra : *Apparuit benignitas et humanitas Saluatoris Dei nostri*, ad Titum (3, 4).

[Prothème] *Apparuerunt illis dispertite lingue*, Act. (2, 3). Ad hoc quod lingua extranea possit intelligi in aliena terra, lingua britannica in Francia, necesse est habere interpretem qui sciat duo paria linguarum. Primo quod sciat saltem intelligere linguam britannicam, alias nesciret quid Brito diceret. *Si* [106rb] *nesciuero uirtutem uocis ero ei cui loquor barbarus*, prima Cor. IX (14, 11). Iterum qui sciat non solum intelligere, ymmo dicere et loqui linguam gallicam, alias purus gallicus eum non caperet. *Vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis quomodo scient*, quod dicitur prima Cor. IX (I Cor. 14, 9). Sicut maior est distantia inter celum et terram quam inter Britanniam et Franciam, sic maior differentia est inter linguagium celi, quod est uerbum Dei, *uerbum Dei in excelsis* (Eccli. 1, 5), et linguagium, uerbum hominis terreni. Qui de terra est de terra loquitur. Quantum [distat] inter linguam britannicam et gallicam<sup>1</sup>, sic apparet. Brito enim, si diu moretur in Francia, addiscit loqui gallicum, set nullus homo terrenus, quantumcumque diu conuersetur in celo, potest loqui linguam celi, dicere uerbum Dei. Dicere est generare filium. Hoc nullus potest facere nisi Pater. Paulus Apostolus qui raptus fuerat usque ad tertium celum bene iactabat se quod illud uerbum audierat, set dicebat cum hoc quod nullus, nec ipse nec alius, illud dicere poterat. *Audiuit archana que non licet homini loqui* (II Cor. 12, 4). Ille ergo qui linguagium celi, uerbum Dei, debet interpretari in terra hominibus terrenis, oportet quod sciat duo paria linguarum. Interpretes huius uerbi sunt predicatorum, posuerunt in celum os suum et lingua eorum transiuit in terram. Unde predicatori non sufficit ut sciat loqui linguagium terre illius in qua predicat, set oportet cum hoc quod sciat intelligere linguagium celi, uerbum Dei, uerbum Sacre Scripture, debet esse clericus, intelligere Scripturas. Ita dicit Apostolus, [106va] prima Cor. 14 (6) : *si uenero ad uos linguas loquens aut quid prodero nisi loquar aut in reuelatione aut in scientia*. In figura huius legitur in Actibus quod cum discipuli essent pariter in eodem loco orantes et exspectantes aduentum Spiritus Sancti qui docet eos

---

<sup>1</sup> gallicam] quod *add. P.*

linguagium celi, *apparuerunt ille dispertite lingue* (Act. 2, 3). Nota quomodo docuit eos duo paria linguarum, et applica ad predicatorem, et conclude quod exemplo apostolorum debemus omnes simul orare. *Qui loquitur lingua oret ut interpretetur*, prima Cor. 14 (13), *orate*, inquit, *pro gratia uerbi* pro qua impetranda recurrendum est ad matrem uerbi etc.

[Thème] *Apparuit benignitas* etc. Nota quod legiste glosam suam, nouam scripturam que facta est pro expositione textus antiqui, et que glosa posita est iuxta uel supra legem et sub lege, illam scripturam nouam uocant apparatus. Ratio est quia<sup>1</sup> intelligere aperte facit quod erat dubium et obscurum in scriptura antiqua in textu legis. Unde contingit quandoque quod sunt due leges date a duobus imperatoribus uel ab eodem, que prima facie uidentur contrarie, unus uidetur prohibere quod alter precipit et e contrario. Et ideo uidetur quod custodiendo legem unam nitemus alterius saluari non possit. Ad hoc ergo facta est scriptura noua que uocatur apparatus ut concordet leges contrarias, ut doceat uiam mediam per quam saluari possit intellectus utriusque legis. Hoc ideo dixi quia homo est quasi liber quidam habens duo folia, spiritum et carnem, animam et corpus. *Hic liber generationis Adam*, Gen. 6 (5, 1). Summus imperator Deus dedit [106vb] antiquitus legem unam. *Dominus rex noster et Dominus legifer noster* (Is. 33, 22). Lex ista fuit scripta in primo folio huius libri in monte, Iere. 31 (33) : *dabo legem meam in uisceribus eorum et in corde eorum scribam eam*. Ista est lex originalis iustitie, statuens ut spiritus semper esset Deo subiectus et corpus spiritui. Postmodum non imperator set l'empireor, ille qui est rex super omnes filios superbie, dedit aliam legem huic contrariam. *Virtus peccati lex*, prima Cor. 16 (15, 56). *Lex subintravit ut habundaret delictum*, Io. V (Rom. 5, 20). Hec fuit scripta in secundo folio, id est carne, Heb. a (Rom. 8, 7) : *sapientia carnis inimicitia est Deo*. Legi enim Dei non est subiecta neque potest lex ista esse inimica legi Dei neque contrariari, quia ordinat et uult quod caro dominetur spiritui et spiritus rebellis sit carni [subiectus], unde Paulus doctus in lege scripta in libro suo (Rom. 7, 23) : *uideo*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee et captiuantem me dicentem in lege peccati* etc. Sequitur (Rom. 7, 25) : *ego ipse mente seruius legi Dei, carne autem lege peccati*. Ex hoc apparet in qua uili seruitute ponit se homo, quando se subiicit legi peccati, quod exit regnum Francie, seruire Deo regnare est, et se ponit in peiori imperio. Ante natiuitatem Christi leges iste erant adeo contrarie quod nullus poterat eas concordare, tenendo legem iustitie, lex peccati saluari non poterat, iustitia Dei non permittebat<sup>2</sup> quod peccator aliqui saluaretur. Iterum ad hoc summus imperator Deus dedit aliam legem contra legem peccati, scilicet legem circumcisionis. [107ra] Circumcisio enim data est in remedium contra originale peccatum, nec istam legem seruando poterat lex peccati uel peccator saluari. Omnes circumcisi descendebant in infernum neque enim circumcisio aliquid ualet neque prepuccium set noua creatura. Ad concordandas ergo et saluandas leges contrarias, quia lex antiqua facere non poterat, necesse fuit noua creatura fieri que apparatus diceretur. Hec scriptura noua facta fuit quando uerbum,

<sup>1</sup> quia] apparere *add. P.*

<sup>2</sup> permittebat] permittebatur *P.*



quod erat in principio apud Deum, scriptum fuit in pelle uel in pergameno nostre humanitatis. *Erat apud patrem et apparuit nobis*, Io. primo (I Io. 1, 2). Apparatus iste fuit hodie positus sub lege, iuxta legem et supra legem. Erat tamquam Dominus quantum ad diuinitatem. *Dominus rex noster Dominus legifer noster* (Is. 33, 22) et tamen iuxta legem uoluit hodie circumcidi. *Ut faceret secundum consuetudinem legis pro eo*, Luc. 2° (2, 27). *Circumcisionem accipit homo in sabbato ut non soluat lex Moysi*, Io. a (7, 23). Ecce nunc quomodo nec legem saluaret : subposuit se legi. *Misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege* (Gal. 4, 4). Iterum apparatus iste concordauit leges contrarias iustitie et peccati. *Legem iustitie in concordia posuerunt*, Sap. 2° (18, 9). Inuenit eam mediam suam, scilicet misericordiam. Quomodo sine circumcisione legis iustitie potest peccator uel lex peccati saluari ? *Non ex operibus iustitie que fecimus nos set secundum suam misericordiam saluos nos fecit*, ad Titum (3, 5). De hoc apparatu loquitur Paulus apostolus in uerbo thematis preassumpto dicens *apparuit* etc. Et dicit tria de ceo : amolie et de cil cis sa |107rb| doyut de justice par debonereté, *apparuit*, il sauve la ley de pechié, la ley de iniquité, *Saluatoris nostri*, il fu escrit en la piau parchemin de nostre humanité, *Dei*. Mollificauit ipse, temperauit rigorem iustitie dulcorem sue benignitatis : *apparuit*. Ipse saluauit legem peccati et iniquitatis, *Saluatoris nostri*, ipse fuit scriptus in pelle uel pergameno nostre humanitatis, *Dei*.

[I] De primo nota quod Dominus in antiqua lege, antequam apparatus iste scriberetur, numquam perfecte ostenderat dulcorem sue benignitatis set magis rigorem iustitie. Bene dura et rigida iustitia, quia lex statim infligebat penam pro peccato, mulier deprehensa in adulterio statim lapidabatur, lex taxabat emendam condignam pro quolibet forefacto, *oculum pro oculo, dentem pro dente* (Matth. 5, 38), ouis redebatur pro oue. Ecce quomodo lex antiqua rigorem et crudelitatem iustitie pretendebat. *Lex iram operatur*, Ro. X (4, 15). Set apparatus noster hanc durtiam temporauit quia quelibet iniuria non uindicaretur. Mt. (18, 21-22) : *si peccauerit in te frater tuus dimittam ei non solum usque septies set usque septuagies septies*. Iterum docuit quod percutienti te *in una maxilla preberes alteram* (Matth. 5, 39), quod tollenti pallium dares et tunicam. Ecce quomodo dulcorauit crudelitatem iustitie per benignitatem. Ex hoc possumus elicere argumentum quod illi sunt apostati in fide Christi et uolunt reuerti ad legem antiquam Iudeorum qui uolunt uindicare omnes iniurias sibi factas ; ymmo peiores sunt hodie quam Iudei |107va| quia lex solum taxabat emendam secundum quantitatem delicti : *oculum pro oculo* etc. Set hodie non sufficit emenda, nisi excedat in centuplo quantitatem iniurie. Illi ergo qui sunt de lege uel fide Christi debent seruare apparatus benignitatis, non legem crudelitatis. Sap. primo (1, 2) : *apparet hiis qui fidem habent in illum*. Sequitur : *benignus est enim* (Sap. 1, 6). Set unde hoc quod lex pretendebat rigorem equitatis ? Apparatus autem dulcorem benignitatis. Causa est in arcu sunt duo, lignum et corda ; antequam corda ponatur in arcu, arcus longior est quam sit corda. Iterum tunc est arcus rectus et rigidus set quando corda ponitur, tunc arcus longior minuitur ad mensuram corde et rectitudo eius incuruatur et rigiditas mollificatur. Ex hoc apparet statim quod numquam est mollities benignitatis sine paruitate humiliantis, numquam est uere

mitis nisi sit humilis. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11, 29). Sic de diuina natura respectu humane sicut de ligno et arcu respectu corde. Natura enim diuina incomparabiliter maior est quam humana, et ideo antequam paruitas humane nature esset unita magnitudine nature diuine, arcus diuine iustitie rectus erat et rigidus Deus rigorem iustitie pretendebat. *Iustus es Domine et rectum iudicium tuum* (Ps. 118, 137) set quando magnitudo diuinitatis fuit minorata<sup>1</sup> ad mensuram nostre parue humilitatis, *minuisti eum paulominus ab angelis* (Ps. 8, 6), optauit flecti rigorem iustitie per cordam misericordie. Ps. (84, 11) : *miserecordia et |107vb| ueritas obuiauuerunt sibi iustitia* etc. usque ibi 2 II : *Dominus dabit benignitatem* (Ps. 84, 13). Hoc fuit bene figuratum in Genesi ubi post illam duram et rigidam iustitiam quam exercuerat Deus, perdens aquis diluuii omnem carnem, postea placatus, signum pacis et benignitatis ostendit Dominus (Gen. 9, 14-15) : *apparebit arcus meus in nubibus et recordabor federis mei quod pepigi uobiscum*. Recordare est cordam in arcu reponere. Nota quod apparitio arcus in nube optime figurat apparitionem filii Dei in carne. Arcus modo sic apparet in nube quod duo cornua, ubi debet poni corda, sunt uersus nos, lignum uersus celum. Dicunt aliqui quod instante die iudicii erit totum e contrario, modo quando sagittarius tenet cordam arcus uersus se et lignum uertit contra alium, signum est quod uult eum sagittare ; quando tenet e contrario arcum uersus se et lignum uertit contra alium, signum est quod nullum uult percutere, signum est pacis, non guerre. Nota quod per arcum intelligitur iustitia uel uindicta quam accipiet Deus de peccatoribus. *Nisi conuersi fueritis gladium suum uibrauit tetendit* etc. (Ps. 7, 13). Per cordam intelligimur misericordia, miserorum corda, ratio est quia ita utitur Deus sua iustitia sicut sagittarius arcu. Sagittarius enim in primo tractu non statim percutit signum, set modo super, modo subtus, modo a dextris, modo a sinistris, modo longius, modo propinquius. Finaliter tamen quando tantum girauit, percutit signum et scindit eum in duo |108ra| frustra quandoque. Iterum quanto corda plus trahitur et arcus amplius flectitur, tanto maior et fortior ictus datur. Applica ista ad diuinam iustitiam et deducas ulterius quomodo filius Dei per apparitionem suam in primo aduentu fuit arcus cuius corda uersa est uersum nos, quia non uenit *ut iudicet mundum* etc. (Io. 3, 17). Set in secundo aduentu retrahet ad se cordam misericordie et conuertet ad nos arcum iustitie. *Ego in iustitia apparebo conspectui tuo* (Ps. 16, 15). Simile habemus in natura : panthera<sup>2</sup> animal pictum pulcherrimum est, unde alia animalia libenter aspiciunt. Habet autem caput adeo terribile quod terrentur alie bestie aspiciendo caput suum. Panthera quia animal sociale est et libenter cum aliis conuersatur, et inclinatur et abscondit caput suum, ne animalia terreantur. Facies Christi adeo plena est gratiarum quod in eius aspectu delectantur angeli beati. Ipse est in quem *desiderant angeli conspiciere*, ipse tamen habet caput adeo terribile quod ubi ostendit se capitaneum et iudicem : « Adorant Dominationes, tremunt potestates<sup>3</sup> ». Quia igitur *delicie eius sunt esse cum filiis hominum* (Prou. 8, 31), ut habitaret nobiscum, inclinauit profundissime caput

<sup>1</sup> minorata] minoratus P.

<sup>2</sup> Exemplum 9.

<sup>3</sup> Prefatio Missae.

suum, *inclinavit celos et descendit* (Ps. 22, 10). Set quando in finali iudicio eriget caput suum, ostendet se capitaneum et iudicem nostrum rigidum ; in aspectu eius omnes tremunt et timebunt, horrendum et cito apparebit tibi. Sequitur : *exiguo enim conceditur misericordia, potentes enim potenter tormenta patientur*, Sap. 6 (7).

[III] De secundo nota : apparuit humanitas Dei. Ymago alicuius numquam |108rb| potest ita proprie apparere sicut in speculo. Pictor bene facit pulcriorem ymaginem et melius coloratam, set ita bonam, ita propriam, numquam. Bonitas enim ymaginis non attenditur in pulcritudine coloris, set in assimilatione illius cuius est ymago. Modo in speculo sunt duo vitrum perspicuum et plumbum opacum, in vitro separato existente a plumbo nullus apparet ymago, set apparet in speculo existente fracto. In diuinis persona filii habet rationem ymaginis proprie, hec ymago pluries fuit confracta et amplius multa ydola fiebant antiquitus que adorabantur sicut dii, set in signum quod iste erunt false ymagines nec erunt uere dii set magis in eis habitabunt demones, legitur quod in nocte et hora Natiuitatis dominice in Egypto Roma et statua Romuli conmuta fuit et templum eius corrui. *In hoc apparuit filius Dei ut dissoluat opera dyaboli*, (I) Io. 3 (8). Iterum « summus subtilissimus artifex<sup>1</sup> » Deus pluries a contrefayte istam ymaginem, puras creaturas fecit ad ymaginem et similitudinem suam. *Ad ymaginem Dei factus est homo*, Gen. 9 (6), ex quo possumus accipere breue documentum quod bonitas hominis non consistit in exteriori pulcritudine. Fallax ergo et uana est pulcritudo, ymmo consistit in assimilatione ad Christum. Ille est melior qui Christum perfectius ymitatur. *Ymitatores mei estote sicut et ego Christi* (I Cor. 11, 1). Ymago défiguré et vermoulu solet depingi et colorari, set ymago bona facta manu artificis ita non solet depingi nec |108va| datur sibi libenter alius color quam ille que ab artifice accepit. Sic certe persona ad ymaginem Dei facta et manu Dei fabricata, si ultra pulcritudinem quam habet ab auctore nature depingit se et querit extraneam pulcritudinem, signum est quod talis ymago est putrefacta et corrupta intus in consciencia. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem ymaginis corruptibilis hominis*, Rom. primo (23). Modo numquam fuit ita subtilis artifex Deus nec alius qui posset hanc ymaginem<sup>2</sup> proprie contrefayre, sic quod ex toto assimilatur sibi. *Non est similis tui in diis*, Ier. (Ps. 85, 8), et ideo non poterat apparere hec ymago nisi in speculo, in eo qui est speculum sine macula. Ymago etiam Dei et ymago illius speculum fuit factum quando perspicuum diuinitatis fuit terminatum opaco nostre humanitatis in hoc suppremo speculo *apparuit filius Dei*, I Io. III (8), et quia in speculo fracto apparent due ymagines, ideo fuit hodie fractum uel diuisum illud speculum in circumcissione, ut ostenderet in se non solum esse ymaginem diuinitatis in qua est par per omnia simul, ymmo cum hoc naturam nostre humanitatis in qua assimilatur nobis et nos sibi. *Ego quidem mortalis homo sum similis omnibus et in uentre matris figuratus sum caro*, Sap. a (7, 1). *Scimus quoniam cum apparuerimus similes ei erimus*, Io. prima I (3, 2).

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 39 (J. Martin, SL 32, 1962, p. 234).

<sup>2</sup> ymaginem] lac. P.

[II] Circa tertium nota quod sicut iam tactum est, antequam fieret iste apparatus seruando legem circumcisionis, non poterat saluari lex peccati, unde hoc dicunt chirurgici quod lesa [108vb] aliqua parte uel aliquo membro corporis, expedit quod fiat minutio, non quidem in membro leso set in membro illeso, et hec minutio facta in membro sano est causa salutis in altero membro leso. In toto genere humano non fuit unum membrum, excepto Christo Ihesu nostro, qui non fuit lesum per originale peccatum, *a planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas* (Is. 1, 6), solus Christus est qui dicit (Ps. 25, 1) : *ego autem innocentiam ingressus sum*. Et ideo minutio circumcisionis in quocumque alio non poterat esse sufficiens causa salutis, quia licet in circumcisione tolleretur culpa originalis et conferetur sanitas gratie, tamen non conferebatur circumcisis perfecta sanitas que est salus glorie. Quia igitur solum caput erat illesum, debuit fieri minutio de uena capitis propter salutem totius corporis. *Ergo caput tamen ecclesie ipse Saluator corporis eius*, Eph. V prima (5, 23). Minutio Christi facta est hodie et ideo impositum est sibi nomen Saluatoris. *Postquam consumati sunt dies octo ut circumcideretur puer uocatum est nomen eius Ihesus* (Luc. 2, 21). De hoc nomine dicitur Act. 9 (4, 12) : *neque enim aliud nomen est sub celo datum hominibus in quo* etc. Ecce quomodo iste apparatus saluat legem peccati, primo conferendo sanitatem gratie, *apparuit gratia Saluatoris nostri*, ad Titum (2, 11), iterum conferendo salutem glorie : *quando Christus apparuit uita nostra tunc et uos apparebitis cum ipso in gloria* (Col. 1, 4). Ad quam etc.

### SERMON 43BIS

Epiphanie.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 108vb-110rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 28ra-29ra.

Plan :

Thème – L'apparition d'une étoile. La Vierge.

I – L'attente de ceux qui cherchent est comblée.

II – L'innocence de l'enfance chasse le péché.

III – Fécondité et chasteté.

F. 108vb : *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius*, Mt. III (2, 11).

[Thème] Res [109ra] modica et subtilis non potest in loco et in tempore tenebroso sine lumine de facili reperiri. Verbum abbreviat in Incarnatione, amplius breue festum in Circumcisione. In mundo isto fuit<sup>1</sup> res modica in loco tenebroso, set ut<sup>2</sup> posset inueniri, *claritas Dei circumfulsit illos* (Luc. 2, 9), scilicet pastores, et stella splendida duxit reges et sic inuenerunt. Nota quod narrat Crisostomus<sup>3</sup>, quomodo audita propheta uidetur, sicut ipse ibidem dicit, scilicet super Matthaëum, quod inuenit in libro quodam qui ascribitur Seth, quod per singulas nationes ascendebant super montem Victorialem orantes ieiunio ut Dominus uellet eis ostendere utrum in uita sua deberet impleri promissio, et factum est dum ibi essent : isti apparuit stella habens formam pueri habentis crucem super caput. Quo uiso uenerunt ducatu stelle et *inuenerunt puerum cum Maria* (Mt. 2, 11). Fuerunt enim illuminati exterius et illuminati interius et in isto lumine puerum inuenerunt. Et notandum quod sicut erat in mente eorum quod natus erat, quod patet ex eorum interrogatione (Matth. 2, 2) : *ubi est qui natus est* etc., ita inuenerunt scilicet adhuc cum matre. Ex quo patet quod qualis est in consciencia cuiuslibet, talem ipsum inueniet<sup>4</sup>. Nam si est in mente cum lumine gratie, inuenitur ut Saluator in lumine glorie. Unde Maria interpretatur illuminata<sup>5</sup>. Si autem in tenebris est consciencia, eum horribilem cum amaritudine inueniet. Precedens diligentia querentium terminatur, *inuenerunt*, a pura pueritia innocentia uitium exterminatur, *puerum*, cum carnis pudicitia fecunditas gemi[109rb]natur, *cum Maria matre eius*. Queste est eurousse pur ceo graciouse Virge pleintenouse.

[I] Circa primum nota quod ante subterfugiebat<sup>6</sup> nos, *ecce iste uenit saliens* (Cant. 2, 8-9) et iterum : *similis est capree et hynuloque ceruorum* et ideo pondus nostre masse accepit ut possemus eum capere sensibiliter. *Sentite de domino in bonitate*, Sap. I (1). Quidam sunt ita infortunati quod quicquid boni inueniunt non proficit eis. Tount sont en lor mains de nullo se sentiunt. Set istud

<sup>1</sup> fuit] sicut *add. B.*

<sup>2</sup> ut] nec *B.*

<sup>3</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Mattheus, p. 133-134.

<sup>4</sup> inueniet] inuenient *B.*

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>6</sup> subterfugiebat] subterfugiebant *B.*

beneficium factum est eis, in nullo uidentur meliorati. Alii si aliquam deuotionem concipiunt, cito effundunt, nichil sensibiliter in eis accrescit, adhuc pueri sunt sensibus effundentes bonum ferculum set boni thesaurum in terra nostre humanitatis inuentum custodiunt et per aciem deuote mentis inquirunt, donec ad aurum incorruptibile glorie perpetue ueniant. *Hoc sentite in uobis quod et in Christo Ihesu*, Phil. (2, 5). Magna bonitas Dei se diffudit olim ad nos, quando similitudinem suam nobis Deus dedit, set magis nunc, quando sensibiliter seipsum dedit, ubi patet bonitas Virginis quantam bonam fecit ut eius bonitas usque ad Deum se diffunderet et deinde ad genus humanum *ymago bonitatis illius*, Sap. VII (26), sequitur : *in simplicitate cordis* etc. (Sap. 1, 1). Oportet quod cor sit plicatum in istis inferioribus que minora sunt. Ideo quanto plus mergitur, tanto plus angustiat. Ideo numquam ibi perfecte delectatur. Set iste puer continet quod magis est corde ut sic cor [109va] totum illi offerat sine plica. *In simplicitate cordis mei letus optuli uniuersa*, primo Paral. (29, 17), aurum, scilicet sapientie quoad intellectum, thus, orationis accense quoad affectum, mirram, mortificationis carnis quo ad corpus proprium. Sequitur (Sap. 1, 1-2) : *querite illum qui inuenitur ab hiis qui non temptant illum*. Isti omnia et proprium<sup>1</sup> relinquentes quesierunt set dum diuertere uoluerunt ab Herodem, amiserunt stellam quia dum homo redit ad mundum, unde Herodes interpretatur glorians in pellibus<sup>2</sup>, non possunt inuenire. *Non inuenitur in terra suauiter uiuentium* in Iob (28, 13), scilicet sicut ipse dimisit nonaginta nouem ordines angelorum, quia nusquam angelos apprehendit, sic omnia relinquere debemus et eum querere et sic eum inueniemus, quia *qui querit inuenit*, Luc. XI (10). Sicut<sup>3</sup> qui temptat non ponit pedem solide, sic<sup>4</sup> aliqui non perseuerant et ideo non inueniunt. Ipse enim est fructus qui non inuenitur nisi in fine. *Querite et inuenietis*, Luc. XI (9). Sequitur (Sap. 1, 2) : *apparet autem hiis qui fidem habent in illum* quia per fidem uidemus in euangelium, ideo uoluit apparere in grossa carnali littera quam bene legere possemus. Unde isti reges Deum recognouerunt, *apparuit enim istis benignitas et humanitas*, Titum II (3, 4).

[II] Circa secundum nota quod sicut a luce omnia sunt lucida, sic a pueritate omnia pura et sicut lux non habet aliquam partem tenebrarum, quia *tenebre eum non comprehenderunt* (Io. 1, 5), sic oportet quod puritas sit ille a quo omnia [109vb] purificantur. Ideo iste *purgationem peccatorum faciens* (Heb. 1, 3) debuit esse puritas ipsa. Hinc est quod hodie post reuolutionem triginta annorum et XIII dierum a Natiuitate uoluit baptizari ut uim purgatiuam et regeneratiuam aquis [haberet]. Est ergo tam purus quod in aqua lotionis sue et balnei sui mundamur et purgamur. Sic si anima potest in deuotione flere, puerum balneat et secum puero et in balneo tali purgatur anima et inuenit puerum, igitur passionibus mentis uadat festinanter in Bethleem, recolens cum feruore beneficia ibi facta, ut possit balneum tale facere et puerum inuenire. Luc. II (16) de pastoribus dicitur : *uenerunt festinantes* etc. Cito currunt oculi corporis ad uidendum unam nouam uanitatem, multo magis oculi cordis ad

<sup>1</sup> proprium] propriam P.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> sicut] sic B.

<sup>4</sup> sic] sed B.

uidendum nouam ueritatem in qua mens requiescit. *Festinemus ingredi in illam requiem*, Heb. (4, 11). Quando uagatus est animus ad uanitatem et redit ad se, famelicus est nec inuenit quo reficiatur. Set in Bethleem inuenitur panis uite in presepio ut sit cibus simplicium. Ideo sequitur : *inuenerunt Mariam et Ioseph* (Luc. 2, 16). Per Mariam, id est amaritudinem quantum ad penitentes, uel stella maris<sup>1</sup>, quantum ad innocentes qui eam secuntur, et per Ioseph, id est augmentum bonorum, oportet uenire ad puerum. Quia cum homo numquam in eodem statu permaneat, oportet uel quod<sup>2</sup> crescit uel quod decreseat. Crescendo inuenit puerum [110ra] sicut promisit angelus : *inuenietis infantem pannis inuolutum* (Luc. 2, 12). Sicut certum signum dampnationis est superbia, sic certum signum redemptionis est humanitas ista. Unde ibidem : hoc nobis signum est set uerbum factum est infans ut in hoc signum ostendat quod non solum illicita, unde etiam licita loco et tempore prohibitis non debemus fari. Sequitur (Luc. 2, 17) : *uidentes autem cognouerunt de uerbo quod dictum erat ille de puero hoc*. Cum omnis cognitio fiat per assimilationem, tunc cognosci debet quando factus est nobis similis, sic nos recognoscet si inuenerit nos sibi similes, set scriptum est Ysa. (45, 4) : *assimilauit te et non cognouisti me*.

[III] Circa tertium nota quod lapidem inuenientes in tenebris se ledunt set in lumine euadunt, sic sine lumine gratie petra Christus inuenietur ut ledens set cum lumine gratie inuenietur ut saluans. Ideo necessum est querere lucem in die penitentie ut salus inueniatur. Unde signatum est hoc Luc. II (46) : *post triduum inuenerunt eum in templo*, scilicet post tres partes penitentie uel post cognitionem uanitatis mundi, post recognitionem status sui in uera cognitione et clara Dei. Sequitur : et dixit mater eius ad eum (Luc. 2, 48) : *fili quid fecisti nobis sic* etc. In dolore inuenitur quia non permittitur dolor<sup>3</sup> penitentie esse sine consolatione, ymmo clauis sui dulces sunt ad meditandum cum quibus fixus est cordi humano. Ideo hoc est dies in qua inuenitur tamquam permanens et fixus. *En ista est dies quam exspectabimus, inuenimus, uidimus*, Tren. (2, 16). Sequitur : et dixit eis (Luc. 2, 49) : *quid est quod me quere|110rb|batis, nesciebatis quia in hiis que Patris mei sunt oportet me esse*. Unde anima sancta quesit per uicos et plateas et non inuenit, ymmo ibi perditur. Set paululum *cum transissem, inueni quem diligit anima mea* (Can. 3, 4), quod cum inuenit homo, inuenit se ipsum. Si autem se ipsum perdit, se ipsum perdit. Hic est thesaurus absconditus *in agro quod qui inuenit homo abscondit* (Mt. 13, 44) ne scilicet eum perdat, quia ibi *abscondita est uita nostra in Christo*, ad Colo. (3, 3). Sequitur (Luc. 2, 19) : *et Maria mater eius conseruabat omnia hec in corde suo*, quia sicut erat casta corpore, sic et ore, ymmo nichil in eam unquam apparuit nisi castum. Alibi (Luc. 2, 19) : *Maria autem conseruabat omnia uerba hec conferens in corde suo*.

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>2</sup> uel quod] quod uel P.

<sup>3</sup> dolor] dolorem P, B.

## SERMON 44

Epiphanie.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 110rb-112rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 54vb-56rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 180r.

Plan :

Prothème – Les étoiles guident les marins. Comparaison entre la Vierge et une étoile.

Thème – Une étoile a montré le lieu du sanctuaire, lors de la Nativité.

I – Le pouvoir de Dieu est signalé par une lumière. Cette étoile est différente des autres :

- a. elle brille nuit et jour
- b. elle se dirige vers le Sud
- c. elle n'a pas un mouvement circulaire
- d. elle arrête sa course au-dessus de Jésus

F. 110rb : *Vidimus stellam eius in oriente et uenimus adorare eum*<sup>1</sup> (Matth. 2, 2).

[Prothème] Inter alias stellas celi est una que specialitate quadam uocatur stella maris. Ratio est ista quia naute quando sunt esgaré in medio mari respiciunt stellam illam et per eam diriguntur qua parte debeant ire, qua parte debeant gubernaculum nauis uertere. Salomon comparat uitam hominis in hoc mundo uie nauis in medio mari (Prou. 30, 19) : *uiam nauis in medio mari uiam uiri in adolescentia sua*. Dicit quod bene difficiliter est inuenire rectam uiam salutis in medio huius mundi quam uiam nauis in medio maris. Super terram facile est uias inuenire : si una quadriga uel due transeunt, statim uestigium remanet, uia quadrigae statim apparet. Set per mare, id est per<sup>2</sup> |110va| Mariam, naues possent transire antequam apparent ibi ne uoye ne sentier. Sic spiritualiter omnes oportet mare mundi transire, du siecle trespasser. *Hoc mare magnum etc. Illic naues pertransibunt* (Ps. 103, 25-26). Vidimus frequenter et cotidie uidemus naues mare transeuntes, patres nostri omnes mare transierunt et tamen ex quo transierunt nullus potest certitudinaliter scire quam uiam tenuerunt, utrum uiam celi, purgatorii uel inferni. Sicut nauis que pertransit fluctuantem aquam cuius tamen preteriit non est uestigium inuenire nec semitam carnis eius in fluctibus, sic et nos cum ceperimus continuo desimus esse. Ergo difficile est in mari huius mundi inuenire directam uiam salutis. Audeo dicere quod non est ita prudens nauta qui non sit tout esgaré, nullus potest habere perfectam certitudinem utrum sit in uia dampnationis uel salutis. Nemo scit *utrum odio uel amore dignus sit* (Eccle. 9, 1). Ideo dicebat Ps. (76, 20) : *in mari uia tua et semite tue in aquis multis et uestigia tua non cognoscentur*. Naute ergo debent se ad stellam maris dirigere. Stella maris<sup>3</sup> est<sup>1</sup> Maria, naute alios per mare ducentes sunt

<sup>1</sup> eum] prothema pro sermone quem habes supra de eodem themate *add. B.*

<sup>2</sup> per *om. B.*

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.



predicatores, ad litteram primi predicatoris fidei de nautis uel piscatoribus facti sunt. *Faciam uos fieri piscautores hominum* (Matth. 4, 19). Ideo Iohannes, in canonica sua, linguam predicatoris comparat gubernaculo naute uel nauis sicut *naues* |110vb| *in mari cum magne sint et a uentis ualidis mouerentur, circumferuntur a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis uoluerit* (Iac. 3, 4). Ita et lingua modicum quidem membrum est et magna exaltat. Dicit quod sicut modicum gubernaculum uertit magnam nauem hinc inde secundum uoluntatem naute, sic lingua predicatoris, que modicum membrum est, commouet unum magnum populum et facit eum conuerti ad uitam gratie et reuerti a uia peccati. Modo maius magisterium est bene gubernare linguam ne homo offendat in uerbo quam regere maiorem nauem uel galeam que sit in mari. Multum est perfectus nauta qui bene scit hoc gubernaculum regere. *Qui non offendit in uerbo hic perfectus est uir*, canonica Ia. (3, 2). Ergo tamen propter uiam quam difficile est inuenire, tamen propter gubernaculum quod difficile est bene regere, debent se naute ad stellam maris dirigere. Figuram ad hoc [habemus] in stella que magos duxit uenientes ad Ihesum, unde dicunt (Matth. 2, 2) : *uidimus stellam eius* etc. Applica. Ego sum nauta esgaré qui nec uiam scio uobis ostendere nec gubernaculum lingue regere, nisi stella maris uelit me dirigere. Ideo in principio sermonis respiciemus eam deuote oculis cordis dicentes *Aue Maria* etc.<sup>2</sup>

[Thème] *Vidimus stellam eius in oriente et uenimus adorare eum*. Pretiosum sanctuarium sicut caput Iohannis uel Pauli non libenter ponitur extra capsam et ostenditur |111ra| peregrinis quin attendatur aliquid luminare. Sanctuarium olim fuit inclusum et firmatum in paupercula capsula uteri uirginalis. *Sanctuarium tuum Domine quod firmauerunt manus tue* (Ex. 15, 16). Sanctuarium illud non fuit tantum caput unius uel duorum sanctorum set omnium, unde Apostolus : *ipse est caput corporis ecclesie*, Colo. I (18). Illud scilicet fuit positum extra capsam in die Natiuitatis et ideo ex tunc, ut ostenderetur peregrinis ad orandum, ostensum fuit luminare nouum. Stella noua apparuit in Caldea que sanctuarium hodie magis adorandum ostendit. Unde dicunt : *uidimus stellam* etc. Ubi duo uocantur. Primo caput celestis imperii demonstratur interius cum lumine : *uidimus stellam in oriente*. Secundo caput terrestris domini humiliatur sub eius culmine : *et uenimus adorare eum*.

[I] Circa primum nota quod experimentum naturale est : si aliquis non possit respicere solem in illa claritate quam habet in celo, accipiat peluim mundam, implens eam aqua clara et apponat eam soli ; statim uidebit in pelui uirtute radii incidentis unum paruulum solem in quantitate minori quam sit sursum in celo et plus uidebitur ei quod sol transeat extra uel ultra peluim, ipsa tamen pelui integra remanente, iterum iuxta solem uidebit quasi modicam stellam. Sic quia ars ymitatur naturam et opera Dei sunt artificia, ipse enim est *omnium artifex* (Sap. 7, 21) omnem habens uirtutem, hodie in operibus Dei simile inuenitur. Cum enim radius procedens a sole, filius |111rb| a patre, intrauit peluim mundam, mundissimum uterum uirginis, quia Virgo plena erat clara aqua gratie Spiritus<sup>3</sup> Sancti, tunc

<sup>1</sup> est] in B.

<sup>2</sup> Aue – etc. om. B.

<sup>3</sup> gratie Spiritus] Spiritus gratie exp. B.

sol diuinitatis qui ab humano oculo uideri non poterat, *Deum nemo uidit umquam* (I Io. 4, 12) – nec mirum quia claritas eius quam habet in celo tanta est quod excedit capacitatem intellectus humani, tunc, inquam, apparuit sol in parua quantitate in forma pueri paruuli. Iterum sol iste transit extra peluim, ipsa manente integra. Ipse enim matris integritatem non minuit set sacrauit. Merito ergo iuxta solem apparere debuit noua stella, et bene iuxta, quia licet primo apparuit in Caldea, *tamen stella quam uiderant in oriente antecedebat eos usque dum ueniens staret supra ubi erat puer* (Matth. 2, 9). Ubi nota quod in auctoritate innuitur quadruplex differentia huius stelle ad alias.

[a] Differabat enim primo in claritate quia die et nocte lucebat, alie de nocte solum apparent. Alie enim stelle facte sunt ut *preessent diei ac nocti et diuiderent lucem ac tenebras*, Gen. (1, 18). Ideo quia diuidit unum altero, non est utrique commune, stelle non debent equaliter apparere de die et de nocte set de nocte solum. Set stella hec facta est ut ostenderet unionem diei et noctis, quam unionem predixerat Ps. (138, 12) : *tenebre non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur* etc. Spiritualiter stelle a principio mundi facte ut diuiderent diem et noctem fuerunt Adam et Eua, qui per peccatum suum posuerunt dissensionem inter diem [111va] diuinitatis et noctem humane nature. Tenebre facte sunt per peccatum originale. *Fiant luminaria in firmamento celi et diuident diem et noctem* (Gen. 1, 14). Dissentio ista sedari non potuit uel nox diei reuniri quousque in utero Virginis humanitas fuit unita diuinitati. De hac unione dicitur in Io. (1, 5) : *lux in tenebris lucet*. In hoc nota quod quicumque diuisit se a Deo per peccatum : *iniquitates uestre diuiserunt inter uos et Deum uestrum* (Is. 59, 2), recurrere debet ad beatam Virginem. Ipsa est enim per quam nox diei reunitur, peccator Deo reconciliatur. Illa ergo stella que ideo facta est ut ostenderet unionem diei et noctis, humanitatis et diuinitatis, merito sicut de nocte ita et de die lucere debebat, ut *sicut tenebre eius ita et lumen eius* (Ps. 138, 12). Hec est prima differentia in claritate. Unde *stella differt a stella in claritate* (I Cor. 15, 41).

[b] *Stella ergo quam uideant*, sequitur : *in oriente*. Ista est secunda differentia : hec enim stella tendebat ab oriente uersus meridiem, alie autem non sic. Stella hec que magos ducebat ad Christum ostendit optime que sit directa uia ueniendi ad Deum, scilicet ab oriente uersus meridiem. Sol tendens ab oriente in meridiem continue ascendit, non stat nec retrocedit et quanto altior, tanto calidior. Sic uia ueniendi ad Deum est procedere de bono in melius. *In sanctorum enim semita quasi lux splendens crescit et proficit usque ad perfectum diem* (Prou. 4, 18), tendere ab oriente uersus meridiem. Mt. (8, 11) : *multi ab oriente ueniunt et recumbent cum Abraham, Ysaias et Iacob in* [111vb] *regno celorum*. Nullus status est ibi quia in uia Dei non progredi, regredi est, set quanto cum maiori conatu nititur nunc ad Deum ascendere, tanto magis habundat in eo lumen gratie<sup>1</sup> et magis intenditur ; secundum enim maiorem conatum, secundum hoc caritas magis ac magis habundat. *Sic ergo ambuletis ut habundetis magis* (I Thess. 4, 1). Iste non est communis cursus stellarum : plures

<sup>1</sup> in – gratie] lumen gratie in eo B.

hodie uadunt retrocedendo de malo in peius quam proficiunt<sup>1</sup> de bono in melius et tamen *nemo mittens manum ad aratrum* etc. (Luc. 9, 62). Directam ergo uiam perueniendi ad Christum docet nos stella que magos ducit ab oriente uersus meridiem. *Orietur stella ex Iacob* etc. (Num. 24, 17).

[c] Tertia differentia est quia motus aliarum circularis est, ille fuit regularis. Unde dicitur : antecedebat eos. Dicunt logici quod quando de antecedente fit consequens et e contra fit fallacia consequentis, nisi consequens destruat. Ad destructionem enim consequentis arguere non est fallacia. Spiritualiter cuilibet nostrum in oriente sue Natiuitatis dedit Dominus stellam antecedentem, rationem scilicet que debet antecedere et dirigere hominem in omnibus factis suis. Sensualitas debet esse consequens, tunc decipitur homo per fallaciam consequentis, quando ratio, que debet antecedere, sequitur sensualitatem. Vis uitare fallaciam ? Neges uel destruas consequentes, neges, renuas sensualitatem que petit, destruas per opera penitentie incentiua libidinum que sunt in carne. Sic poteris uitare fallacias et deceptiones dyaboli, |112ra| figuram ad hoc Ex. XVII (5) dictum est Moysi : *antecede populum et sume uirgam in manu tua*. Quamdiu antecedens ratio tenet uirgam correctionis cum qua carnem castigat et desiderium carnis reprimit, tamdiu negotium bene uadit set Moyses simul<sup>2</sup> proiecit<sup>3</sup> uirgam in terram et *statim uersa est in colubrum* (Exo. 7, 10). Expone. Hanc stellam antecedentem gloriabatur se habuisse sapiens qui dicebat : *letatus sum in omnibus quoniam antecedebat me ista sapientia*, Sap. (7, 12).

[d] Quarta differentia est quia alie stelle mouentur continue nec quiescunt. Hec autem stetit *supra ubi erat puer* (Mt. 2, 9). Nec mirum quia omnis motus rectus inter duo puncta necessarie terminatur ad quietem et est quies illa in ultimo puncto, set quod mouetur de puncto ad punctum certitudinaliter non est necesse quod quiescat quando uenit ad punctum. Versus igitur sol quia mouetur ab oriente in occidentem in rota firmamenti, quando uenit ad punctum occidentis, ibi non quiescit set sine quiete reuertitur, *oritur sol et occidit et ad locum suum reuertitur* (Eccle. 1, 5). Modo alie stelle motu circulari mouentur, hec autem motu<sup>4</sup> recto, ideo etc. Spiritualiter tota uita presens est quidam motus inter duo puncta orientis et occidentis, natiuitatis et mortis. Modo illi qui stellam uel lucernam corporis, que est oculus cordis, situatam habent et fixam in rota bonorum fortune, nullam requiem habent nec in presenti « quia fecisti nos Domine ad te et inquietum est cor nostrum donec quiescat in te », Augustinus<sup>5</sup>, nec inuenient requiem in futuro. Quando |112rb| enim uenient ad punctum occidentis, punctum mortis, non inuenient requiem animabus suis. Non ergo situetur cor uestrum in rota fortune set inter mundanas uarietates ubi nostra fixa sint<sup>6</sup> corda ubi uera sunt. Item si uolumus inuenire requiem animabus nostris in puncto occidentis, debemus ab oriente in occidentem procedere secundum lineam rectam uoluntarie paupertatis. Illa linea recta est quia medium non deuiat

<sup>1</sup> proficiunt] proficiendo B.

<sup>2</sup> simul] semul P, B.

<sup>3</sup> proiecit om. B.

<sup>4</sup> motu] moto B.

<sup>5</sup> Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, I, 1 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

<sup>6</sup> sint] sunt B.

ab extremis, ille motus rectus terminatur ad requiem paradysi. *Beati enim pauperes quoniam ipsorum est regnum celorum* (Matth. 5, 3). Ibi constituisti lucidissimas mansiones ubi requiescunt sanctorum anime, ad illud ubi nos perducatur ille cuius ubi hodie querebant magi dicentes (Mt. 2, 2) : *ubi est qui natus est etc.*

## SERMON 45

Sainte Agnès.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 112rb-114ra ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 184r.

Plan :

Thème – Une fois les fiançailles terminée, la fiancée s’installe chez son futur époux. Comparaison avec l’homme qui quitte son corps.

Division – Le mariage d’Agnès avec le Christ

I – Ce mariage est protégé par la charité.

II – Le martyre.

F. 112rb : *Nuptie facte sunt in Cana Galilee* (Io. 2, 1).

[Thème] *Sponsa que quamdiu durat tempus sponsalium, moratur in domo propria uel in domo parentum, transacto tempore sponsalium, in ipsa die nuptiarum transfertur de domo parentum ad domum et thalamum sponsi et non in domo sponse. Hoc pro tanto dixi quia agnus sponsus uirginum intra cuius thalamum nuptie celebrantur in domo Christus est. Qui habet sponsam sponsus est, in Ioh. (3, 29). Domus nuptiarum est regnum celorum, unde in Mt. (22, 2) : simile est regnum celorum homini regi qui fecit nuptias etc. Sponsa uxor agni est quelibet anima fidelis. Hanc amari et exquisiui eam* (Sap. 8, 2). Sequitur : *quesiui sponsam mihi eam assumere et amator factus forme illius. Domus propria* [112va] *huius sponse uel potius domus parentum est domus nostra lutea que terrenum habet fundamentum* in Iob (4, 19). Hanc domum describens alibi loquitur<sup>1</sup> (Iob 17, 13) : *infernus domus mea est et in tenebris strauis lectulum meum*. Et recte habitare in mundo est recte habitare in quodam inferno. Sequitur (Iob 17, 14) : *putredini dixi pater meus es, mater mea et soror mea uermibus*. Si putredo et uermes sunt parentes nostri, cum caro nostra sit domus putredinis et domus uermium, patet quod anima, quamdiu manet in carne, moratur in domo parentum. In hac domo parentum non celebrantur nuptie set sponsalia tantum, quod patet sic. Hec est differentia inter sponsalia et nuptias, que sunt promissio futuri matrimonii, etiam si sit iuramento uel fidei datione firmata, faciliter soluuntur et in multis casibus diminuuntur. Soluuntur enim sponsalia ipso iure per matrimonium cum alia uel alio contractum, etiam per fornicationem sponsi uel sponse soluuntur sponsalia, etsi non ipso iure, saltem auctoritate ecclesie, set nuptie perfecte numquam soluuntur uiuente utroque coniuge. Apostolus, I Cor. VIII (7, 39) : *mulier cum alligata uiro quamdiu uiuit*. Spiritualiter enim, quamuis sponsalia inter animam fidelem et Christum sint firmata fidei datione, hoc est sacri baptismatis susceptione, Osee (2, 20) : *sponsabo te mihi in fide*. Anima enim quamdiu manet in carne non est sic coniuncta Deo inseparabiliter uel indissolubiliter quin sponsalia possint solui ualde faciliter, quotiens anima Christo desponsata [112vb] fornicatur, id est in alio quam in sponso suo Christo delectatur ;

---

<sup>1</sup> loquitur] dicit *add. P.*

quotiens enim per consensum de presenti in peccatum mortale contrahit matrimonium cum dyabolo, totiens soluuntur inter ipsam et ipsum. Infelix anima que una miseria delectatione perdit donum Spiritus Sancti et elemosinam ! Osee III (3) : *fornicabuntur filie uestre et sponse uestre adultere erunt*. Durante ergo tempore sponsalium, quamdiu maneat anima in domo parentum, nuptie non celebrantur. Hec omnia optime designantur per hoc quod *nuptie facte sunt in Cana Galilee*. Galilea interpretatur transmigratio<sup>1</sup> et a Gala que est lac, quia homines Galilei candidiores sunt ceteris Palestinis. Galilea ergo est ciuitas illa celestis cuius *Nazarei candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo saphiro pulciores* (Can. 4, 7), set quod nuptie fiunt in Cana Galilee quod interpretatur transmigratio set figuratiue designat quod sollempnitas nuptiarum agni non incipit donec anima migrat a corpore, donec transferetur de domo parentum ad domum et thalamum sponsi sui, iuxta illud : ueniente sponso, prudens uirgo preparata introiuit *cum eo ad nuptias* (Matth. 25, 10). Set dicitur in Cana Galilee : Cana est quidem uicus Galilee et interpretatur oleatio<sup>2</sup> uel emulatio. Et certe quamuis in Galilea ceteri sunt mansiones multe, quia uici diuersi : *in domo Patris mei mansiones multe sunt*, Io. XVIII (14, 2) et III Reg. (9, 11) dicitur : *XX oppida in terra Galilee*, ibi est enim uicus prophetarum etc. et uicus uirginum, |113ra| quamuis inquam ita sit cum nuptie agni, similiter celebrantur in uico uirginum, dicente Apostolo II Cor. XI (2) : *emulor enim uos Dei emulatione despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo*. Hic uicus est zelus caritatis castitate uirginitatis. *O quam pulcra est casta generatio cum caritate*, Sap. III (1). Unde transmigratio tempore sponsalium migrat de domo parentum ad domum et thalamum sponsi sui in qua domo sollempnitas nuptiarum agni celebratur<sup>3</sup>, ideo dixi congrue : *nuptie facte sunt* etc.

[Division] Ubi apparet quod matrimonium inter Agnetem et agnum sub caritatis pallio copulatur. Nuptie dicuntur ex tegere, quia nubentes sub panno teguntur et ibi benedicuntur. Igitur hoc matrimonium sub caritatis pallio copulatur, *nuptie*, carnis martirio consumatur, *facte sunt*, nec castitatis lilio derogatur, quia fertur *in Cana Galilee*. Gallice : cele mariage amour le joint et carité le ferme, more pas n'ele desioure a touz le plus conferme, et mout plus le comomt taunt est chasté plus ferme.

[I] Primo dixi etc. Caritas pallium quod, secundum Apostolum, *caritas operit multitudinem peccatorum*, I Pe. III (4, 8), set dicitur pallium nuptiale pro tanto quod in nuptiis sub panno uel pallio ponitur, non solum sponsa cum sponso, ymmo etiam pueri lacrimandi, sic ponitur sub pallio caritatis. Primo sponsa copulatur sponso ; per caritatem enim anima unitur et |113rb| coniungitur Christo, dicente sponsa in Cant. (6, 2) : *ego dilecto meo et dilectus meus mihi et ego illi*, et tamen hic ponuntur filii lacrimandi. Filius dicitur quia fuit ut ille, filius ergo quem tu debes esse proximus tuus, quem secundum euangelium debes ut te ipsum amare, Luc. III (10, 26) : *in lege quid scriptum est quomodo*

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 131.

<sup>2</sup> Non inveni.

<sup>3</sup> celebratur] celebrantur P, B.

legis, sequitur (Luc. 10, 27) : *diliges Dominum Deum tuum* etc. Ecce quod sub pallio caritatis non solum ponitur sponsa cum sponso, set cum lacrimandis. Anima ergo desponsata Christo non debet se ipsam diligere sponsum suum set debet pallium caritatis expandere ad quemlibet proximum, Ruth. III (9) : *expande pallium tuum super famulam tuam quia propinquus es*, set heu in Ysa. (28, 20) dicitur quod *pallium breue utrumque non operire potest*. Pallium caritatis nunc aliquibus [est] adeo breue et curtum quod non potest operire nisi unum tantum, hodie quilibet ita diligit solum se ipsum. *Erunt homines se ipsos amantes*, II Thim. III (2), quod nullus curatur de bono proximi, nullus de utilitate communi. Tamen Augustinus<sup>1</sup> dicit : « Quanto amplius rem communem quam propriam uestram curaueritis » etc. usque ibi : « Superemineat que permanet est caritas ». Superemineat in contrario ad modum panni uel pallii de qua dictum est illi qui intrauerat ad nupcias (Matth. 22, 12) : *amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nupciale*. Proiectus est ille in tenebras exteriores. Sic qui caritatem non habet, excluditur a nuptiis regis eterne et mittitur in tenebras exteriores inferni. Sub hoc pallio caritatis [113va] copulatum est matrimonium inter Agnetem et agnum, dicente ipsa ad filium prefecti<sup>2</sup> : « Discedite a me, pabulum<sup>3</sup> mortis, iam quia ab alio amatore preuenta sum<sup>4</sup> », quasi dicat : iam alium maritum, et alibi<sup>5</sup> : « Amo Christum, in cuius thalamum introiui. » De hoc matrimonio Agnetis [et] Agni consecuto sub pallio caritatis loquitur pulcre, ideo Apoc. (19, 7-8) : *uenient, inquit, nuptie agni et uxor eius preparauit se et datum est illi ut cooperiat se bissino splendido et candido*. Felix sponsa que iam habet presentem amatum : *iam uenerunt nuptie Agni*, cui<sup>6</sup> prebet feruentem conatum, *et uxor eius preparauit se cui sponsus prebet fulgentem ornatum et datum est illi ut cooperiat se*. Gallice : *byen ad costé trové soun pareyl, mout avoyre avoit fet grant apareil, robe si clere cumme soleil*. Dico ergo quod sponsa etc. Si illi sunt beati et *ad cenam nuptiarum agni uocati sunt*, in Apoc. (19, 9), multo magis est Agnes beata que, ueniente Domino, introiuit cum eo ad nupcias. Ipsa enim dicit<sup>7</sup> : « Iam corpus meum sociatum est », et iterum<sup>8</sup> : « Ecce quod concupiui iam uideo, quod speraui iam teneo, illi sum iuncta in celis. Ecce quod iam habeo presentem amatum quem in terra posita tota intentione dilexi. » Hoc est hoc quod prebet feruentem conatum. Uxor preparauit se, ipsa est altera Hester que interpretatur<sup>9</sup> preparata in tempore, pro cuius coniunctione et nuptiis rex Assuerus *iussit conuiuium magnificum preparari*, Hest. [113vb] II (18). Hoc quod uideo in Apocalipsi adeo preparatam sponsam<sup>10</sup> ornatam uiro, ipsa enim dicit : *mel quasi lac* (Cant. 4, 11) ex ore eius susceptum et sanguis eius ornauit genas meas. Ecce tamen sponsus prebet ei fulgentem ornatum et

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, epist. 211, par. 12 (A. Goldbacher, CSEL 57, 1911, repr. 1961, p. 366).

<sup>2</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Agnes, p. 169. CAO, 3, 2251 (antiphon, office de sainte Agnès, in primo nocturno).

<sup>3</sup> pabulum] per obliuionem P, B.

<sup>4</sup> preuenta sum] preueta in it P.

<sup>5</sup> CAO, 4, 6084 (répons, s. Agnès, in secundo nocturno).

<sup>6</sup> cui] que P, B.

<sup>7</sup> CAO, 4, 7029 (répons, s. Agnès, in tertio nocturno).

<sup>8</sup> CAO, 3, 2539 (antiphon, s. Agnès).

<sup>9</sup> Non inveni.

<sup>10</sup> preparatam sponsam] preparata sponsa P.

datum est etc. Primo quidem ad litteram : *datum est illi ut cooperiat se*. Legimus enim quod tyranus iussit eam nudam ad lupanar duci set statim ceruo soluto tantam dempsitatem capillis eius diuina gratia concessit, ut melius eorum fimbriis quam uestibus tecta uideretur. Secundo spiritualiter : *datum est illi ut cooperiat* [se] bissino splendido, hoc est pallio caritatis candido per uirginitatem, splendido per honestam conuersationem. Induit, inquit, me Dominus ciclade auro texta et in manibus monilibus ornauit me. *Byssus et purpura indumentum eius*, Prou. (31, 22). Color purpureus signat martirum et ideo dictum est a principio quod matrimonium illud sub caritatis pallio copulatur et carnis martirio consummatur. *Nuptie facte sunt*.

[II] In hoc differt spirituale matrimonium a carnali : illud per mortem soluitur, illud in morte consummatur. Christus moriendo dicit : consummatum est per corporum coniunctionem, illud per corporis dissolutionem, quod auertens Apostolus dicit (Phil. 1, 23) : *cupio dissolui et esse cum Christo*. Est multo melius propter quod iam Agnes corpus suum martirizari fecit et dissolui uoluit, moriens obdormiuit in sinu et gremio sponsi sui et sic consummate sunt nuptie, iuxta illud Luc. |114ra| XVI (22) : *factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinu Abrahe*, et sic sustinuit tam grauem iacturam, *factum est ut moreretur*, ideo meruit suauem uecturam, *portaretur* etc. Hoc bene concordat cursui nature : in hiis enim que fiunt per motum continuum et successiuam transmigrationem, non sunt simul fieri et factum esse. Sunt autem simul in hiis que fiunt per subitam mutationem. Mors peccatorum pessima, continua set sucessiua, moriuntur et numquam sumuntur, quod innuit Ps. (48, 15) dicens : *sicut inferno positi sunt, mors depascet eos*. Loquitur ad modum herbe prati que continue pascitur et semper restat<sup>1</sup> aliquid ad pascendum, non totaliter euellitur. Ideo mors peccatorum pessima numquam est in facto<sup>2</sup> set in fieri, iuxta illud (Ps. 108, 19) : *fiat ei sicut uestimentum quod cooperitur et sicut zona* etc. Set mors martirum preciosa est subita et momentanea. « Momentaneum est quod delectat, eternum quod cruciat<sup>3</sup>. » I ad Cor. (II Cor. 6, 9) : *quasi morientes et ecce uiuimus*. Ideo hoc fieri et factum esse simul sunt. In Gen. (1, 8) : *factum est uespere et mane* etc. Vespere occasus per mortem nature, mane ortus ad uitam glorie. Factum est dies unus, ecce fieri et factum esse simul, quasi enim mori sit corrumpi et corruptio unius sit generatio alterius. Beata enim Agnes moriendo morte nature regenerata ad uitam glorie, et ideo quod perfectum est in ipso uita erat, ad quam uitam nos perducet etc.

<sup>1</sup> restat] restatur P.

<sup>2</sup> facto] esse add. P.

<sup>3</sup> Caesarius Arelatensis, *Sermones Caesarii uel ex aliis fontibus hausti*, 149, 4 (G. Morin, SL 104, 1953, p. 611).



**SERMON 46**

Saint Vincent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 114ra-rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 42vb.

F. 114ra : *Vincenti dabo manna absconditum*, Apo. II (17).

Quantumcumque dulcedo desideretur, si cum dif[114rb]ficultate habetur, plus reputatur. Ideo Petrus cum difficultate uictorie trium bellorum ueniens ad dulcedinem Dei, plus de ea sensit. Qui difficilius accedit, dulcius gustat<sup>1</sup>, et hoc *ut suggeret mel de petra* (Deut. 32, 13). Nota tria que sunt actus probitatis, *uinenti*, opus largitatis, *dabo*, cibus leuitatis, *manna absconditum*.

De primo *uinenti dabo edere de ligno uite, quod est in paradiso Dei mei* (Apoc. 2, 7). Manna erat candidi coloris, ideo uirgini debebatur.

De secundo<sup>2</sup> Apo. (3, 21) : *qui uinceret dabo illi sedere mecum in trono meo*. Sic ergo nostram uictoriam habuerat in scola fidei, ignis non liquefaciebat in ea, set modicus radius solis, sic propter radium doctrine meruit liquefactionem dulcedinis diuine.

De tertio in Ps. (77, 24) : *pluit illis manna ad manducandum et panem celi dedit illi*, Stephano et Petro, nam lapides torrentes illi dulces fuerunt, isti uulnera dulcia, unde manna erit *quasi pilo*<sup>3</sup> *tumsum* (Ex. 16, 14).

---

<sup>1</sup> gustat] dum fit ergo in petra fidei pe te uesti ad pe Christum promeretur uictoria *add. P; non inveni.*

<sup>2</sup> secundo] hoc *B.*

<sup>3</sup> pilo] puero *B.*

## SERMON 47

Conversion de saint Paul.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 114rb-vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 31vb.

F. 114rb : *Domine quid me uis facere*, Act. (16, 30).

Religiosi non sunt perfecte conuersi donec profiteantur et tunc ponuntur in alterius uoluntate a qua non licet eis de cetero resilire. Ideo conuersio beati Pauli professio<sup>1</sup> debet dici, quia ita perfecte fuit ad Deum uersus quod non resiliuit in posterum, semper et in omnibus obediens diuine uoluntati, sicut professus<sup>2</sup> est quando dixit, recognoscens [114va] Deum Dominum, et uoluntati eius se subiciens. Ergo humiliter se submittit dominio principali, *Domine*, totaliter se conuertit uoluntati generali, *quid uis*, uicarium nullum mittit set offert de personali, *me*, neque de uerbo promittit set de opere reali, *facere*.

Circa primum, nota quod hec est *mutatio dextere excelsi* (Ps. 76, 11) contra quos prius penis subdebat seruos Christi, nullus seruus<sup>3</sup> se subdit Christo homagium promittendo et Dominum confitendo. Ieronimus<sup>4</sup> : « Ecce nos uenimus ad te qua grauamur in curia mundi. » *In mundo pressuram habebitis* (Joh. 16, 33), ideo ad te superiorem recurro, *ad te Domine clamabo*, Ps. (27, 1). Sequitur : *tu enim es Dominus Deus meus* (Ps. 39, 18). Quicquid enim inferior precipit quod preindicat superiori, non est obediendum set ad superiorem recurrentum. Ideo si caro, si mundus, si dyabolus nos infestant, non obediamus set de eis Deo conqueramur. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me* (Ps. 3, 2).

Circa secundum, nota quod sicut ad unum generale imperium, uoluntas ducis omnes separant diuersi mode, tamen secundum diuersa officia, sic ad uoluntatem Dei manus, pes et oculus et omnia debent sua officia exercere, quod impleuit iste. Unde potest dicere illud Ps. (39, 8) : *in capite scriptum est de me*, quasi dicat : ad hec officia scriptus sum caput prophetarum, Ysa<sup>5</sup>. Unde primus ordinatur quia psalmus non ponitur in illo ordine ubi dicitur de uerbo cuius uas fuit Paulus, non reuertetur ad uacuum quia *impleuit illud* (Ps. 128, 7). Sequitur (Ps. 39, 9) : *ut faciam uoluntatem tuam Deus meus uolui*. Ecce obediens suam uoluntatem conformat uoluntati sui superioris. *Non sic ego uolo set sicut tu uis* (Matth. 26, 39). Sequitur (Ps. 39, 10) : *anuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna ecce labia mea non prohibebo Domine tu scisti*. Ymmo capite labia Christum sonabunt.

<sup>1</sup> professio] prouessio B.

<sup>2</sup> professus] prouessus B.

<sup>3</sup> nullus seruus] nullum seruum P, B.

<sup>4</sup> Non inueni.

<sup>5</sup> Non inueni.

Circa tertium, nota quod reprehensibilis est qui obligatus est alteri et non soluit ei quod habet in promptu. Personas nostras habemus in promptu quas debemus Deo, ideo Ps. (142, 9) : *eripe me inimicis meis Domine ad te confugi, doce me facere uoluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Circa quartum nota quod paruum reputantur<sup>1</sup> uerba nisi sequuntur facta. Ideo in Mt. (7, 21) : *non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum celorum set qui facit uoluntatem Patris mei, qui in celis est.*

---

<sup>1</sup> reputantur] reputat B.

## SERMON 48

Chaire de saint Pierre.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 114vb-117va ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 184rv.

Plan :

Thème – Différence entre la faculté de droit et celle de théologie. Le Christ nous enseigne toutes les disciplines. Il a deux écoles :

- a. l’Eglise triomphante
- b. l’Eglise militante

Division – Pour accéder au trône est nécessaire :

I – La sagesse.

Division 2 (II Reg. 23, 8) : Pierre accède à la chaire :

- a. force et récompense
- b. honneur et valeur
- c. crainte

F. 114vb : *In cathedra Dei sedi*, Eze. XXVII (28, 2).

[Thème] *Scola legum et scola theologie in hoc differunt quia in scola theologie numquam discipulus aliquis sedet in cathedra magistrali ut uices magistri suppleat, set in scola legum hoc fit frequenter, quia doctor absens loco sui ponit discipulum intelligentem in cathedra magistrali. Si igitur unus et idem magister duplicem scolam reget theologie et legum, discipulus in scola legum suppens uicem doctoris in cathedra magistrali posset per Actus dicere : Ego sedi in cathedra magistrali magistri theologie. Hoc ideo dixi quia Christus utriusque magister noster : |115ra| *magister noster unus est Christus* (Matth. 23, 10), duplicem scolam regit, unam theologie, hec est ecclesia triumphans seu collegium beatorum, alia legum que est ecclesia militans seu collegium uiatorum *legum in uia*, Ps. (24, 12).*

[a] Hec omnia declaro primo quod collegium beatorum sit scola theologie, patet ex nomine. Theologia enim dicitur a theos quod est deus, et logos quod est sermo uel uerbum. Soli ergo beati qui continue uident et clare in uerbo Dei sunt uere theologi. Scriptura alios dicit deos Deo, id est theologos ad quos sermo Dei factus est. Set quod collegium uiatorum sit scola uel studium legistarum patet sic : principale studium legistarum est scire concordare dissonantias et repugnantias legum contrariarum, nec est bonus legista qui nescit concordare et dissoluere leges contrarias, modo ita est quod quilibet uiator in codice cordis sui inuenit scripturas duas leges ualde contrarias, legem scilicet mentis et legem carnis, legem Dei et legem peccati. In istis legibus studebat Apostolus dicens (Rom. 7, 23) : *uideo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee et captiuum me ducentem in legem peccati* que est in membris meis, et sequitur ibi (Rom. 7, 25) : *ego ipse mente*

*seruio legi Dei carne autem legi peccati.* Quod leges iste contrariantur probo : secundum logicos lex contrariarum talis est quod una aliam interimit. Sic est recte de lege carnis et lege mentis. Hec enim sibi inuicem aduersantur [115rb] quia caro spiritum et spiritus carnem interimit, dicente Apostolo (Rom. 8, 13) : *si secundum carnem uixeritis moriemini si autem spiritu facta carnis mortificatis uiuetis.* Leges autem iste sunt contrarie. Sapientia carnis inimica est Deo, legi autem Deo subiecta non est. Ecce principale. Studium uiatorum dicitur esse ad tollendum repugnantia<sup>1</sup> istarum duarum legum, ad tollendum per opera penitentiae rebelliones carnis ad spiritum. Iste solus est bonus legista qui bene concordat ad spiritum istas duas leges. Iste solus bene seruat legem Dei qui ad hoc studet ut caro non rebellet, set obediat spiritui, set heu in Ps. (13, 1) dicitur : *corrupti sunt et abhominabiles facti sunt in studiis suis.* Legista studens in libro corrupto et defectuoso, ut defectus corrigat et falsitates deleat, sic studendo proficit, set studens in libro corrupto, non ut eum corrigat set ut falsis qui legit adhereat, talis sic studendo non proficit set turpiter errat. Libri legum sunt corda uel consciencie hominum. Ier. II (31, 33) : *dabo legem in uisceribus eorum et in corde eorum scribam illam.* Libri cordium in quibus debet esse scripta et impressa lex Dei, Ysa. LI (7) : *populus meus lex mea in cordibus eorum,* et Ps. (36, 31) : *lex Dei eius in corde ipsius,* frequenter inueniuntur defectuosi et ualde corrupti quia lex Dei corrumpitur per legem peccati. Abacuc primo (1, 4) : *lacerata est lex.* Ille igitur qui legit in libro consciencie sue, non ut eam [115va] corrigat, non ut peccata deleat, set potius rememorat ut in eo iterum delectetur et ei amplius adhereat, talis studendo non proficit. Ymmo de talibus dictum est : *corrupti sunt et abhominabiles facti sunt in studiis suis* (Ps. 13, 1). Set ille qui studet in libro consciencie sue ut eam corrigat, ut peccatum deleat et defleat, iuxta illud Ps. (118, 136) : *exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam,* talis studens librum corruptum proficit ualde. Hoc modo studebat Apostolus qui dicebat (Act. 24, 6) : *in hoc ipse studeo conscienciam sine offendiculo habere ad Deum et ad hominem semper.* Hoc etiam modo studebat ille legista quem Ps. (1, 1) commendat : *beatus uir qui non abiit in consilio impiorum et in uia peccatorum non stetit et in cathedra pestilentie non sedit,* hoc est in peccatis pro complacentia non cecidit, *set in lege Domini uoluntas eius* (Ps. 1, 2). Sic igitur patet quod collegium uiatorum est sicut scola uel studium legistarum. *Beati immaculati in uia qui ambulant in lege Domini* (Ps. 118, 1).

[b] Hee due scole legum et theologie in hoc differunt quia in scola theologie, hec est in ecclesia triumphante, numquam discipulus aliquis cathedram magistralem ascendit, ad gloriam Christi nullus beatus attingit. Solus enim Deus sedet super sedem sanctam suam. Primus angelus qui hanc cathedram ascendere uoluit dicens in corde suo (Is. 14, 13) : *in celum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti,* propterea deffectus est ad infernum in profundum lati, in quo habemus documentum [115vb] et exemplum, non appetendo honores mundane glorie set potius fugiendo, iuxta consilium Sap. (Ecci. 7, 4) : *noli querere ab homine ducatum neque a rege cathedram honoris.* Contra illos qui uolunt habere primas cathedras in synagogis et salutationes in

<sup>1</sup> repugnantia] repugnantium P.

foro et uocari ab hominibus Rabi quibus dicit Christus (Matth. 23, 7) : *noli uocari ab hominibus rabi*. Unus enim est magister noster qui est in celis. Patet ergo quod in cathedra scole celestis numquam discipulus aliquis sedet in loco magistri, set in ecclesia militante, que est scola legum, fuit factum oppositum, quia magister noster Christus, cum miseros suos discipulos et pauperem suam scolam relinqueret discipulum intelligentem posuit in cathedra uice sui, Petrum qui interpretatur agnoscens, preficiens toti scole ecclesie militantis iuxta illud Dauiticum (Ps. 106, 32) : *exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum*.

[Division] Resumo quod dixi quod quamuis in scola theologie numquam discipulus sedeat in cathedra magistrali, tamen si unus et idem magister theologie et legum ducentem scolam regeret, tunc discipulus in scola legum suplens uicem magistri posset ueraciter dicere : « Ego sedi in cathedra magistri theologie ». Quamuis igitur Petrus Christi discipulus in scola theologie, hec est in ecclesia triumphante, non ascenderit in cathedram magistralem, quia tamen unus magister noster Christus duplicem scolam regit, quia cathedram habens in celis homines erudit in terris secundum angelum, ideo [116ra] Petrus sedens in cathedra scole legum, id est ecclesie militantis, potest ueraciter dicere : « Ego sedi in cathedra magistri theologie », et quia theologia dicitur a theos quod est Deus, ideo ipse dicit : *in cathedra Dei sedi*. In quibus uerbis apparet quod sedes exigit honorabilis sapientie summitatem, quia cathedra est que debetur summo doctori. Secundo erigit ad incomparabilem eminentie preuentionem, quia sedes Dei est ad superiorem appellari. Tertio quia figit per immobilis permanentie firmitatem, cum dicitur *sedi*. Qui enim sedet immobilis permanet. Summitas sapientie contingit petre a qua Petrus dicitur.

[I] De primo, nota quod in ludo scacorum communiter situatur hoc modo, quod in loco superiori collocantur, iuxta regem situantur soli stulti, tota reliqua familia sub rege subtus situatur. Verum est tamen quod in fine ludi familia non sic est situata sicut in principio fuit. Videtur mihi quod in primitiua ecclesia Christus rex noster ordinauit in familiam suam sicut ordinatur familia regis scacarii. In principio enim ludi apostoli enim qui fuerunt collaterales Christi quibus precipue Petro Dominus subiecit totam familiam ecclesie militantis. Quales homines fuerunt ipsi ? Numquid sapientes sapientia mundi ? Certe non, set ydiote et stulti piscatores indocti, I Cor. (1, 25) : *nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi*, et sequitur (I Cor. 1, 26-27) : *uidete uocationem uestram fratres quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed que stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientiam*. Hoc [116rb] faciendo Christus docuit duo, primo quod ad cathedram prelationis non debet aliquis assumi propter nobilitatem parentum uel potentiam amicorum ut *sapientiam mundi que est stultitia apud Deum*, I Cor. (3, 19), cum tamen prodolor scacarium ecclesie nunc in fine ludi habeat modum oppositionum. Secundo Christus in hoc docuit quod illi sunt *stulti mundo sunt uere sapientes in Christo*, prima Cor. primo (25). Quis inter nos uidetur sapiens esse in hoc seculo ? Stultus fiat ut sit sapiens, quia sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Quod autem ita fit quod illi qui sunt stulti in hoc mundo sunt sapientes Christo, sicut in

familia scacorum stultus uocatur ille qui transit de primo puncto ad tertium non sistendo, non tangendo punctum medium. Punctus medius est eiusdem coloris cum duobus externis. Bene inueniuntur aliqui in scacario huius. Quilibet nostrum tria puncta pertransit, primus est punctus natiuitatis, tertius est terminus uite sue punctus mortis, medius est per momentanea quasi priuilegium duratio uite presentis. Media enim uita in morte sumus. Primus enim punctus et tertius in scacario mundi semper sunt eiusdem coloris, similis conditionis, quia sicut homo nudus et flens nascitur, ita nudus et cum dolore moritur. *Nudus egressus sum de utero, nudus reuertar illuc* (Iob 1, 21). Set punctus medius quandoque est eiusdem coloris, quandoque alterius. Est punctus medius apud illos qui ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt et tales qui in diuitiis et deliciis uiuunt |116va| in scacario huius mundi non uocantur stulti set tamquam prudentes pre aliis honorati. Ideo dicebat Iob (29, 6-7) : *quando lauabam pedes in butiro et terra fundebat mihi riuos olei, in platea parabant cathedram mihi*. Set apud hoc est medius punctus eiusdem coloris cum duobus extremis, qui, sicut nudi et flendo nascuntur, sic pauperes et cum dolore mortui sunt, sic in paupertate et dolore penitentie uiuunt, et isti in scacario mundi nominantur stulti quia transeunt de primo puncto ad tertium, non sistendo per affectum in punctali gaudio mundi. Gaudium ypocrite [est] ad instar puncti set apud Deum sunt prudentissimi et pre aliis honorati. *Beati pauperes spiritu* (Matth. 5, 3) etc. Ideo bene fuit dictum quod sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Modo inter illos de familia Christi principalis fuit Petrus ad pontificalem cathedram hodie sublimatus, ut dicamus de eo illud, 2 Reg. (23, 8) : *Dauid sedet in cathedra sapientissimus princeps inter tres*. Unde in Petro apparent collaterales sibi et magis propinqui fuerunt Petrus, Iacobus, Iohannes, ut dicitur in multis locis : inter istos tres stultos mundo set sapientes Christo. Principalis fuit Petrus ad pontificalem cathedram hodie sublimatus ut dicamus de eo illud : *Dauid sedet in cathedra sapientissimus inter tres*. Ubi in Petro apparent tria uel sex ad inuicem combinata, primo conatum uigoris cum ornatu decoris, *Dauid*, qui interpretatur manu fortis<sup>1</sup>, uultu desiderabilis ; secundo primatum |116vb| honoris cum personatu ualoris, *sedet in cathedra sapientissimus* ; tertio ducatu timoris sine flatu tumoris, quia quamuis princeps, ideo timendus, non [sunt] tamen super alios per elationis tumorem sed inter per dilationis dulcorem.

[a] De primo nota quod Dauid, manu fortis, aspectu desiderabilis. Ad decentem pulcritudinem corporis est quod brachium sit adeo longum quod manus possit ad os attingere. Qui haberet brachium ita breue quod non posset ad os extendere, hoc non esset pulcrum, ymmo esset monstrum et e contra, ad decentem pulcritudinem corporis, facit quod os non sit extensiuie magnum et certe decens corporum indicat optime qualis debeat esse decens forma morum. Per os enim intelligimus uerba, per manus et brachia opera, unde habere nimis magnum os, id est habundare in multis sermonibus est monstrum, ita peccatum in moribus. Sap. (Prou. 10, 19) : *in multiloquio peccatum non deerit*. Similiter habere brachium ita breue quod manus non possit ad os attingere, id est dicere et docere

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 103.

multa et pauca facere, monstrum est, principue in doctore. Unde dicit Bernardus<sup>1</sup> : « Doctrina lucida, uita tenebrosa, lingua magniloquia, manus otiosa, res est monstruosa. » De talibus qui habent magnum os et breue brachium dicitur Lu. (Matth. 23, 2) : *super cathedram Moysi sederunt* etc. Non sic uidetur Daudid beatus Petrus set que ore docebat, exemplis ostentabat, miraculis confirmabat, figuratus per illum Daudid, de quo dicitur primo Reg. (18, 10) : *Daudid psallebat manu*. Ille enim manu psallit |117ra| qui sententialiter concordat cum uerbis, hoc de primo, secundo etc.

[b] Ista duo sunt optime copulata, quia nullus debet habere primatum honoris, nisi sit persona ualoris, tamen oppositum hodie fit, et causa est quia in mensa camporum uel mercatorum fit duplex comptus, in quorum uno attenditur ad situm monete solum ad ualorem, secundo attenditur quantum ad situm. Quando enim mercator computat summam expensarum, denarium plumbeum ponit in superiori loco et facit ualere centum. Similiter et aureum ponit in loco infimo ubi non ualet nisi obolum, idem tamen denarius, secundum quod mutat alium et alium situm ualet modo ualet centum, modo unum solum. Set quando campsor uel mercator computat peccuniam uel in archa reponat, tunc ad ualorem monete attendit et hic aureos, hic argenteos ad partem reponit. Sicut est de computatione camporum, sic est de recomputatione hominum. Quandoque attenditur ad situm persone et ad ualorem non, unde denarii plumbei, homines nullius ualoris, honorantur et reputantur si sint in statu sublimi, ubi denarii aurei, homines magni ualoris, reputantur unum pulcrum nihil et hic sapiens reputat ualde malum. *Est, inquit, malum quod uidi sub sole et quasi a facie egrediens positum stultum in dignitate sublimi, et diuites sedere deorsum* (Eccle. 10, 5-6) et frequenter contigit, Deo ordinante uel permittente et fortuna currente, |117rb| quod una et eadem persona que in persona sublimi reputabatur ualde, cito uenit ad statum infimum ubi non reputatur ualere<sup>2</sup> unum obolum. Hoc modo computat mundus, non attendens ad ualorem persona set ad situm solum. Set Deus aliter computat. Non enim reputat Deus, ymmo detestatur et reprobatur in quolibet primatum honoris, nisi sit paria ualoris. Unde dicit in Luca (11, 43) : *ue uobis Phariseis qui diligitis primas cathedras in synagogis*. Ve uobis quia sitis ut sepulcrum et monumenta. Sepulcra sunt exterius deaurata, set interius sunt fedata, sic multi auro fulgentes et cathedras honoris habentes sunt interius fetida et minus habentes. Non sic beatus Petrus, quia cum primatu honoris habuit persona tamen ualoris. Ideo sedet in cathedra sapientissimus. Unde de ipso potest dici quod dicitur III Reg. (5, 7) : *benedictus Dominus Deus qui dedit Daudid filium suum sapientissimum super populum plurimum*. Hoc de secundo.

[c] De tertio nota quod sicut corpus cuius passiones sunt timor et amor, tamen principalior situatum est non sub, non super, set inter alia membra. Si enim cor de medio membrorum auelleretur et sub uel super in membra poneretur, motus aliorum membrorum cessaret et utraque passio timor et amor desineret. Sicut cor in corpore philosophico, sic princeps uel prelatus in corpore mistico. Sibi

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Prelatio AZ (Bernardus de consideratione libro 2) ; cf. Bernardus Clareuallensis, *De consideratione libri V*, II, 14 (SBO, III, p. 422).

<sup>2</sup> ualere in marg. P.



enim a subditis debetur timor et amor, principalius tamen amor, dicente Augustino<sup>1</sup> : « Quamuis [117va] utrumque sit necessarium, tamen amari a uobis plus appetit quam timeri. » Debet ergo prelatus esse non sub aliis per nimiam et indiscretam humilitatem, quia sic paruet timor reuerentie, dicente Augustino<sup>2</sup> : « Ne apud eos quos oportet esse subditos, dum nimia seruatur humilitas regendi frangatur auctoritas », nec esse super alios per olationis timorem, quia sic paruet amor beniuolentie et ita cessaret in membris. Hoc est in subditis motus debite obedientie set debet esse inter alios per dilectionis dulcorem, ita docet sapiens : Principes *posuerunt noli extolli esto inter illos sicut unus ex illis* (Ecci. 32, 1). Ita fecit beatus Petrus edoctus a magistro suo Christo qui dicit in Mt. (20, 25-26) : *principes gentium dominantur eorum et qui maiores potestatem exercent in eos. Non sic erit inter uos set quicumque uoluerit maior esse fiat minor. Quicumque sunt similes inter filios Dei computati sunt et inter sanctos sors illorum est*, Sap. V (5). Illius sortis sanctorum nos participes efficiat etc.

---

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, VII, 3 (L. Verheijen, 1967, p. 436).

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, VI, 3 (L. Verheijen, 1967, p. 435).

## SERMON 49

Saint Benoît.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 117va-120va.

Plan :

Thème – La bénédiction accordée aux pèlerins. Les frères de Saint Jacques abandonnent leurs biens et voyagent.

Division – Pourquoi Jacob mérite-t-il le nom de *benedictus* ? Il a reçu trois bénédictions :

- a. la liberté filiale
- b. la richesse spirituelle
- c. la sainteté
- d.

117va : *Benedixi ei et erit benedictus*, Gen. XXVII (33).

[Thème] In Deut. (28, 6) scribitur et uidetur uerbum indifferenter ad quemlibet uiatorem : *benedictus erit ingrediens et egrediens* ; a quo uerbo uidetur originaliter deriuata illa consuetudo quam habent itinerantes apud nos, quam scilicet unam benedictionem accipiunt in suo egressu et aliam in regressu, set quod ordinatio ista [117vb] specialius sit inter nos et non communiter inter alios uiatores cum uerbum illud generaliter sit prolatum, ortum uidetur forsitan habuisse quia nos uulgo Jacobite uocamur ab illo patriarcha Jacob quem ad litteram quasi de spirituali priuilegio legimus bis benedictum fuisse, semel scilicet in principio sue peregrinationis, quando debuit domum paternam exire ut proficisceretur in anima, fugiens a facie Esau fratris sui qui, cum duabus turmis regrediens post longam luctam quam habuit cum angelo, dixit (Gen. 32, 26) : *non dimittam te nisi benedixeris michi* et tunc angelus imitato nomine eius (Gen. 32, 28) : *nequaquam, inquit, uocabis Jacob set Israel erit nomen tuum*. Benedixit eum in eodem loco. Utrumque tamen benedictionem innuens pater suus unam cum terrenis cernens de preterito, aliam spiritu prophetico preuidens de futuro dicebat : *benedixi ei et erit benedictus*. Spiritualiter loquendo dum *in corpore sumus, peregrinamur a Domino*, dicit Apostolus (II) ad. Cor. (5, 6). *Non habemus hic manentem ciuitatem set futuram inquirimus* (Hebr. 13, 14). Bernardus<sup>1</sup> : « Omnes uiatores sumus set non omnes duplicem benedictionem recipiunt, quia multa nec benedictionem gratie recipiunt et adhuc multo plures benedictionem glorie non sunt recepturi in patria » quia *multi uocati, pauci uero electi* (Matth. 22, 14). Et ideo multum debent reputare spirituale priuilegium, id est spiritualem gratiam sibi concessam a Deo, illi qui a principio [118ra] uie sue, id est in mane iuuentutis benedictionem recipiunt, illi principue quibus Deus facit istam gratiam ut re et nomine uocentur. Jacob subplantator<sup>2</sup>, Esau a cuius facie fugiebat interpretatur

---

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67.

uanus<sup>1</sup> et significat figuratiue mundum in quo *uanitas uanitatum et omnia uanitas* dicitur Ecces. primo (Eccle. 1, 2). Ergo sunt realiter Jacobite qui mundum sub planta ponentes et uanitatem eius fugientes domum paternam exeunt peditantes artam uiam que ducit ad uitam, uiam religionis ut per eam proficiscantur †, quod interpretatur exilium iuxta consilium quod dedit Dominus Abrahe, Gen. 3 (12, 1-3): *egredere, inquit, de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et ueni in terram quam monstrauiero tibi et benedicam tibi et eris benedictus*. Duplicem benedictionem promittit illis qui sic mundum egrediuntur dummodo sicut Jacob usque ad terminum uie sue luctam †, primo benedictionem gratie in uia adhuc, secundo accepturi sunt benedictionem glorie secum cum duabus turmis angelis et animabus beatis, reuertentur ad patrem suum qui in celis est, ut in eodem loco benedictione recepta non ultra uocentur Jacobite set Israelite. Non sumus amplius uiatores nec luctatores set comprehensores, Domini uidentes, modo inter alios qui istam duplicem benedictionem receperunt quadam singulari prorogatiua, uir iste uite uenerabilis fuit non solum benedictus hoc nomine ut de [118rb] eo intelligatur dictum illud uerbum Ecc. XXIII (4): *in multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur*, suppositum et figuraliter et nominaliter. Quod ergo per quamdam excellentiam dictum est de solo Jacob proficiscente in uia spirituali et Ysaac qui interpretatur risus uel gaudium<sup>2</sup>, hoc est Deus pater eius profectum congaudens et arridens dicere potuit uerbum thematis preassumptum: *benedixi ei*. Ubi notantur tria propter que iuste uocatus est Jacob benedictus. Primo quia habuit benedictionem gratie preuenientis in suo egressu et hoc notatur cum dicitur in benedictione de preterito. Secundo continuationem eiusdem gratie coniunctantis<sup>3</sup> in toto progressu, et hoc notatur in copula continuante preteritum cum futuro. Tertio replicationem iterum gratie consummantis seu perficientis in suo regressu, et hoc notatur in benedictione de futuro. Non enim est aliud gratia consummata quam futura *gloria* que reuelabitur in nobis.

[I] De primo nota quod licet in primo egressu suo de utero matris in sacramento baptismi et nomen benedicti et gratiam secundum illud nomen accepit, tamen nulli debet esse dubium quin in secundo egressu, quando scilicet domum paternam exiens habitum sancte conuersationis assumpsit et illud nomen sibi fuit confirmatum et copiosior et plenior benedictio gratie sibi data, ut dicatur de eo *quod iuste uocatum est nomen eius* (Gen. 27, 36), sic scilicet Benedictus quia nunc secundo subripuit benedictionem. Figuram adhuc expressam habemus [118va] Ece. XXVII (Gen. 27, 27): *si uocemus tempus et horam tum Ysaac benedixit filio suo Jacob, ubi enim dicitur quod statim ut sensit uestimentorum eius flagrantiam benedicens ait: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*. Per uestimenta illa sic odorantia intelligimur uestes religiosorum, quibus scilicet induuntur nouitii, est egressus de mundo. Ratio est quia communiter per odorem non solet probari uestis aliqua utrum sit bona uel mala set probatur per uisum qui indicat de preciositate coloris, uel per tactum qui

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 65.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67.

<sup>3</sup> coniunctantis] conunctantis P.

indicat de preciositate materie, set hoc speciale habent uestes religiosorum quod nec Deus nec mundus approbat curiositatem. « Fateor, dicebat Augustinus<sup>1</sup>, de pretiosa ueste erubesco. » Iterum hoc speciale habent uestes religiosorum quod ubi oculo uidimus et facto probauimus et palpauimus aliquem in seculo fuisse insolentem male uite et mali nominis, ipso facto quod assumit habitum religionis, iam nec uisui credimus nec facto acquiescimus quin presumamus de eo quod sit sancte et bone uite mutatus in uirum alterum, ita quod hoc facit habitus religionis quod ille qui antea erat fetidus et abhominabilis efficitur odoriferus et hoc est bone fame et boni nominis, et de uestibus istis dicamus quod dicebat sponsus |118vb| in Canticis (4, 11) de uestibus sponse sue : *odor uestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Set unde tantus odor uestibus istis ? Scitis quod uestes in se ipsis odorem non habent. Unde si sint odorifere, hoc est propter aromata et alia odorifera que in eis fuerunt inuoluta, in quorum absentia adhuc diu retinent et reseruant odorem. Unde ergo iste odor ? Estne propter sanctitatem uite uel honestatem morum que sit nostro in religiosis, uere non in multis ? In quorum persona loquens quidam sanctus monachus<sup>2</sup> dicebat : « Nos, inquit, ad oculum pauperes sumus, locum mutauimus, non animam<sup>3</sup>, uestem, non mentem, odientes saccum Crisostomi, tunicam Benedicti, Helysei ollam et apostoli indicatione. » Unde ergo iste odor ? Vere propter preciosa aromata que antiquitus fuerunt in hiis uestibus inuoluta sicut fuit beatus Benedictus, beatus Bernardus, beatus Dominicus et alii patres quorum adhuc memoria in benedictione est. Hic est bonus odor et bona fama, adhuc manet in memoria hominum ut cuilibet eorum dicamus quod quia *unguentum effusum nomen tuum fama tua* (Can. 1, 2). Ideo *in odore unguentorum tuorum curremus* (Can. 1, 14). Quod talis fama currat de nobis non est propter meritum nostre sanctitatis set propter memoriam sue odorifere bonitatis. Sic ergo uestimenta illa odorifera sunt uestes |119ra| religiosorum, ex quo statim apparet quod exeunti mundum et habitum religionis sumentis datur illa benedictio : *ecce odor* etc. Ubi uidetur mihi quod confertur triplex benedictio contra triplicem maledictionem quam legimus in Scriptura. In Gen. (9, 25) legimus enim inter animata anima rationali Chanaan fuisse maledictum de qua dictum est : *maledictus Chanaan seruus seruorum erit<sup>4</sup> fratribus suis*. Legimus inter animata terram fuisse maledictam, de qua dictum est Ade : *maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi*, Gen. 3 (17-18). Inter bruta serpentem cui dictum est : *maledictus eris inter omnia animantia et bestias terre super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus uite tue*, Gen. 3 (14). Contra maledictionem<sup>5</sup> Chanaan que fuit in seruitute configuratur hoc libertas filialis, *ecce odor filii mei* (Gen. 27, 27), hoc fit in uoto obedientie. Contra<sup>6</sup> maledictionem terre que fuit in sterilitate confertur ubertas spiritualis, *sicut odor agri pleni*, et hoc in uoto paupertatis

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 356, 1 (ed. C. Lambot, *Sancti Aurelii Augustini sermones selecti duodeuiginti*, 1950), p. 141.

<sup>2</sup> Hugues de Fouillo, *De clauastro anime*, 2, prologus (PL 176, 1051B).

<sup>3</sup> animam] habitum exp. P.

<sup>4</sup> erit] erit add. P.

<sup>5</sup> contra maledictionem] hoc maledictum P.

<sup>6</sup> contra] hoc P.

uoluntarie. Contra maledictionem serpentis mundi confertur sanctitas humilis, *cui benedixit Dominus*, in uoto continentie quantum ad primum quod in uoto obedientie sit seruilis set filialis et per consequens quod conferatur libertas : figuram habemus Gen. XIII ubi legimus quod Abraham et Sara matrimonio coniuncti primo uocati sunt Abraham et Saray, ita quod Saray habundabat in sillaba et Abraham deficiebat in lettera et aspiratione, et quamdiu steterunt sub istis nominibus, numquam potuit Abraham habere filium de libera, bene tamen de ancilla Agaris |119rb| Egypciaca. Quando autem mutatum est nomen Abraham et uocatus est Abraham, tunc dictum est sibi (Gen. 17, 16) : *Saray uxorem tuam, non amplius uocabis Saray set Saram et benedicam ei et ex ea dabo tibi filium cui benedicturus sum*. Iste alibi uocatur filius libere. Abraham et Saray matrimonio coniuncti significant duas potentias in parte anime rationali indissolubiliter adinuicem colligatas. Abraham uidens intellectum qui est potentia cognitua, Saray uelamen meum uoluntas mea, que est potentia cera. Vis ergo ex isto matrimonio habere filium liberum cui benedicturus sit Dominus ? Oportet quod diminuas de Saray sillabam y. Y idem est quod ite quod est imperatiui modi, hoc est dictum oportet quod diminuas de propria uoluntate tollendo ab ea pro prima in uoto obedientie, precipue quantum ad uagos [et] inutiles discursus quos solet uoluntas imperare in eis que sibi sunt libere uoluntatis, et quia anima sedendo et quiescendo fit prudens et sapiens. Ex hoc sequitur quod Abram crescit in littera et aspiratione, id est intellectus, magis libere potest crescere in studio litterarum et aspiratione, hoc est per inspirationem Spiritus Sancti in contemplatione diuinorum. De aspiratione ista loquitur Apostolus, ad Rom. VIII<sup>1</sup>. Roma interpretatur<sup>2</sup> magistrum frangens uel magistri confractio. Unde illi sunt uere romani qui magisterium uel imperium uoluntatis frangunt per uotum obedientie. Istis loquens Apostolus dicit (Rom. 8, 15) : *non accepistis spiritum seruitutis in timore set accepistis Spiritum adoptionis filiorum*. Ecce |119va| aspiratio in qua cum crescit Abraham et Saray diminuta statim ex matrimonio isto habemus filium liberum. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur hii filii Dei sunt* (Rom. 8, 14). Multum ergo debent attendere illi per uotum obedientie, liberati sunt illi a seruitute corruptionis in libertatem glorie filiorum Die ne per miseram inobedientiam redigatur nos, Ysa. LI (2) : *attendite ad Abraham patrem uestrum et ad Saram que peperit uos quia unum uocaui eum et benedixi ei*. Abraham pater multarum gentium significat beatum Benedictum qui fuit pater multarum gentium et fere omnium monachorum. Ad illum ergo attendite quia sicut eum singulariter uocaui et ei benedixi, ita et uos qui estis filii Sare, non Saray. Filii obedientie *ad hoc uocati estis ut benedictionem hereditate possideatis*, I Pe. 3 (9). Concludamus ultimo : cum filio ancille non debeatur hereditas. *Non enim erit heres filius ancille cum filio libere*, Gal. 4 (30). Itaque non sumus ancille filii set libere qua libertate Christus nos liberauit. Sic ergo contra maledictionem Chanaan confertur libertas filialis.

---

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> Non inueni.

[II] Secundo confertur ubertas spiritualis, sicut odor agri plani hac maledictione terre sterilis de qua dictum est Ade : *maledicta terra* etc. Adam interpretatur<sup>1</sup> homo uel terrenus et ad litteram ipse est de quo dicit Apostolus, prima ad Cor. XV (47) : *primus homo de terra*. Terrenus significat ergo hominem terrenis curis intentum et agriculture mundi deditum, huic germinat terra spinas saluatorum exponit diuitias [119vb]. Causam assignat Gregorius<sup>2</sup> in omelia : « Vere, inquit, spine sunt que cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto uulnere cruentant », et subdit quod « fallaces diuitie sunt que mentis inopiam non expellunt. » Ad litteram Sap. (Eccle. 5, 9) dicit quod *auarus numquam implebitur peccunia et qui amat diuitias fructum non capiet ex eis*. Propter hoc secundus homo de celo celestis, beatus scilicet Benedictus, uidens quod terra mundi sic erat inanis et uacua quod in spinas solum et tribulos germinabat, que mentis inopiam non replebat, uidens insuper quod benedictio Domini diuites facit nec satiabitur eis afflictio, Prou. X de terra sterili, mundi transtulit se ad illum agrum fertilem, de quo dicit Augustinus<sup>3</sup> quod « fecundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum » et hoc ut fieret particeps illius benedictionis. Unde Deut. XXVIII (3) : *benedictus tu in ciuitate et benedictus in agro*. Ciuitas dicitur status religionis propter pacis et concordie unitatem, ciuium unitas agri propter bonorum operum fecunditatem. Figuratus fuit per illum Noe de quo dicitur in Gen. II (8, 21) quod fuit uir agricola cui benedicens Deus ait : *nequaquam ultra maledicam terre propter hominem*. Ista est secunda benedictio per quam maledictio terre fugatur. Sequitur ad ymaginem Dei fructus est homo, beatus scilicet Benedictus, et ideo iuxta consilium Apostoli, I Cor. XV (49) : *sicut portauimus ymaginem terreni, dum fuimus in seculo, portemus ymaginem celestis* [120ra] ad ymitationem eius terrena deserentes et celestibus adherentes.

[III] Tertio in uoto continentie confertur benedictio sanctitas humilis contra maledictionem serpentis immundi cui benedixit Dominus. Recte contrario passu currunt mundus et Deus in benedictionibus suis. Illi enim qui maledicuntur a Deo benedicuntur a mundo et e contrario per serpentem maledictum a Deo cui dictum est (Gen. 3, 18) : *super pectus tuum gradieris et terram comedes* etc. Intelleguntur uoluptuosi illi scilicet qui *non Domino seruiunt set uentri suo*, ad Rom. XVI (18), cuius *Deus uenter est et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt*, ad Phil. 3 (19). Illi hodie benedicuntur a mundo. Laudatur enim peccator in desideriis suis et iniquus benedicitur. Illi hodie uocantur boni socii set e contra, illi maledicuntur a Deo : *ue uobis qui saturati estis quia esurietis, ue uobis qui nunc ridetis quia lugebitis et flebitis, ue uobis cum bene dixerint omnes homines*, Luc. VI (25-26). Figura ad hoc habemus in Genesi ubi legimus quod Joseph adducens duos filios suos ad patrem suum Jacob ut eis benediceret, primogenitum secundum carnem posuit a dextris patris, secundogenitum a sinistris. Set pater preuidens in spiritu secundogenitum maiorem

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 139.

<sup>2</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, I, 15, 1 (PL 76, 1131D).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Elemosina G (Augustinus de uerbis Domini sermone 25) et Paupertas E; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 367, cap. 3 (PL 39, 1652).

futurum, posuit manum dexteram super secundogenitum et sinistram super alium communicans manus et ita manibus cancellatis factus ad dexteram ille qui erat ad sinistram. Propter expositionem figure sciendum quod regula certa est apud mathematicos quod lineae non parallele, hoc est non equaliter distantes, quando |120rb| concurrunt in puncto sicut lineae constituentes angulum, si protrahantur ultra punctum, aliquando efficiuntur contrarie dispositione quantum ad situm ita quod dextera fit sinistra etc. Ita est recte in cancellatione manuum lineae non equaliter distantes sunt uita uoluptuosorum in mundo continentium et in claustro multum erunt inaequales et multum distantes, uita illius qui *induebatur purpura et bysso et epulabatur cotidie splendide* (Luc. 16, 19) et uita pauperis qui cupiebat saturari de mitis etc. et nichilominus concurrunt in puncto mortis. *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab angelo in sinu Abrahe* (Luc. 16, 22). *Iterum mortuus est diues et sepultus in inferno*. Priusquam protraherentur istae lineae ultra punctum, dictum est diuiti (Luc. 16, 25) : *simili recordare quia recepisti bona in uita tua*. Ante punctum mortis fuisti semper a dextris prosperitatis tamquam primogenitum secundum carnem set iudicium mundi, *et Lazarus similiter mala*, fuit a sinistris aduersitatis. Nunc autem post punctum mortis cancellatae sunt manus, *hic consolatur*, positus est a dextris, *tamen crucians*. Modo es a sinistris, hoc est quod dicitur in illa parabola, Mt. XXV (31-32) : *cum uenerit Filius hominis etc. congregabuntur ad eum omnes gentes et separabit eos ab inuicem etc.* Et statuet oves a dextris, edos autem a sinistris, tunc dicet hiis qui a sinistris eius erunt (Matth. 25, 41) : *ite maledicti in ignem eternum etc.* et hiis qui a dextris (Matth. 25, 34) : *uenite benedicti Patris |120va| mei etc.* Sic ergo habemus triplicem benedictionem gratiae preuenientis quam iste consecutus est in suo egressu, ut intelligatur multum de eo illud Ps. (20, 4) : *quoniam preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. Ista est corona sanctorum quam nobis concedat etc.

## SERMON 50

Annonciation.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 120va-124rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 186rv ; Uppsala, Univ. Bibl., C 276 f. 13ra.

Plan :

Prothème – Rôle bénéfique de la prière et de la prédication.

Thème – Le rôle du messager. La Vierge a est exempte du péché. L'annonce de sa venue.

I – C'est un jour particulier, et ce pour trois raisons :

Division 2 (Ps. 117, 24) :

- a. Une lumière éclatante l'annonce.
- b. Dieu en est à l'origine.
- c. Il est célébré dans la joie.

II – C'est un jour de bonne volonté.

F. 120va : *Hec dies boni nuntii est*, 4 Reg. VII (9).

[Prothème] Viator uolens inuenire hospitiis preparatum premittere solet ante se nuntium. Ita fecit filius Dei. Ipse enim, iuxta dictum propheticum, factus hodie quasi uiator declinans ad manendum, uolens hodie recipi in hospitio uirginalis uteri premisit nuntium qui prepararet sibi hospicium iuxta dictum Malachie (3, 1) : *ecce ego mittam angelum meum qui preparabit uiam ante faciem meam* etc. Premisit, inquam, nuntium optimum Gabrielem archangelum ratione de quo<sup>1</sup> dici potest : *hec dies boni nuntii est*. Nuntius iste ante omnia salutauit hospitam dicens (Luc. 1, 28) : *aeue gratia plena*. Postea subiunxit (1, 35) : *Spiritus Sanctus superueniet in te* quasi dicat : talis dominus uenturus est in hospitium tuum, fac quod inueniat totum paratum. Ad propositum nostrum, hospitium quod debet esse paratum ad recipiendum uerbum Dei ex ore predicatoris est cor auditoris. *Paratum cor meum Deus paratum cor meum*, Ps. (107, 2) ; et iterum (Ps. 118, 60) : *paratus sum et non sum turbatus ut custodiam mandata tua*. Melior nuntius qui possit premittere preparando cordis hospicio est deuota oratio. Unde<sup>2</sup> : « Orationis pure magna est uirtus et uelut fidelis nuntius mandatum peragat et penetrat quo caro non peruenit. » Premittamus ergo uerbo predicationis nuntium deuote orationis : *oratio mea preueniet te* (Ps. 87, 14), et mittamus eum directe ad hospitium ubi illam scilicet in cuius utero (Jo. 1, 14) *verbum caro factum est et habitauit in nobis* et salutemus eam ante omnia dicentes *Aue Maria*.

[Thème] *Hec dies boni nuntii est*, 4 Reg. VII (9). Vulgaliter dicitur quod qui malum nuntium portat numquam nimis tardat, semper nimis festinat, et e contra qui est boni nuntii baiulus non potest

---

<sup>1</sup> de quo] cuius P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Oratio S (Augustinus super Psalmum 65).



esse nimis festinus, uerbi gratia de utroque, primo II Reg. XVIII (20) ubi Achimaas dicenti : *curam et nuntiabo tibi regi*, respondit Joab : *non eris nuntius in hac die*, subdit causam huius : *non eris boni nuntii baiulus* (18, 22). Non enim festinare non debes Achimaas fratris mei onus Dei, *curram et nuntiabo regi* (18, 19) significat illum qui protinus est ad nuntiandum superiori illud quod credere debet in grauamen et onus proximi, et uidete quod rex dicit de tali : uir bonus est et nuntius portans bonum uenit ; illi qui regunt, comendant et diligunt pre aliis tales relatores [sunt] quod fieri non debet quod sicut relatio nimium entitatis habet, sic relatores ut in plurimum ueritatis. Debet ergo fieri iuxta consilium Helysei dicentis, X (IV) Reg. VI (32) cum uenerit nuntius : *claudite ei ostium et non sinatis eum introire*. Talibus relatoribus mali nuntii portitoribus. Ille qui regit non debet aures prebere set claudere. Dixi |121ra| secundo quod qui est boni nuntii<sup>1</sup> baiulus non potest esse nimis festinus. Exemplum ad hoc, X Reg. VII ubi dixerunt uiri leprosi : *hec dies boni nuntii*. Si tacuerimus usque mane et noluerimus annuntiare sceleris arguemur, set notemus causam huius dicti. Videtur mihi quod dies ista boni nuntii fuit. Recte figura istius diei uiri leprosi, ideo dixerunt : *hec dies boni nuntii est* quia in ciuitate Samarie post nimiam penuriam et famem perualidam, facta est subito habundantia tanta quanta non uidebatur esse possibile, etiam si Dominus fecisset catharactas in celo aperiri. Samaria interpretatur coniunctio Domino<sup>2</sup> et significat naturam nostram unitam hodie uerbo diuino, unde in Actibus (8, 14) : *recepit Samaria uerbum Dei*. In hac Samaria ante diem istum fuit summa penuria, set hodie facta est habundantia talis ut uideatur Deus aperuisse catharactas celi ut prophetauerat Dauid (Ps. 71, 7) : *oriatur in diebus eius iustitia et habundantia pacis* etc. Declaro utrumque similem. Regio de se sterilis et deserta que nichil omnino gignit nisi lapides, tamen si non habet mare uicinum, patit magnam penuriam uictualium, set si mare habeat uicinum, sibi ministrat habunde. Legitur III Reg. 4 (10, 27) quod in diebus Salomonis quia classis regis cum classe [per] terram aut per mare deferens aurum et argentum : *tanta fuit habundantia argenti in Jerusalem quanta et lapidum*. Lapis secundum ethymologiam nonne dicitur quia ledit pedem ? Pes autem interioris hominis est affectus. Augustinus<sup>3</sup> : « Pes meus amor |121rb| meus. » Pedem istum nichil potest ledere nisi peccatum in Prou. (8, 36) : *qui peccauerit in me ledet animam suam*. Lapis ergo ledens pedem est peccatum (I Pe. 2, 8) : *hic est lapis offensionis et petra scandali*. De talibus lapidibus dicitur in figura Leuit. 14 (13, 44) : *si fuerit lepra in edibus, sacerdos iubebat* etc. Expone sicut habes in sermone *Habundat ministerium iustitie* etc. Sic habes quod peccata sunt lapides in quibus nulli<sup>4</sup> nascuntur nisi peccatores. Unde Ecc. (Eccli. 21, 11) : *uia peccantium complanata est lapidibus*. Talis est regio nostra Christo excepta et matre eius manus conuersatus sum multitudine lapidum, id est peccatorum mortalium et uenialium. Hec excepta sola Virgine Maria : *si omnes sancti* etc. Soli Marie dictum est

<sup>1</sup> nuntius] nuntii P.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> Cf. *Manipulus florum*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, XIII, 9 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

<sup>4</sup> quibus nulli] qua uero P.

illud Job (5, 23) : *cum lapidibus regionis pactum tuum*. Cum lapidibus pactum fecisse dicitur qui nullo lapide leditur ; Maria autem non fuit lesa aliquo lapide peccati mortalis actualis uel uenialis, iuxta dictum propheticum (Ps. 90, 12) : *in manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Ex quo sic est quod regio nostra nichil gignit nisi lapides, non poterat hec regio habundare nisi haberet uicinum mare quia diebus istis classis regis ibat per mare cum classe terram deferens argentum et aurum, facta est *tanta habundantia argenti quanta et lapidum* (III Reg. 10, 27). Maria interpretatur amarum mare quo medietate emimus nobis neccessaria ; est gratia qua medietate meremur uitam glorie. *Super aurum et argentum gratia bona* in Prou. (22, 1). Due classes similes euntes per mare sunt due nature |121va| diuina et humana coniuncte simul in utero Marie medietate, hac duplici classe mare nostrum, id est Maria, ministrat nobis habunde argentum diuine gratie. *De plenitudine eius omnes accepimus* quantum pro gratia in Joh. (1, 16), et sic habunde quod facta est *tanta habundantia argenti quanta et lapidum* (III Reg. 10, 27). In regione enim nostra non crescebant nisi lapides, non nascebantur nisi peccatores, *ubi habundauit delictum superhabundauit et gratia*, ad Ro. (5, 20). Sic habeo declaratum quod in Samaria, id est in humana natura, post maximam penuriam facta est tanta habundantia talis ut uideatur Deus aperuisse utero terre : *aperuit hodie catharactas celi*. Hodie enim per totum mundum melliflui facti sunt celi. Ergo de die ista figuratiue dictum est : *hec dies boni nuntii est*. Ubi apparet quod dies ista pre aliis est notabilis preeminentie, *hec dies*, amabilis beniuolentie, *boni nuntii*, hoc denotat uerbum substantiuum quod permanentiam importat, *est* ; est siquidem mirabilis ex affectu miraculoso<sup>1</sup>, *hec dies*, amabilis siue laudabilis in euentu gaudio, *boni nuntii*, durabilis in statu uirtuoso, *est*.

[I] De primo nota quod qui gratiam aliquam impetrat a rege petere debet de gratia sibi concessa litteram sigillo regio sigillatam, in omni autem die tali dies date littere solet notari datum tali die. Hodie rex regum et Dominus dominantium concessit humano generi gratiam unam quam non concessit creature alteri, gratiam scilicet unionis que est gratia super gratiam. |121vb| Certe non fecit taliter omni nationi. Dixit enim aliquando : *filius meus es tu* etc. *Nusquam angelos apprehendit set semen Abrahe*, ad He. (2, 16). Hanc gratiam concessit Deus homini per litteram sigillo regio sigillatam. Littera non est aliud quam uerba in pelle froncina, uitulina uel alterius animalis scripta ; uerbum autem quod erat in principio apud Deum hodie formatum est et figuratum fuit non in pelle froncina set in pelle humana, quando in utero Virginis *uerbum caro factum est* (Jo. 1, 14). Littera continens hoc uerbum est Maria concipiens in utero filium. Unde cantamus in prosa<sup>2</sup> : « Verbum Patris processu temporis intrat tui secretum corporis in te totum et totum deforis similis fuit. » Bernardus<sup>3</sup> : « O uenter capacior celis, diffusior terris, latior elementis quam totus mundus comprehendere non potuit et *qui tribus digitis molem terre appendit* (Is. 40, 12). » Hec littera fuit

<sup>1</sup> miraculoso] miraculosus P.

<sup>2</sup> AH, vol. 54, p. 289, n° 188 (in nativitate BMV, Dominicains).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Maria AC (Bernardus in quodam sermone).

optime sigillata quia Maria Dei filium concepit clauso utero et signato sigillo uirginitatis. *Ortus conclusus soror mea ortus conclusus fons signatus* (Cant. 4, 12). Optime figuratur Maria, Hest. 9 (3, 12), per litteram signatam anulo regis Assueri contrariam [et] reuocatoriam litterarum ueterum quas procurauerat Aman hostis et aduersarius Iudeorum. Dies date huius littere non datur obliuioni, expresse notatur ibi XXIII (Est. 8, 9) : *die scripte sunt* littere etc. Per anulum qui habet ex partibus continuitatem intelligo uirgineam integritatem. Littera ergo noua anulo regis assignata contraria totaliter ueteribus litteris est uirgo regia que |122ra| hodie illud : « Aue Gabriele » ore mutauit in contrarium litteras « Eue » quando per Eua dictum est sibi : *auē gratia plena*. Hanc litteram debet petere qui uult a Ihesu Christo gratiam impetrare, hoc est dictum debet Mariam humiliter inuocare. Ipsa est enim cui dicit Cassiodorus<sup>1</sup> : « Tu patrona humani generis, tu afflictis medica singularis. Quis tuo non indigeat munere, cum sit peccare commune ? » Hanc [litteram] *omnis qui petit accipit* (Mt. 7, 8) quia modo omni petenti se tribuit. Bernardus<sup>2</sup> : « Ille solus, Virgo, sileat laudes tuas, qui te fideliter inuocatam sensit in suis necessitatibus deffuisse. Quid mirum si inuocata adest que etiam non uocata presto est. » Diem date huius littere debemus significanter uocare et cum gaudio celebrare, Ex. III (12, 14) : *habebitis diem hanc in monumentum et celebrabitis eam sollempnem*. Domino dicamus ergo de die ista cum Ps. (117, 24) : *hec dies quam fecit Dominus exultemus et letemur in ea*. Ubi apparet nobilis preeminencia huius diei in tribus. Primo quia lucidiori radio perlustratur, *hec dies*, nobiliori artificio fabricatur, *quoniam fecit Dominus*, sollempniori gaudio celebratur, *exultemus* etc.

[a] De primo nota : luminare maius quod preest diei clariorem radium habet quam luminare minus quod preest nocti, ymmo plus quedam sunt luminaria nocturna sicut uermiculi, quedam putredines quercuum et talia de nocte uidentur, unde falluntur aspicientes credentes quod sint aliqua preciosa que, si aspiciantur in luce diei, iam non |122rb| lucent etsi uilia apparent. Spiritualiter per luminare minus quod preest nocti intelligo primam mulierem Euam que fuit initium et caput peccati. Unde Gregorius<sup>3</sup> in omelia : « Mulier caput peccati, arma dyaboli, expulsio paradysi. » Per animalia noctiluca cuiusmodi sunt uermes et putredines intelligo ceteras mulieres, in Job (25, 6) : *homo putredo et filius hominis uermis*. Recte putredo noctiluca que fallit aspicientes est mulier pulcra. *Fallax gratia et uana est pulcritudo*, in Prou. (31, 30). Videns unam pulcram mulierem credit uidere aliquid preciosum et uidet saccum stercoribus plenum quodam falso colore deditum. Quid aliud est mulier nisi amicitie inimica, ineffugabilis pena, necessarium malum, naturalis temptatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta ? Habeo ergo quod luminaria nocturna que fallunt aspicientes sunt Eua et cetera mulieres, set luminare

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Maria AP (Cassiodorus in quadam epistula) ; Cassiodorus, *Variarum libri duodecim*, XI, 40 (A. Fridh, SL 96, 1973, p. 458).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria AB (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Assumptione beatae Mariae*, 4, 8 (SBO, V, p. 249).

<sup>3</sup> *Non inueni*.

diurnum quod hanc falsitatem detegit et deuiat est Maria illuminatrix et illuminata<sup>1</sup>, de qua legimus quod dum uiueret, relucebat in facie eius quedam pulcritudo talis et tante uirtutis quod [si] quicumque temptatus de peccato carnis, deceptus per aspectum nocturne lucis, id est pulcre mulieris, respiciebat eam in facie, recedebat ab eo temptatio illius peccati. Adhuc hodie ubi non uident eam in facie, recedebat ab eo temptatio illius peccati et adhuc hodie |122va| ubi non uidemus eam oculo corporali, qui respicit eam oculo mentali auxilio eius potest superare temptationem omnis peccati. Ex quo patet<sup>2</sup> responsio ad questionem quam proponit sapiens in Ecclesiastico (33, 7) : *quare dies diem superat et iterum lux lucem*. Maria enim que est luminare diurnum superat lucem nocturnam habens radium clariorem. Jeronimus<sup>3</sup> : « Si diligenter attendas nichil est uirtutis, nichil splendoris, nichil gratie uel quod candoris quod non resplendeat in Virgine gloriosa. » Et hoc luminare maius preest hodiernae diei quia Maria est principalis domina festi hodierni. Ideo dies ista excedit et superat in radio superiori. Cantamus in prosa<sup>4</sup> : « O quam digne sibi dari diem hanc et conscribi respecta predicat Virgo que non habet parem diem sibi singularem non iniuste uendicat ! »

[b] De secundo nota quod distingui solet inter diem naturalem et artificialem et uocatur dies artificialis que continet in se diem et oppositum diei, diuiditur in lucem et tenebras in Gen. (1, 5) : *factum est uespere et mane dies unus*. Dies naturalis uocatur qui non diuiditur in lucem et tenebras, ymmo continet solam lucem diei<sup>5</sup>. Hec autem diuisio diei naturalis in tenebras et lucem attribuitur in Gen. (1, 16) duobus luminatibus magnis : *fecit Deus duo luminaria magna*. Sequitur (1, 18) : *ut preessent diei et nocti et diuiderent lucem ac tenebras*. Ibi autem non legitur quod tunc Dominus fecerit aliquid luminare, hoc non est possibile per naturam. Ergo si fieret aliqua dies talis que non haberet diuisionem diei et noctis, illa esset artificialis et non naturalis. Talem diem futurum predixerat Ps. (138, 12) : *tenebre inquit non obscurabuntur a te et |122vb| nox* etc. Spiritualiter duo luminaria a principio mundi facta sunt Adam et Eua, quibus Deus a principio creationis sue dedit habundantiam magnam luminis gratie. Ps. (4, 7) : *signatum est super nos lumen uultus tui Domine*. Officium istorum fuit preesse diei et nocti et diuidere noctem a die. Quia enim uoluerunt preesse uermo, esse *sicut dii scientes bonum et malum* (Gen. 3, 5), propter istud peccatum ipsi proposuerunt dissensionem inter Deum<sup>6</sup> et hominem. *Iniquitates uestre diuiserunt* etc., Ysa. (59, 2). Adhuc hodie ista duo concomitantur se preesse et diuidere : ambitio prelationis et diuisio dissensionis. Videbitis in uno collegio siue sit secularium, siue sit religiosorum, si sunt ibi duo luminaria magna, due magne et notabiles persone quemadmodum luminarium possent totum collegium illuminare et decorare, ad Phil. (2, 15) : *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Officium eorum est preesse et diuidere. Quia enim quilibet uult preferri et preesse, inde est quod ipsi totum collegium ponunt in dissensione et per

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>2</sup> patet] quod *add. P.*

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Maria T (Hieronymus).

<sup>4</sup> AH, vol. 54, p. 430, n° 284 (de beata Marie, Dominicains, die sabbati).

<sup>5</sup> diei] diem *P.*

<sup>6</sup> Deum] diem *exp. P.*

consequens in desolatione quia *omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*. Modo ad propositum usque ad diem istum diuisio predicta inter diem et noctem, dissensio que erat inter Deum et hominem non fuit sedata set hodie impletum est uaticinium, Ysa. (58, 10) : *oriatur in tenebris lux tua* etc. quia in utero Marie nox est unita diei, humanitas est coniuncta et reconciliata diuinitati. *In hac die tua que ad pacem tibi* (Luc. 19, 42). Item Maria est illa per quam tenebre luci uniuntur, per quam tenebrosi Deo reconciliantur. [123ra] Unde Bernardus<sup>1</sup> : « Hec est peccatorum scala, hec mea maxima fiducia, hec tota ratio spei mee. » Si ergo dies illa fuit artificialis que non habet diuisionem diei et noctis, dies hodierna in qua facta est illa unio benedicta qua Deus et homo unus est Christus, debet dici opus non nature set artis. Opus scilicet illius qui facit mirabilia magna solus ideo dixi nobiliori artificio fabricatur. Ps. (73, 16) : *tuus est dies et tua est nox tu fabricatus es auroram et solem*. Duplicem in Christo copulasti naturam.

[c] De tertio nota quod licet elementum habet propriam speram suam extra quam non quiescit nisi forte per uiolentiam, iterum in loco proprie spere conseruatur in spera impropria in aliena materia sicut in palea uel stupa extinguitur [ignis] cito palea consumpta. Recte sic est de gaudio inutili sicut de igne materiali, propria spera nostra extra quam animus non quiescit est uera spes et uerum gaudium cordis nostri, solus Deus est, dicente Apostolo (Rom. 15, 13) : *Deus autem spei repleat nos omni gaudio et pace*. Ps. (70, 5) : *Domine spes mea a iuuentute mea*. Recte sicut elementum non quiescit extra speram suam sicut dicit Augustinus<sup>2</sup> : « Fecistis nos Domine ad te et inquietum est cor nostrum donec quiescat in te. » Et Christus dicit (Jo. 16, 33) : *in mundo pressuram habebitis, in me autem pacem*. Iterum sicut ignis non perpetuatur in materia aliena ut stupa uel palea, sic gaudium quod concipitur de re transitoria statim transit defficiente re illa et ideo gaudium mundanorum est momentaneum ; in Job (20, 5) : *gaudium ypocrite ad instar puncti*, set illa<sup>3</sup> propria spera gaudii et utilis in qua sola [123rb] potest gaudium perpetuari Dominus est, ad Phil. III (4) : *gaudete in Domino semper iterum dico gaudete*, et Abacuc (3, 18) : *ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Domino Jhesu meo* quia propria sphaera gaudii mentalis sit creator et non creatura. Unde Bernardus<sup>4</sup> : « Illud est uerum et summum gaudium quod non de creatura set de Creatore concipitur, quod cum accepis nemo tollet a te, cui aliunde comparata omnis suauitas dolor est, omnis iocunditas meror est, omne dulce amarum est, omne decorum fedum est, omne postremo, quod delectari potest molestum est. » Et hoc patet expresse quia propria sphaera in qua debet delectari et quietari mens nostra est ille qui est spes nostra. *Letamini ergo in Domino et exultate iusti* (Ps. 31, 11). Iterum exultent iusti in conspectu Dei et delectentur in letitia. Locus autem contentiuus istius sphere fuit hodie uterus Marie. « Sancta et

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Maria AF (Bernardus in sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermo in natiuitate beatae Mariae Virginis*, 7 (SBO, V, p. 279).

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, I, 1 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

<sup>3</sup> illa] illi P.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Gaudium N (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 114, 1 (SBO, VII, p. 292).

immaculata Virginitas<sup>1</sup> », usque ibi : « tuo gremio contulisti ». Bernardus<sup>2</sup> : « O uenter capacior celis, diffusior terris, latior elementis qui illum continere ualuit quem totus orbis comprehendere non potuit et qui tribus digitis molem terre appendit. » Sicut ergo elementum quod alibi patitur uiolentiam, in loco proprie sphere inuenit quietem, sic cor humanum aliunde uiolentatum, pressum et turbulatum, ponens in Maria spem suam inuenit in ea consolationem et letitiam. Unde Bernardus<sup>3</sup> : « Si criminum immensitate turbatus, si consciencie feditate confusus, si iudicii horrore perterritus, si baratro desperationis absortus, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat |123va| a corde, non recedat ab ore, nam ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsam sequens non deuias, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigas, ipsa propicia peruenis. » Ysa. (51, 3) : *gaudium et letitia inuenietur in ea gratiarum actio et uox laudis*. De Maria sicut de loco proprie sphere et spei nostre cantamus in prosa : « Salue Regina Marie uita dulcedo et spes nostra salue », et in Ysa.<sup>4</sup> : « O uera spes et uerum gaudium fac post uite presentis stadium ut optatum in celis brauium nobis detur. » Recte sicut elementum non perpetuatur nisi in sphaera propria, sic qui uult pertingere ad gaudia sempiterna debet spem ponere in Maria. De illis qui hoc faciunt dicitur in Ysa. (35, 10) : *letitia sempiterna super capita eorum gaudium et letitiam optinebunt*.

[II] De secundo nota quod sicut dies illi sunt periculosi et mali in quibus dominantur et regnant planete maliuoli, sic per oppositum dies illi laudabiles sunt et boni in quibus regnant planete beniuoli. Unde est autem quod idem planeta nunc est beniuolus, nunc est maliuolus, nunc habet bonum, nunc malum officium, secundum quod intrat aliud et aliud signum. Nam alium effectum habet sol in cane seu diebus canicularibus, alium in leone, alium in libra, alium in Virgine. Spiritualiter dies canicularis et periculosus nimis est dies iudicii finalis, II ad Thy. (3, 1) : *in nouissimis diebus ibi stabunt tempora periculosa*. Tunc enim sol iustitie Christus erit sicut planeta maliuolus quia malos male |123vb| perdet, dicens eis (Mt. 25, 41) : *ite maledicti in ignem eternum* etc. in Luca. Tunc sol erit in cane ostendens furiam et iram caninam : *dies illa dies ire calamitatis et miserie* etc. (Soph. 1, 15). Erit etiam in leone ostendens ferocitatem et fortitudinem leoninam (Am. 3, 8) : *leo rugiet. Quis non timebit hunc canem et istum leonem timebat qui dicebat : erue a framea Deus animam meam et de manu canis uncam meam salua me ex ore leonis* etc. (Ps. 21, 21). Joel III (2, 11) : *magnus dies Domini terribilis ualde et qui sustinebit eum*. Tunc erit in libra quia tunc libra equitatis ponderabit merita et demerita nostra, reddens unicuique secundum opera sua, cum ergo dies ille malus et odiosus erit, quia tunc regnabit planeta maliuolus set dies hodiernus quo sol iustitie intrauit non signum set sinum Virginis gloriose quo etiam regnare cepit planeta beniuolus quia *ecce rex tuus uenit tibi mansuetus*, Mt. (25, 1). Dies ille, inquam, Annuntiationis amabilis et laudabilis est ut merito dicatur :

<sup>1</sup> CAO, 4, 7569 (répons, Nativitas Domini, in secundo nocturno).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria AC (Bernardus in quodam sermone).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Maria AD (Bernardus in sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *In laudibus Virginis Matris*, 2, 17 (SBO, IV, p. 35).

<sup>4</sup> AH, vol. 54, p. 289, n° 188 (in nativitate BMV, Dominicains).

*dies boni nuntii*. Ubi aduertendum quod sole exeunte in Virgine sequitur duplex effectus bonus. Tunc enim colliguntur fructus et refrigeratur estus propter duplicem effectum. Dies Annuntiationis dominice est amabilis beniuolentie. Hodie enim in orto uirginali recollectus fructus ille quo utuntur angeli et anime beatorum fruuntur, non fastidiunt, quo frui magis sitiunt hodie dictum est sibi : *benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus uentris* etc. (Luc. 1, 42). Dicunt ortolani quod quando flores cadunt de arbore, antequam fructus sit formatus, arbor illa de toto anno non portabit fructus, set tamen arbor finaliter portat fructus quando flores manent in arbore donec fructus sit perfecte formatus. Arbor fructifera est mulier fecunda, Ps. (127, 3) : *uxor tua sicut uitis habundans* etc. Fructus arboris est *fructus uentris*, Ps. (126, 3). Filii merces fructus uentris, flos ardoris candor uirginitatis fructus cum flore uirginitas cum fecunditate. Excepta autem Maria numquam fuit in regione nostra arbor aliqua que non perdidit florem uirginitatis sue, numquam fructus formaretur in arbore, id est fetus in uentre. A solo Nazareth qui interpretatur<sup>1</sup> flos potest aliquid boni esse. Fructus iste benedictus nasciturus erat de sola Virgine, ut dicat ipsa (Eccli. 24, 23) : *ego quasi uitis fructificaui suauitatem odoris*. Ecce fructus arboris cum flore uirginitatis. Est ergo hec dies amabilis beniuolentie propter fructum habet recollectum ecclesie in die bona fructus et mala die precaue. Iterum secundo propter estum refrigerationis per filium Virginis refrigeratus est estus uitiorum et refrigerandus atque sectandus est estus desideriorum quia ipse est finis desideriorum nostrorum. Prou. 26 (25, 25) : *aqua frigida anime sitiendi nuntius bonus de terra longinqua*, id est de terra uiuentium. Ad quam nos perducatur.

---

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 137.

## SERMON 51

Annonciation.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 124rb-125rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 18ra-19ra.

F. 124rb : *Fructus enim lucis est in omni bonitate*, Eph. (5, 9).

Sicut ortolanus plantam in umbra plantatam transfert ad locum ubi lucis est beneficium, quia ibi fructum facit pulcriorem et habundantiorem, quia *fructus lucis est in omni bonitate*, sicut beatus Paulus qui dixit (I Cor. 3, 6) : *ego plantaui* etc. uidens quod Deus plus quam natura stipitem posuit, scilicet corpus fecit, et inseruit stilum, scilicet Spiritum Sanctum, quem omnis fructus debet procedere, uidens etiam quod hactenus fuerunt homines in umbra propter obstaculum peccati obstantis ne lux gratie ad homines ueniret, hortatur ut ad statum gratie nos transfretamus ut faciamus<sup>1</sup> fructum salutis multum, nam Christus sol iustitie iustificantis fructificare facit qui dicit (Io. 15, 4) : *sicut palmes non potest facere fructum a semetipso nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me manseritis*. Set dyabolus qui se<sup>2</sup> transfiguratur in angelum lucis suggerit fructum, delectationem carnis, propter fructum et superbiam et apparentem loco lucis et cupiditatem mundi propter utilitatem, contra quod Apostolus statum gratie describit quia est deliciosus in sua fertilitate, *fructus*, est spirituosus ex sua fulgida claritate, *lucis*, fructuosus ex utilitate, *in omni bonitate*. Galice : il i a plenté delitable, clere branche et honorable, et mount de bounté profitable. Et hec tria complent rationem boni.

Circa primum nota quod arbor cognoscitur ex fructu. Sic homo potest |124va| cognoscere qualis fuit in statu peccati quando mordet modo peccatum cuius remorsus est amarus. Nota etiam quod exiens in peccato non bonum facit et si bonum quod facit ex genere sit quod facit nec ualet uitam eternam, quia non est Deo gratiosum nec ad remissionem pene nec ad uisitationem gehenne, nec ad diminutionem pene quam iam incurrit, quia istam euadit dum bene agit. Causa eorum que dicta sunt est quia Deus non recipit pro eo quod ei debitum nisi quod gratiosum est ei ut recipiat nec per bona sequentia possunt ista ualere quia mortua sunt sicut est de mortificatis ; ymmo oportebit reddere rationem<sup>3</sup>, quod erit difficile, quia sursum ratio est facta super omnia, *quem ergo fructum habuistis in quibus nunc erubescitis* (Rom. 6, 21) nam *finis illorum mors est*, Ro. (6, 21). Set istam amaritudinem conuertit Deus in dulcedinem : *qui conuertit mare in aridam* (Ps. 65, 6), quomodo<sup>4</sup> Helyseus per lignum positum in aqua de amara dulcem fecit, sic homo aquam<sup>5</sup> contritionis dulcem facit, per memoriam ligni crucis cuius memoria est actualis afflictio, Col. 1 (9) : *impleamini agnitione uoluntatis eius*. Qui facit uoluntatem Dei complete debet omnia peccata tollere quorum quilibet est

<sup>1</sup> faciamus] facimus P.

<sup>2</sup> se] Christum add. P.

<sup>3</sup> rationem om. P.

<sup>4</sup> quomodo] quo B.

<sup>5</sup> aquam] aqua B.



contra uoluntatem Dei, ymmo et uoluntatem recidiuandi quam odit Deus in uoluntate. Unde quamdiu unum peccatum uel uoluntas peccandi est in uoluntate, non est amicus nec indulgentiam recipis. Iniuriaris etiam sciencie Dei uolens occultare ei delictum quod non potes. Ideo *hec est uoluntas Dei sanctificatio uestra*, Ro. (I Thess. 4, 3), ut omnia |124vb| membra moueantur ad uoluntatem superioris que semper est facienda, sicut ad preceptum ducis cuncti de exercitu parant se diuersimode. Sequitur (Col. 1, 9) : *in omni sapientia et intellectu spirituali*. Sicut quod bene sapit, bene nutrit et auget corporaliter, sic spiritualiter ad hoc autem exigitur quod omne quod amaricare potest tam ex parte gustantis quam ex parte operis tollatur, scilicet quod homo non habeat peccatum quod amaricare facit palatium consciencie et quod opus sit bonum ex genere tunc nutrit et augebit quia spiritualia possunt augeri in infinitum quoad mores. Ecc. XV (Ex. 35, 31) : *impleuit eum Dominus spiritu sapientie et intelligentie*. Econtrario est suo modo nam aliqui peccatores continue uellent peccare et sic augeri in malo<sup>1</sup>. Sequitur (Col. 1, 10) : *in omni opere bono fructificantes et crescentes*. Quanto plus placet bonum, tanto plus uult homo benefacere et quanto plus benefacit, tanto plus proficit, in tantum quod quodlibet opus bonum ualet ei non solum ad merendum aliquod bonum set omne bonum. *In omni opere bono erit habundantia* (Prou. 14, 23). Nota quomodo crescit pellis ex una parte et decrescit ex alia, ic multi sicut castus aliquando est auarus. Nota etiam quomodo linea crescit in longitudine solum, sic aliqui in longitudine uite, non tantum in latitudine caritatis et uirtutis contra quod (I) Pe. (2, 2) : *in eo crescatis in salutem*.

Circa secundum nota quod sicut lux est delectabilis ad uidendum, sic pulcritudo conuersationis lucide et honeste |125ra| approbatur ab hominibus. Econtrario mala conuersatio offendit tam oculos sanos quam egrotos<sup>2</sup> quia bonos interdum malos facit et malos peiores propter scandalum, set lucem habens non offendit ubi sunt offendicula, scilicet mala, que potest cauere, tenebrosus autem ubique offendit, quia de malis que uidet peior efficitur. Propter hoc necessaria est lux gratie. Gen. I (4) : *uidit Deus lucem quod esset bona*. Ex hoc est res magis bona quod nichil habet amixtum de contrario quia ubi est talis mixtio, ibi est aptitudo ad corruptionem uel ibi ipsa corruptio, sicut patet in corde humano sic in moribus. Lux autem nichil habet de contrarietate amixtum nec propter feces deturpatur. Sic homo bonus nichil debet habere de amixtione peccati nec de malo debet inquinari, nec de bono uiso uel facto a se debet obfuscari sicut qui inuidet aliis uel de suo opere bono uane gloriantur. *Igitur ut filii lucis ambulate*, Eph. (5, 8). Sequitur (Gen. 1, 4) : *et diuisit lucem a tenebris*. In tantum diuisit quod una ad alteram non attingit set fugat. In luce Christus est, in tenebris dyabolus, *que conuentio Christi ad Belial autem que societas lucis ad tenebras* (2 Cor. 6, 14-15). Sicut fracta testa patet lux que latebat, sic lux beatorum patet in morte amplior quia gratia fit perfecta scilicet gloria. Mali autem proiciuntur in tenebras exteriores quia interiores nunc habent. Sequitur (Gen. 1, 5) : *appelauit lucem que diem* quia boni qui hic in luce gratie student in libro consciencie

<sup>1</sup> malo] esse moris *add. P.*

<sup>2</sup> egrotos] egros *B.*

erunt sicut dies celi, quando lux |125rb| que hic inchoatur ibi complebitur, et *sic factum uespere et mane dies unus* (Gen. 1, 5), ibidem quia de cognitione uespertina sui uenient ad uisionem claram matutinam diei et tenebras mortem, quia expendunt in tenebris peccatorum lucem sue cognitionis naturalis. Ideo in fine non illuminentur propter quod nox illa erit eis perpetua ubi *in terram tenebrosam et opertam mortis caligine* (Iob 10, 21).

Circa tertium nota quod paruum proficit qui toto tempore uite sue uadit et in fine inuenit se ita longe a bono quod currit sicut quando inceptit et adhuc magis quia longius distat. Sic peccator : *longe a peccatoribus salus* (Ps. 118, 155), ymmo si non proficit retrocedit quia *numquam in eodem statu permanet* (Iob 14, 2). Gratia autem Dei facit eum esse prope Deum et bonum, quod querent prope eum esse facit. Sap. (7, 10) : *super salutem et speciem dilexi illam* etc.

## SERMON 52

Annonciation.

Auteur : Thomas d'Aquin.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 125rb-126va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 19ra-20rb.

Edition correcte par I. F. Rossi : « S. Thomae Aquinatis Expositio Salutationis angelicae », dans *Divus Thomas*, 34, 1931, p. 445-479.

F. 125rb : *Aue Maria gratia plena* (Luc. 1, 28).

In salutatione ista due partes continentur et unam partem fecit angelus, *aeue*, usque *in mulieribus*, aliam partem fecit Elizabeth. Jo. (Luc. 1, 42) : *benedictus fructus uentris tui*. Tertiam partem addidit ecclesia, scilicet *Maria*, nam angelus non dixit : *aeue Maria*, set *aeue gratia plena*, et hoc nomen *Maria* secundum suam interpretationem contingit dictis angelis secundum quod patebit. Est ergo primitus considerandum quod antiquitus erat ualde magnum quod angeli<sup>1</sup> apparerent hominibus et quod homines facerent eis reuerentiam, habebant pro maxima laude. Unde |125va| et ad laudem Abrahe scribitur quod recepit<sup>2</sup> angelos in hospicio suo et exhibuit eis reuerentiam. Quod nunc angelus faceret homini reuerentiam, numquam fuit auditum<sup>3</sup>, nisi postquam salutauit beatam Virginem reuerenter dicens : *aeue*. Quod autem antiquitus angelus non reuerabatur, set homo angelum, ratio est quia angelus erat maior homine, et hoc quantum ad tria.

Primo quantum ad dignitatem nature. Nam angelus est nature spiritualis. Ps. (103, 4) : *qui facit angelos suos spiritus* etc. Homo uere est nature carnalis siue corporalis, et ideo dicebat Abraham (Gen. 18, 27) : *loquar ad Dominum meum cum sum puluis et cinis*. Non ergo erat decens ut spiritualis et incorporalis natura reuerentiam exhiberet corporali, scilicet homini.

Secundo quantum ad familiaritatem ad Deum. Nam angelus est Deo familiaris utpote Deo familiaris, utpote Deo assistens. Dan. VII (10) : *milia milium assistebant ei*. Homo uero est quasi extraneus et elongatus per peccatum. Ps. (54, 8) : *elongaui fugiens*. Ideo conueniens erat ut homo [reueretur] angelum quod tamquam Deo propinquum et familiarem regis glorie.

Tertio preminebat propter plenitudinem splendoris gratie diuine. Angeli enim participant ipsum lumen in summa plenitudine. Job (25, 3) : *numquid est numerus militum eius et super quem non splendet lumen eius ?* Et ideo semper apparet cum lumine set homines et si aliquid participant uere<sup>4</sup> ipso lumine gratie, hoc est paruum et in quadam obscuritate. Non ergo erat decens ut homini reuerentiam exhiberet quousque aliquis inueniretur in humana natura, qui in hiis |125vb| tribus

<sup>1</sup> angeli *om. B.*

<sup>2</sup> recepit] rescepit *B.*

<sup>3</sup> auditum] auditu *B.*

<sup>4</sup> uere *om. B.*

angelos excederet, et hoc fuit Virgo beata<sup>1</sup>. Ideo ad designandum quod in hiis tribus excedebat eum, uoluit angelus ei reuerentiam exhibere. Unde dixit : *ae*. Unde excedit angelos in hiis tribus.

Primo in plenitudine gratie que magis<sup>2</sup> reperitur in beata Virgine quam in aliquo angelo. Et ideo ad hoc insinuandum, angelus ei reuerentiam exhibuit dicens ipsam plenam gratia, quasi dicat : ideo exhibeo tibi reuerentiam quia me excellis in plenitudine. Dicitur autem beata Virgo plena gratia quantum ad tria.

Primo quantum ad animam in qua habuit plenitudinem, nam gratia diuidatur ad bene operandum et uitandum malum. Et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit beata Virgo. Nam ipsa omne peccatum uitauit magis quam aliquis sanctus post Christum. Peccatum enim aut est originale et de isto mundata fuit in utero, aut mortale aut ueniale et de istis libera fuit. Unde in Can. (4, 7) : *tota pulcra es* etc. Unde<sup>3</sup> Augustinus<sup>4</sup> : « Si omnes sancti et sancte congregarentur etc. excepta etc. » Set Christus excellit beatam Virginem in hoc quod sine peccato conceptus fuit et natus. Beata autem Virgo in originali [peccato] concepta fuit, non nata. Ipsa enim omnium uirtutum exercuit opera, alii sancti spiritualia quia aliquis humilis, aliquis castus, aliquis misericors, et ideo ipsi dantur in exemplum spiritualium uirtutum, sicut beatus Nicholaus in exemplum misericordie. Set beata Virgo in exemplum omnium uirtutum quia in ipsa reperitur exemplum humilitatis. Luc. (1, 48) dicitur : *respexit* [126ra] *humilitatem* etc. ; exemplum uirginitatis quia *uirum non cognosco* (Luc. 1, 34) et omnium uirtutum ut satis patet. Sic ergo beata Virgo plena est gratia quantum ad puritatem et quantum ad uirginitatem.

Secundo quantum ad refluentiam anime ad carnem. Nam magnum in sanctis est hoc quod gratia sanctificet animam. Set anima beate Marie ita fuit plena gratia quod ex ea refudit gratiam in carnem ut de ipsa filium Dei conciperet et ideo dicit Hugo de Sancto Victore<sup>5</sup> quod in corde eius « amor Spiritus Sancti singulariter ardebat. Ideo in carne eius mirabilia faciebat in tantum quod de ea Deus nasceretur et homo. » Luc. I (35) : *quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*.

Tertio quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto quando habet tantum de gratia quod sufficit sibi ad suam salutem set magis quod hec tantum sufficit ad salutem multorum, set si haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo hoc maximum esset, et hoc est in Christo et in beata Virgine. Nam in omni periculo potest salutem optinere ab ipsa Virgine glorie. Unde in Can. (4, 4) : *mille clipei, remedia contra pericula, pendent ex ea*. Item in omni parte uirtutum potest eam habere in adiutorio et ideo dicit Eccli. (24, 25) de ipsa : *in me omnis spes* etc. Sic ergo plena est gratia et excedit angelos in plenitudine gratie. Propter quod

<sup>1</sup> Virgo beata] beata Virgo B.

<sup>2</sup> magis] mater B.

<sup>3</sup> unde om. B.

<sup>4</sup> Petrus Lombardus, *Sententiae*, III, dist. 3, 2 (Grottaferrata, 1971, p. 33). Cf. Augustinus Hipponensis, *De natura et gratia*, 36, 42 (C. Urba et J. Zycka, CSEL 60, 1913, p. 263).

<sup>5</sup> Guillelmus de Sancto Theodorico, *Expositio super epistulam ad Romanos*, I, 4 (P. Verdeyen, CM 86, 1989, p. 8).

conuenienter uocatur Maria que interpretatur illuminata <sup>1</sup>in se, Ysa. (58, 11) : *supplebit splendoribus*, et illuminatrix inter alios quantum ad totum mundum et ideo assimilatur soli et lune.

Secundo excedit angelos in famili|126rb|aritate diuina. Et ideo hoc designans angelus dixit : *Dominus tecum* quasi dicat : ideo exhibeo tibi reuerentiam quia tu familiarior<sup>2</sup> es Deo quam ego nam *Dominus est tecum*. Dominus in quantum pater est tibi familiaris uel est tecum in eodem filio quod nullus angelus nec aliqua creatura, Luc. (1, 35) : *quod enim ex patre natum est*. Dominus filius in utero, Ysa. (12, 6) : *exulta et lauda habitatio*. Aliter ergo est Dominus cum beata Virgine quam cum angelo quia in ea est ut filius, cum angelo ut Dominus. Dominus Spiritus Sanctus sicut in templo, unde dicitur : *templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti, quia concepit ex Spiritu Sancto*<sup>3</sup>. Luc. (1, 35) : *Spiritus Sanctus superueniet* etc. Sic ergo familiarior<sup>4</sup> est cum Deo beata Virgo quam angelus, quia cum ipsa Dominus pater, Dominus filius, Dominus Spiritus Sanctus, scilicet tota Trinitas. Unde cantatur<sup>5</sup> de ipsa : « Totius Trinitatis nobile triclinium ». Nam hoc uerbum *Dominus tecum* est nobilius uerbum quod ei dici posset. Merito ergo angelus reueretur beatam Virginem quia mater Dei et iam domina. Unde contingit ei hoc nomen Maria, quod sua lingua interpretatur domina.

Tertio quantum ad puritatem quia beata Virgo non fuit solum pura in se, set etiam procurauit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia nec originale peccatum nec mortale nec ueniale incurrit. Item quantum ad penam. Tres enim maledictiones date sunt hominibus propter peccatum. Prima data est mulieri quod in corruptione conciperet et in grauiditate portaret et in dolore pareret. Set ab hac immunis fuit beata Virgo quia sine corruptione concepit, in solatio portauit et |126va| cum gaudio peperit Saluatorem. Ysa. (32, 2) : *germinans germinabit*. Secunda data est hominibus quod in sudore uultus uesceretur pane suo. Ab hac fuit immunis beata Virgo quia ut dicit Apostolus, ad Cor. : uirgines solute sunt a curis huius mundi et soli Deo uacant. Tertia fuit communis uiris et mulieribus, scilicet ut in puluere reuerentur. Ab hac immunis fuit beata Virgo quia cum corpore ascendit in celum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuit et portata in celum. Ps. (131, 8) : *exurge Domine tu et archa* etc. Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione et *benedicta in mulieribus* quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portauit et ianuam paradysi aperuit. Et ideo ei conuenit nomen Marie que interpretatur stella maris<sup>6</sup> ; quia, sicut per stellam maris nauigantes ad portum diriguntur, ita Christiani per Mariam ad gloriam diriguntur.

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>2</sup> familiarior] faciliior P.

<sup>3</sup> Antiph. ad Magn. in festo Presentationis B.M.V.

<sup>4</sup> familiarior] faciliior P.

<sup>5</sup> AH, vol. 54, p. 384, n° 245 (Adam de St Victor, De beata Marie).

<sup>6</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

**SERMON 53**

Annonciation.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 126va-128va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 20va-22ra.

Plan :

Prothème – Comparaison entre la Vierge et l'eau.

Thème – Les bienfaits qu'apporte la Vierge

I – La douceur de la grâce

II – La fertilité

F. 126va : *Gratia*<sup>1</sup> *plena Dominus tecum*, Luc. primo (28).

[Prothème] Quantumcumque miser sit aliquis, tamen quando uadit ad mare illa hora precipue qua mare plenum est, potest haurire aquam. Hodie fuit Maria plena usque ad summum et fuit mare quia hodie illum habuit in mente et uentre (III Reg. 8, 27) : *illum quem celi capere non poterant*. Hodie etiam per scripturas per reuolutionem annorum XXXIII et tamen quantum ab Epiphania fuit mare amarum quia tali die uidit mori filium. Ad istud ergo mare sic redundans quia *mirabiles elationes maris* (Ps. 92, 4), recurrere debent omnes etiam miseri et |126vb| non recedent uacui. Hanc plenitudinem confitetur angelus ei spiritualis cognatus quia angelis cognata est uirginitas. Jeronimus<sup>2</sup> : « Tales scilicet affines sciunt secreta. » Hoc secretum ecclesie tam proficuum reuelat euangelista set prudens altus est per humilitatem. Ideo oportet uas depremere per orationem in qua mens Deo humiliatur. Ad hoc autem debent nos inducere duo que tanguntur in hiis uerbis. Grata collatio doni plenarii, *gratia plena*, associatio fontis primatii, *Dominus tecum*. Gallice : Dieu de grace luy plener et cil que doyye le primer. Circa primum nota quod qui uult haurire aquam debet uas ponere ubi est maior habundantia, maior copia descendit in istam. Ideo ibi ponamus mentem per deuotionem et os uasis per orationem quia *facies tua plena est gratiarum*, Hest. II (15, 17). Impediamus si non ponamus ibi oculum mentis, ideo describitur talis que digna est aspectu. Unde qui diligit eam aspiciam tantam gratam quia « ubi amor, ibi oculus<sup>3</sup> ». Set quia possit aliquis dicere : sufficienter habet et non plus, ideo fons semper emanans secum esse describitur, ideo Ps. (72, 23) : *ego semper tecum*. Potest dicere filius, et Mat. (Ps. 72, 24) : *tenuisti manum dexteram meam et in uoluntate tua* etc. et predicator (Ps. 72, 28) : *michi autem adherere Deo bonum est et ponere in Deo spem meam ut annuntiem*, omnes laudes tuas precipue in die quo annuntiat omnis |127ra|.

[Thème] *Gratia plena Dominus tecum*, Luc. I. Quandoque contingit quod aliqua persona de aliquo langore surrexit et nondum habet perfectum uigorem nec adhuc plene recuperauit appetitum,

<sup>1</sup> gratia – annuntiat omnis om. B.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> Non inueni.

propter quod ei omnia cibaria proponuntur de quibus presumitur quod eius actui debeat appetitus, ut tandem fortificata possit [ali]quibus cibis uti si prius in camera cibatur delicatis gratuitis et leuibus et talibus que cito repleant quia non indiget multo cibo. Aliquando enim ministratur fructus in arbore uel in ramo sicut cecasa est branche qui propter retenciam excitat appetitum. Ante istud tempus anime fuerunt in langore<sup>1</sup>, modo aliquae surrexerunt set nondum recuperantes nunc appetitum spiritualium, quod potest experiri quilibet in se ipso, quando inuenit se grauem ad agendum spiritualia et quecumque bona, quia corporales medici dicunt appetitum, nos dicimus affectum uel desiderium. Videns ergo angelus qui est medicus animarum, quia minister realiter purgat, sicut medicus illuminat ostendendo que appetere debeamus, proficit iuuando suo merito<sup>2</sup> et inflammando affectum, donec sumus apti ad communicandum in eodem pane. Nam *panem angelorum manducauit homo* (Ps. 77, 25) ; offert hodie quo nichil magis gratum, quo nichil magis replens et fructum cum arbore quod totum comprehendit in salutatione Virginis. Prius enim oportet quod in gratia simus<sup>3</sup>, deinde sumamus sicut ista et si tu dicas quare uocat eam gratiam plenam et non plenam gratiam, tantum quod uidetur sonare ordo quia non solum fuit [127rb] plena gratia sicut Johannes Baptista et apostoli, set gratia plena in ea fuit sicut etsi luna plena sit in luce, non tamen lux plena est in ea set in ista tantum fuit de luce gratie quantum Deus ordinauit dare pure creature. Unde non inuenitur plus de gratia in pura creatura et puro homine concepto gratia singularis que erat cum ea et in ea et de ea. Primus enim gradus propinquitatis est pater et mater. Hic fructus contrarius est ei de quo Adam gustauit quia precipitur homini quod manducet de isto et si non manducat, peccat. Si cum peccato est et manducat, peccat. Quid ergo faciet erit ne † uter peniteat et habebit gratiam et erit Dominus secum et sicut omnes qui sunt de stirpe Ade comunicant in illa comestione, sic omnes qui attinent Marie in gratia possunt esse participes huius fructus. Nota quomodo Abraham dixit Saray : *dic obsecro quod soror mea sis*, Gen. (12, 13), *ut uiuat anima mea ob gratiam tui*. Et sequitur quod Abraham bene usi sunt propter eam.

[Division] Notantur quatuor : acceptibilitas corda alliciens, *gratia*, summa fertilitas eam reficiens, *plena*, alta auctoritas cuncta uel corda subiiciens, *Dominus*, familiaritas semper consentiens, *tecum*. Homo fons erat contemptibilis uacuis et a Deo elongatus set uide totum hominem reformatum in salutatione Virginis, gratia contra contemptibilitatem, plenitudo contra uacuitatem, societas Dei contra elongationem. Gallice : il la [127va] descrit pour graciouse que doyt les devoz cuers actrere et dit que ele est pleintinouse pour touz les defautes refere ou li a pousté<sup>4</sup> virtuouse que doyt de mal fere retrere compaignie<sup>5</sup> amoureuse que est ou li sanz de pleyre.

<sup>1</sup> langore] languore B.

<sup>2</sup> merito] modo *exp. P.*

<sup>3</sup> simus] sumus P.

<sup>4</sup> pousté] poste B.

<sup>5</sup> compaignie] compaignie B.

[I] Circa primum nota quod sicut nichil uidetur nisi lucidum, sic nichil placet nisi gratum set oculus<sup>1</sup> corporis uidet res mundi in superficie et nuntiat cordi non auertens defectum latentem. Ideo cor decipitur propter quod non deberet talem nuntium recipere cum in eo sua mors iaceat ; uelata enim omnia que in mundo sunt, picture quedam sunt respectu eorum que exspectantur, ista cor non replet set cor secum trahunt, uacua enim sunt. *Aspexi terram et ecce uacua fuit et nichil* (Jer. 4, 23). Ideo uolunt replere corda nostra<sup>2</sup> quia uacuum naturaliter attrahit. Unde homo talia diligens non est dominus sui cordis, quod patet quia non potest illud retrahere. Set alius est oculus mentis qui cognoscit celestia que<sup>3</sup> debet cor sequi. Hic illuminatur gratia que animam replet et de hac ista erat illuminata et plena. Hanc nuntiat angelus bonus. Quanto homo est ista magis plenus, tanto leuior et agilior ad faciendum bonum. Unde ista plenior ceteris altius attingit usque scilicet ad Trinitatem pre omnibus aliis. Ideo potest de ea intelligi quod dicebat Johannes de filio in Jo. primo ca. (1, 15) : *prior me erat*. Ille habet eam priorem qui eam ymitatur quo ante se ab ea [127vb] auertit, habet eam post tergum et sic ingrate se habet ad eam, sic Deus non dat tali gratiam. Non enim uertit faciem ad lucem. Nota : quando in electione est aliqua dissensio, superior ex officio prouidet de persona que prior sit aliis et eis fit in exemplum. Homo, cum peccat, eligit dyabolum quasi priorem se et eum ymitatur set dissensio est in consciencia. Ideo prouidit Deus de persona que precedat quam omnes debent ymitari. Dyabolus abscondit difficilimum punctum religionis sue, scilicet mortem, cuius memoria<sup>4</sup> non uolunt habere peccatores, in illo puncto exigit penam pro omnibus transgressionibus factis sub se quas tamen approbat dum fiunt. Deus autem uult quod habeamus istum punctum semper ante oculos. Unde hec dies semper est similis conceptionis et mortis. In signum huius euangelium quod legitur prima dominica Aduentus, legitur in ramis palmarum ad ostendendum quod ab initio uite usque ad mortem fuit passionatus. Ut ergo ad istum punctum recte ueniamus, respiciamus ad stellam maris que directe iuit. Ideo uoluit eam esse preuiam quia in ea nichil fuit reprehensibile. Nota quomodo Joseph plus credidit castitati eius quam utero, plus gratie quam nature. Sap. VII (29) : *omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior* et post. Per hanc enim habeo gratiam et quia qui prior uadit debet de eo quod inuenit participare aliis. [128ra] Sequitur : *de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia* (Jo. 1, 16). Cum enim audiuit quod Deus, qui se humiliabat, inclinauit se cumque eleuata fuisset usque ultra cherubin et seraphin, usque ad abyssum humilitatis descendit, dicens (Luc. 1, 38) : *ecce ancilla Domini*, quia uirtus promissa humiliat, uanitas promissa Eue illam eleuauit. Hec autem in illo descensu impleta fuit Deo et homine<sup>5</sup>. Nota quomodo Bernardus<sup>6</sup> dicit quod Adam cum tota posteritate sua exspectauit hoc uerbum in puero. Siquidem habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, ad Ephe. 2 (Eccli. 26, 19) : *hec est gratia super gratiam mulier sancta et pudorata*. Pro

<sup>1</sup> oculus] oculis P.

<sup>2</sup> corda nostra] cordibus nostris P, B.

<sup>3</sup> que] quam P.

<sup>4</sup> memoria] memoratio B.

<sup>5</sup> homine] homini B.

<sup>6</sup> Non inueni.



sua gratia gratiam recepimus. Non enim potest fieri aliquod peccatum contra quod ipsa non habeat aliquam uirtutem oppositam pro qua impetrat tibi gratiam. Si tu auertas te a culpa et ad illam te conuertas, sicut lux parata est semper intrare oculum si conuertatur ad illam et aperiatur, et unde hec gratia, quia sequitur (Jo. 1, 17) : *lex per Moysen data est gratia et ueritas per Ihesum Christum facta est*. Lex Moysi grauis erat set Christus gratiam dedit et datur remissio omnium peccatorum set quidam propter facilitatem uenie amplius delinquent ea abutentes, set in iudicio non habebunt excusationem set hec gratia non est sine uera confessione de preteritis et sine uitatione futurorum. *In me gratia omnis uite et ueritatis*, Ecc. XXIII (25). *Misericordiam et ueritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus* (Ps. 83, 12). Nota quod Moyses non faceret aliquam gratiam, si ammodo sic esset quod a motione fame [128rb] truncaretur manus quod<sup>1</sup> minus bonum est, non ita frequenter in hoc peccarent homines. Nota de Abigail (I Reg.) XXV quomodo placuit regere Dauid confitendo ueritatem excessuum uiri sui et tandem regina facta est.

[II] Circa secundum nota quod arbor illa fructuosa esset ubi cotidie fructiferatur et fructus statim fructificat. Sic est de fructu huius arboris, cotidie gratiam ibi possumus capere et hec in nobis fructificatur per quod fieri habet opus Deo gratum mereamur omne bonum. Bonum etiam exemplum quod ista reliquit, istam uelut fructum colligunt illi qui secuuntur. Si seminatur in cordibus nostris fructificat, qui quidem fructus sunt eius sicut patet Ja. III (3, 17) : *primum quidem est pudica*. Est bonus pictor qui ponit candorem. Sic in forma nostre ymaginis primo debemus ponere candorem puritatis et pudicitie propter Deum qui est anime sponsus, ex quo sequitur conceptus boni propositi et partus boni operis. Econtra in peccato dyabolus nititur suffocare bonum conceptum et quando non potest, saltem in fine partus scilicet operis insidiatur uolens occidere per uanam gloriam. Hec autem Virgo concepit et peperit quod est ex gratia. *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata*, Ecc. XXIII (26, 19). Duplex est castitas, una mentis, alia corporis. Hanc custodiunt alique ne uenter tumescat. Castitas mentis est que deberet esse<sup>2</sup> sponsa Dei. Alioquin non facit fructus salutis quia facit uirgines fructificare. Sequitur (Ja. 3, 17) : *deinde pacifica* quia non habet pacem cum aduersario [128va] Dei, mundo scilicet uel dyabolo uel peccato. Et sic homines componere uolentes inter personas eligunt locum<sup>3</sup> exemptum a tumultu, sic Deus uolens facere pacem inter se et homines elegit istam in qua non erit murmur in consciencia et quantum potest fieri sceleriter partes illese hic sicut in aliis considerationibus, quia sicut pater generans filium nullum patitur detrimentum diuinitatis, sic mater nullum detrimentum uirginitatis et utraque natura in filio est perfecta. Unde Leo<sup>4</sup> papa : « Tanto federe utramque naturam conseruit ut nec inferiorem consumeret glorificatio nec superiorem minueret assumptio. » Sic qui uult pacem habere cum Deo debet habere cor integrum sine culpa. *Gratia uobis et pax multiplicetur* (I Pe. 1, 2). Sequitur : *modestia*.

<sup>1</sup> quod] que P.

<sup>2</sup> esse] in *add. B.*

<sup>3</sup> locum *om. B.*

<sup>4</sup> Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, XXI, 2 (A. Chavasse, SL 138, 1973, p. 87).

## SERMON 54

Annonciation.

Auteur : Thomas d'Aquin. Edition correcte par I. F. Rossi : « S. Thomae Aquinatis Expositio Salutationis angelicae », dans *Divus Thomas*, 34, 1931, p. 445-479.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 128va-vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 20rb-va.

F. 128va : *Benedictus fructus uentris tui* (Deut. 28, 4, Luc. 1, 42). Peccator aliquando querit in aliquo quod non potest inuenire nec consequi set consequitur illud iustus. Prouerbiu (13, 22) : preparatur *iusto substantia peccatoris*. Sic Eua quesituit fructum et in illo non inuenit quod uoluit. Beata uero Virgo in fructu suo inuenit omnia que desiderauit [Eua]. Nam Eua in fructu suo tria desiderauit.

Primo illud quod false promisit ei dyabolus, scilicet quid erunt sicut dii, ut dii scientes bonum et malum. *Eritis*, inquit ille mendax, *sicut dii*, Gen. (3, 5) et mentitus est quia mendax est et pater eius nam Eua propter Esum<sup>1</sup> fructus, non est facta Deo similis set magis dissimilis quia peccando recessit a Deo salutari suo, unde et expulsa est de paradyso. Set hoc inuenit beata Virgo et omnes christiani [128vb] in fructu uentris tui quia per Christum coniungimur et assimilamur Deo, (I) Jo. (3, 2) : *cum apparuerit similes ei erimus*.

Secundo in fructu suo Eua desiderauit delectationem set non inuenit quia statim cognouit se nudam et inde habuit dolorem. Set in fructu enim Virginis suauitatem inuenimus et salutem, Jo. (6, 55) : *qui manducat carnem meam etc.*

Tertio fructus Eue erat pulcher aspectu set pulciores in qua fructus desiderant angeli. Ps. (44, 3) : *speciosus forma pre filiis hominum* et hoc est splendor paterne glorie. Non ergo inuenire potuit Eua in fructu suo quod querebat nec quilibet peccator in peccatis suis. Et ideo que desideramus queramus in fructu Virginis. Est autem hic fructus benedictus a Deo et sic repleuit eam omni gratia quod peruenit ad nos. Ephe. (1, 3) : *benedictus Deus et pater* ab angelo exhibendo ei reuerentiam. Apoc. (7, 12) : *benedictio et claritas* ; ab omnibus, *omnis lingua confiteatur* (Phil. 2, 11). Ps. (117, 26) : *benedictus qui uenit in nomine Domini*. Sit ergo Virgo benedicta set fructus eius magis benedictus.

---

<sup>1</sup> Esum] usum exp. P.

## SERMON 55

Cène.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 128vb-130rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 56rb-57va ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 181rv.

Plan :

Prothème – L'énigme posée par Samson.

Thème – Un modèle ne peut suffire à l'artisan pour travailler. Le Christ est présent en personne dans l'hostie :

I – une nourriture adaptée

F. 128vb : *De comedente exiuit cibus*, Judic. (14, 14).

[Prothème] Istud uerbum est une devinaille que fuit antiquitus proposita in quodam grandi conuiuio quod per plures dies durauit. Prima die illius conuiuui Sampson proposuit sodalibus suis uerbum istud ut ipsi infra VII dies deuinarentur quid esset et fecit cum eis pactum. Nota totum usque ibi quomodo non potuerunt quousque consuluerunt sponsam uel uxorem Sampsonis. Maius prandium [129ra] uel conuiuium quod umquam fuerit est illud in quo Christus pro cibo dat nobis corpus suum et pro potu sanguinem proprium. *Homo quidam fecit cenam magnam* (Luc. 14, 16). Prima dies conuiuui fuit dies ista, propter hoc uocatur spiritualiter dies cene. Est ergo problema propositum prouerbium<sup>1</sup> pro die ista quia hodie uerificatum est quod de *comedente exiuit cibus*. Ceste devinaille est si forte quod non est ita magnus theologus Parysius si grant devineour qui posset perfecte inuenire modum per quem, *de comedente exiuit cibus*, qualiter corpus Christi est in hoc sacramento, *quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum* (Jo. 6, 53). Unde propter expositionem huius uerbi recurrendum est ad uxorem seu sponsam dilectam Sampsonis. Sampson interpretatur solis fortitudo<sup>2</sup>, modo sicut in sole materiali sunt ista tria uirtus, lumen et calor, sic in sole diuinitatis sunt uirtus, potentia que attribuitur patri, lumen sapientia filio, calor amicitia Spiritui Sancto. Sampson ergo fortitudo solis est persona Dei patris, sponsa Sampsonis uirgo Maria. Sponsa enim uiri est mater filii sui. *Hanc amaui et quesui mihi sponsam assumere* (Sap. 8, 2). Ad illam recurremus etc.

[Thème] *De comedente exiuit cibus*. Artifex quilibet prius habet formam, figuram uel similitudinem rei fiende interius in mente antequam exeat ad opus exterius. Exemplum de pictore : non sufficit quod pictor diu ante habuerit in ymaginatione suam formam uel figuram ymaginis set oportet quod habeat eam presentialiter [129rb] quando actu depingit. Nota quod omnia sacrificia ueteris legis erant solum figura sacramentorum legis noue, quod pro tanto dicitur quia aliis coloribus utitur pictor in figurando ymaginem et aliis in eam perficiendo. Figuratur enim ymaginem primo cum

<sup>1</sup> prouerbium] proprium B.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 101.

quibusdam coloribus nullius uel modici ualoris ; postmodum autem utitur coloribus pretiosis nec primi colores quibus ymago figurabatur remanent in ea quando est perfecta, ymmo suppositis coloribus pretiosis alii primi totaliter abolentur. Sic sacramenta ueteris legis nullius uel modici ualoris erant quia non conferebat<sup>1</sup> gratiam ex opere operato. Nec circumcisis *aliquid ualet nec prepuccium* dicit Apostolus (Gal. 5, 6). Iterum superuenientibus sacramentis noue legis sacrificia legalia cessauerunt. Ista est causa quare dicuntur fuisse figura sacramentorum nostrorum. Modo inter alia sacramenta illud quod fuit in antiqua lege magis proprie figuratum est sacramentum altaris, propriissima autem figura eius fuit agnus paschalis qui cum panibus azimis comedebatur. Agnus enim qui ymolabatur in sollempnitate paschali significat<sup>2</sup> Christum in ara crucis ymolatum pro nobis, set quod comedebatur cum panibus azimis significabat quod in sacramento prebet se nobis sub speciebus panis et nota quod Christus in hoc sacramento propriissime comparatur pani azimo. Nota quod panis fermentatur illo modo quod de prima pasta de qua fuit factus primus panis, retinetur aliqua portiuncula que permittit<sup>3</sup> antiquari et corrumpi |129va| et illa portio postmodum mixta cum pasta secunda facit panem fermentatum, unde mutat panem uel pastam secundam<sup>4</sup> et in quantitate facit ipsum inflare et in sapore. Si ergo illud quod de prima pasta remanet non admisceretur secundo, esset panis azimus non fermentatus. Ante prolationem uerborum est solum in altari panis materialis set uirtute uerborum substantia panis materialis conuertitur in panem spiritualem, scilicet corpus Christi, ita tantum quod de primo pane remanet aliqua portio, scilicet quantitas, color, sapor et alie qualitates. Illud autem quod remanet non admiscetur sic secundo pani spirituali, scilicet corpori Christi, quod eius quantitas uel quecumque qualitas in aliquo immutetur, unde non afficitur accusantibus illis. Quia ergo illud quod remanet de primo pane in hoc sacramento non admiscetur secundo, ideo proprie dicitur panis sine fermento. *Sacrificium panis absque fermento*, Leuit. (2, 4). Habemus ergo duo, primum quod non sufficit figuram uel similitudinem rei fiende diu ante prefuisse in mente artificis, set oportet, dum exit in opus, quod presentialiter assit. Secundum est quod propria figura sacramenti altaris hodie instituti fuit agnus paschalis qui comedebatur cum panibus azimis. Administratione<sup>5</sup> ergo huius sacramenti non sufficebat quod eius figura in ueteri lege ante per longa tempora precessisset, set decuit quod Christus artifex et institutor eius figuram istam ipsum instituendo in se presentialiter reciperet. Hoc factum est cum ipse cenando cum discipulis |129vb| suis et comedendo agnum paschalem, instituit hoc uenerabile sacramentum et dedit ipse comedens corpus proprium discipulis manducandis. Ecce quomodo et quare *de comedente exiuit cibus*. Tria notantur : primo habemus hanc pabulam seu ferculum conueniens nutrire, *cibus*, uidimus hoc miraculum transgrediens cursum nature quia cibus *exiuit* qui naturaliter debet intrare, signaculum preueniens per modum figure quia

<sup>1</sup> conferebat] conferebantur P.

<sup>2</sup> significat] significabat B.

<sup>3</sup> permittit] permittitur P.

<sup>4</sup> panem – secundam] pastam uel panem secundum B.

<sup>5</sup> administratione] administrationem P.

comedendo pascha typicum instituit pascha uerum, *de comedente*. Primo ceo est droyte viaunde pur nostre nurture, *cibus*, ceo n'est pas fet par cure de nature quod cibus exeat qui debet ingredi, et propter hoc luy mestre en prist en sey sa propre figure, *de comedente*.

[I] Circa primum nota quod omnis creatura uiuens in uita mortali propter continuationem uite indiget alimento. Unde si esset aliqui<sup>1</sup> talis cibus per cuius sumptionem posset uita perpetuari, ille esset uerissimus et optimus cibus. Nullus talis hodie inuenitur set de fructu ligni uite huius dicitur. Nota quod homo uiuit duplici uita, corporali qua corpus uiuit per animam, et spirituali qua animam per gratiam, cibus quo uita anime continuari, ymmo perpetuari potest est fructus ligni uite. Lignum uite est lignum crucis. Fructus qui in hoc ligno pependit<sup>2</sup> est corpus Christi. Fructus qui de hac arbore cecidit est sanguis [130ra] Christi que ambo in hoc sacramento nobis proponuntur per modum potus et cibi. Juxta illud, Jo. VI (55-56) : *qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem hanc uitam eternam* [habet]. Sequitur : *caro enim mea uere est cibus et sanguis meus uere est potus*. Et benedicit : *uere est cibus* etc. Multum enim dicuntur inter ueritatem et sompnum. Omnis cibus alius est quasi cibus sompni. Nota quod homo esuriens qui dormiendo sompniat se comedere, credit habere panem in manu et sompniando super hoc<sup>3</sup> delectatur et nullo tamen satiatur. Unde quando expergefactus est, inuenit manum uacuam et uentrem et se famelicum sicut prius. Sic quicumque ponunt cor suum in creaturis maxime diuites credentes satiari temporalibus bonis que tamen in nullo satiant set magis prouocant appetitum, quasi sompniantes delectantur, set cum in hora mortis expergefiunt, inueniunt manum uacuam bonis temporalibus. Ps. (75, 6) : *dormierunt sompnum suum* etc. Item animam uacuam bonis spiritualibus, Ysa. XXXIX (29, 8) : *sompniat esuriens et comedit cum autem expergefactus fuerit uacua est manus eius*. Figura ad hoc, Gen. XL (16) de magistro pistorum qui dixit ad Joseph quando sompniauerat : *uidi sompnum, putabam me portare omnes cibos qui fiunt arte pistoria auesque celi comedere*. Expositio sompni fuit quod de carcere traheretur ad patibulum et carnes sue exponerentur aibus ad comedendum. Nota : [130rb] ille erat seruiens pharaonis et missus in carcerem principis militie Egypti et nota quod pharao interpretatur nudauit uirum siue negauit uirum uel spoliavit eum<sup>4</sup>. Expone figuram ad libitum. Illi ergo non sunt uere cibi anime nec ipsam satiare possunt, set solus Deus qui continetur in hoc sacramento et per modum cibi nobis donatur, Eccli. XXXVI (Eccli. 36, 20) scilicet *omnem escam manducabit uenter et est cibus cibo melior*. Set multi sunt de quibus<sup>5</sup> quilibet potest dicere<sup>6</sup> illud Job XXX (33, 20) : *abominabilis ei fit in uita sua panis et anime eius cibus desiderabilis*. Quamdiu habent uitam et sanitatem corporis, negligunt<sup>7</sup> cibum anime, obmittunt et contempnunt communicari. Usurarii si uident yminere periculum mortis, tunc

<sup>1</sup> aliqui] aliquis P.

<sup>2</sup> pependit] perpendit B.

<sup>3</sup> hoc om. B.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.

<sup>5</sup> quibus] quorum P, B.

<sup>6</sup> dicere] dici P, B.

<sup>7</sup> negligunt] negligunt B.

dicit quilibet illud Job VI (7) : *que prius nolebat tangere anima mea nunc pre angustia cibi mei sunt.*  
Dilata sicut uis.

## SERMON 56

Saints Philippe et Jacques.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 130rb-132ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 42vb-44ra.

Plan :

Prothème – La prière.

Thème – Pour accéder aux biens éternels, Dieu indique le chemin :

I – pénitence et miséricorde

II – il donne une récompense

III – il promet la joie.

F. 130rb : *Exultabitis modicum nunc si oportet contristari*, (I) Pe. 1 (6).

[Prothème] Sicut auis quando uult sursum uolare primo se constringit, sic si orando saltum uolumus facere mente in celum, oportet quod nos constringamur, postea exultabimus, id est extra saltabimus, ergo colligamus cor ut possumus cum alis desideriorum uolare orando in celum etc.

[Thème] *Exultabitis modicum nunc si oportet contristari*, (I) Pe. 1 (6). Tota sapientia humanis guttatim deriuatur a sapientia Dei. Ideo si uidemus quod homo sapienter agat, possumus scire quod Deus |130va| sapiens est ; homo autem sapiens, illud quod rarum habet reponit in loco ubi malefactores attingere non possunt, ubi etiam amici uix attingant. Sic Deus bona eterna que reposuit in thesauro quod de durabilibus homo thesaurizare debet, posuit in cellario suo scilicet in celo. Temporalia enim sunt de quibus mercedem retribuit seruis, scilicet peccatoribus, quia aliqua bona opera faciunt, set quia non sunt digna uita eterna, ideo retribuit eis temporalia. Ad uitam eternam peccatores attingere non possunt quia se occidunt, peccando mortaliter, set *omnis homicida non habet uitam eternam in se manentem*, I Jo. (3, 15). Amici etiam uix ad istam uenerunt quia uita sic arta est que ducit ad uitam quod etiam innocentes perfrustra intrauerunt. Ideo qui uult ad illa bona uenire, oportet quod obstaculum peccati tollat, quod etiam stricte uiuat non solum ab illicitis set<sup>1</sup> a quibusdam licitis abstinendo uictui aliud deuiat, uoluptates scindat, parum enim ualet ieiunium uictus nisi homo a uitiis ieiunaret, ideo clauiger huius thesauri ad istam strictam uiam hortatur : *exultabitis* etc. Tria tanguntur : promittit gaudium, *exultabitis* ; tangit compendium, *modicum nunc* ; artat ad tedium, *oportet contristari*. Gallice : il promet ceo que le cuer ayme et touche une manere breve et contrahit chose que greve.

[I] Circa primum nota quod ad modum sapientis primo intentum finem ponit ut eum semper in |130vb| mente habeamus quod erit si carnem aduersantem affligamus, quia ea afflicta exultat spiritus, precipue quia talis pena est ad eius correctionem contra aliquos qui gaudent de penis proximorum quia pene sunt non quia emendatorie non sunt, quod est contra caritatem. In pena enim carnis exultat

---

<sup>1</sup> set] etiam *add. B.*

anima propter spem uenie ; sic econtra in gaudio carnis, quod culpa est, anima tristatur hec : pugna semper est iuncta. (I) Pe. III (4, 13) : *comunicantes Christi passionibus gaudete* etc. Christus secundum diuinitatem filius est Patris, secundum humanitatem filius Marie. Secundum primam filiationem debetur ei hereditas eterna, secundum secundam amaritudo et pena, per filiationem matris, id est amaritudinem, oportet uenire ad filiationem patris. Unde Johanni iuxta crucem dictum est (Jo. 19, 27) : *ecce mater tua*. Nota quomodo fingunt pagani filiam natam de cerebro Jouis<sup>1</sup> que, cum posset sic uiuere, elegit de matre nasci. Sic Dei filius elegit. Quanto magis nos qui sine penis non possumus uiuere, debemus de neccessitate uirtutem facere et uoluntarie penas assumere. Sic per filiationem Marie, que est in amaritudine, possumus uenire ad participationem filiationis eterne cui debetur regnum. Ergo comunicemus Christo in passionibus set quidam dicunt cum apostolis (Jo. 14, 8) : *Domine, ostende nobis patrem et sufficit nobis*. Non sic set si *socii fuerimus passionum*, erimus et consolationum (II Cor. 1, 7). Passionibus dicit<sup>2</sup> in plurali quia tota uita Christi fuit respersa passionibus [131ra], unde in prima dominica Aduentus, in qua agitur de initio uite sue humane, legitur idem euangelium quod legitur in Ramis palmarum ubi agitur de passione. Sequitur (I Pe. 4, 13) : *ut in reuelatione glorie eius gaudeatis exultantes*. Modo regnat occulte in mentibus fidelium et in effectum per compassionem misericordie, set tunc ostendit cornua uirtutis sue. Ideo si tu times grauari in curia iustitie, recurre ad curiam misericordie quia *miser cordia superexaltat iudicium*, Ja. (2, 13). Si autem misericordia hic fiat tibi, tu secure poteris expectare iudicium. Multum autem est de ista corda quod utique necesse est quod multi et in multis longe sunt a Deo, per istam trahuntur penitentes et ueniant et uideant eum in sua gloria reuelata. Tunc enim *reuelabitur gloria Domini et uidebit omnis caro sapientiam Dei*, Ysa. (40, 5). Mali autem [trahuntur] per cordam iustitie. Sequitur, aliquibus interpositis in alio capitulo, Deus autem omnis gratie, in quo ostenditur<sup>3</sup>, omnem gratiam facit remittendo omnem culpam aut nullam quia inimicus non est gratus : quamdiu est in peccato, tamdiu est inimicus. Iniuriatur etiam ei qui dimidiam ueniam petit cum non legatur aliquem curasse quem non curauerit totum, sicut patet de legione et de illa que septem demonia habuit. Item quasi nesciret culpam uolunt ei celare. *Potens est autem Deus omnem gratiam habundare facere in nobis*, (II) Cor. IX (8). Sequitur (I Pe. 5, 10) : *qui uocauit nos in eternam gloriam suam*. Vocat non per inspirationem set non auditur propter curam bonorum<sup>4</sup> temporalium. Vocat per predicationem [131rb] set cito datur obliuioni. Prou. I (24) : *uocauit et renuistis*. Sequitur (I Pe. 5, 10) : *in Christo Jhesu modicus passus nullus*, debet timere in societate in qua omnis saluantur. Hec est societas Jhesu, ideo martires non timebant set tunc erant serini<sup>5</sup>. Act. III (5, 41) : *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti pro nomine Jhesu contumeliam pati*, ymmo quo dominio cogimur quia sine hoc

<sup>1</sup> Exemplum 10.

<sup>2</sup> dicit *om. B.*

<sup>3</sup> ostenditur] quod *add. B.*

<sup>4</sup> curam bonorum] curarum *B.*

<sup>5</sup> serini] securi *B.*



non possumus post peccatum saluari, quia oportet quod satisfaciamus ad uoluntatem eius qui offensus est. Sequitur (I Pe. 5, 10) : *ipse perficiet*, quia dum sumus in peccato, non habemus caput nostrum, scilicet Deum, iunctum nobis qui diuersus est a nobis per peccatum, set dyabolus est caput et dirigit, sicut sensus capitis nos dirigit et faciunt<sup>1</sup> cadere in peccatum. *Perfice gressus meos in semitis tuis* (Ps. 16, 5). Via penitentium est stricta et recta uia peccatorum est lata in qua etiam pueri statim ambulant. Sequitur (I Pe. 5, 10) : *confirmabit et solidabit*, ut per quemlibet impulsus non cadant set aliqui impulsus non exspectant et isti dolere debent quia excusationem non habent. *Confirma hoc Deus quod operatus es* (Ps. 67, 29). Sequitur (I Pe. 5, 10) : *solidabit* que per morum grauitatem consolidare *super basses eius et plante*, Act. (3, 7).

[II] Circa secundum nota quod dicitur : in hora modica Deus laborat. Operatur enim cum penitentibus. Ps. (90, 15) : *cum ipso sum in tribulatione*. Offensa infinita remittitur, eterna pena in transitoriam conuertatur. Deus qui longe erat prope efficitur. Eccli. ultimo (51, 35) : *uidete oculis uestris*. Quidam dicunt |131va| : uidete et docete me quomodo debeam confiteri. Cum tamen ipsi debeant uidere, ad hoc enim non indigent speculo sicut indiget oculus corporalis set oculus mentis per se ipsum melius intuetur. Set tamen sunt quidam qui tantum grossa uident scilicet peccata carnalia, cum tamen spiritualia grauiora et plura sint. Cogitet ergo et dicat : *uidi oculis meis [et probaui] quod media pars mihi nuntiata non fuerat*, Jo. III (III Reg. 10, 7). Sequitur (Eccli. 51, 35) : *quoniam modicum laboraui*. Quicquid fit ex corde modicum reputatur. Similiter quid ex corde sustinetur leue est et econtrario dolor cordis maximus est, unde dolor matris Christi fuit maximus quia in corde et in anima. Dolor martirium, quamuis magnus, tamen modicus<sup>2</sup> eis erat. *Ad punctum et in modico dereliqui te*, Ysa. (54, 7). Videtur quod Deus derelinquit eum quem penitere permittit propter penam. Sequitur (Eccli. 51, 35) : *inueni mihi multam requiem*. Non est quies nisi in termino scilicet in Deo, set multi in uia remanent et capiuntur a latronibus inferni « qui spoliant gratuitis et uulnerant in naturalibus<sup>3</sup> » inueniunt mal gieste, demones etiam non sinunt peccatores quiescere ; nec mirum quia uia eorum est in descensu, ideo leuiter currunt. Prou. (1, 16) : *pedes eorum ad malum currunt*. Set uia celi est in ascensu, tamen multa quies est media quia in quolibet actu uirtutis quiescit per complacentiam et recreatur et leue est et facile est et inuenit perfectam requiem. *Jugum enim meum [131vb] suaue est* (Mt. 11, 30). Et sequitur (Mt. 11, 29) : *inuenietis requiem animabus nostris*.

[III] Circa tertium nota quod per sinistram tristitia mundi designatur, per dexteram letitia. Similiter dextera Dei gloria beatorum, sinistra miseria dampnatorum et sic qui uadit ad punctum aliquem per sinistram, dum transit punctum, uadit ad dexteram et econtrario. Ita qui uadit per dexteram prosperitatis mundi, dum transit punctum mortis, uadit ad sinistram pene inferni, et qui uadit ad mortem per sinistram aduersitatis, dum transit mortem uadit ad dexteram glorie beatorum. Ideo

<sup>1</sup> faciunt] facit P.

<sup>2</sup> modicus] est exp. P.

<sup>3</sup> Petrus Lombardus, *Sententiae*, II, dist. 35, 4 (Grottaferrata, 1971, p. 535).

dicitur in Jo. (16, 16) : *modicum et uidebitis me*. Sicut oculus corporalis non potest uidere solem nisi sit bene purgatus, sic oculus mentis Deum nisi sit bene purgatus a uitiiis. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum uidebunt*, Mt. V (8). Sequitur (Jo. 16, 20) : *amen amen dico uobis quoniam plorabitis et flebitis uos, mundus autem gaudebit*. Set postquam quis fleuit, peccatum iterum recedit, lutum facit miscens immunditiam cum aqua lacrimarum et tunc abhominabilior efficitur quoad Deum sicut sus loca in uolucabro luti et *extrema gaudii luctus occupat*, Prou. XXIII (14, 13). Sic res dicitur inutilis occupare. Sequitur (Jo. 16, 20) : *uos autem contristabimini set tristitia uestra conuertetur in gaudium*. O quam beati quibus omnia in gaudium cedunt pro tristitia que gaudio est contraria ! Prou. (14, 10) : *cor quod nouit amaritudinem anime |132ra| sue in gaudio eius non miscebitur extraneus*.

## SERMON 57

Ascension.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 132ra-133va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 22ra-23rb.

Plan :

Prothème – Le rôle du conseiller. Comparaison avec le Christ.

Thème – L'Ascension du Christ. Comment elle aura lieu pour le Chrétien :

I – le chemin vers le ciel

II – le lieu

III – le statut du Chrétien

IV – de quel côté de Dieu sera-t-il placé ?

F. 132ra : *Assumptus est in celum et sedet a dextris Dei*, Mc. VI (16, 19).

[Prothème] *Omnis cursus magnorum est quod semper habent consiliarios et inter omnes unum magis familiare sine quo nichil fit et hic uocatur dextera manus ; sic Deus Pater qui omnia dat. Omne datum optimum etc.* (Jac. 1, 17). In Spiritu Sancto, qui est amor, de concilio filii, qui est sapientia, qui hiis diebus Rogationum describitur ad dexteram Dei sedens, ut sciamus per quem debeamus petere et ut fiduciam habeamus quia noster est. Tangit duo : recipitur honorifice noster aduocatus, *assumptus* etc., preficitur magnifice supra collatus : *sedet a dextris Dei*. Il ount reseu<sup>1</sup> nostre advocat et nostre message et si l'ount mis en haut hostage. Circa primum nota quod si papa sciret quid quereret nuntius ad se ueniens et non uellet exaudire, non permetteret eum intrare ianuam domus sue, nam turpis eicitur quem non admittitur hospes. Filius dixerat : *ego rogabo Patrem de nobis* (Jo. 16, 16). Pater sciebat quod hic querebat filius secundum quod homo, ex quo ergo recepit nolebat exaudire. De hoc certus ille filius precepit apostolis ne discederent usquequo accepissent. Act. I (1-2) : *cepit Jhesus facere et docere usque in die a precipiens apostolis per Spiritum Sanctum scilicet quos elegit assumptus est*. Set quia tu posses dicere : non habet ea que petimus, ymmo sedet a dextris |132rb| ubi spiritualia sunt, corporalia a sinistris. Unde et malis qui ad sinistram sunt dantur, set spiritualia per istum dantur bonis cui Pater (Ps. 109, 1) : *dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis*, set quia dat per manum Marie, ideo etc.

[Thème] *Assumptus est in celum*, Mc. VI (16, 19). Quando aliqua dignitas diu in ecclesia uacauit, solet ipsa prouidere de persona boni testimonii communitati utili que dum assumitur et in ecclesia recipitur, honoratur tam ratione mittentis, tam ratione proprie dignitatis, tam etiam ratione communis utilitatis et ponitur in summa sede sue ecclesie in dextera parte. Diu uacauerat dignitas capitis in creaturis quia etsi Deus caput sit, tamen excedit in excessu omnem<sup>2</sup> naturam [et] creaturam,

---

<sup>1</sup> reseu] resceu B.

<sup>2</sup> omnem] creaturam exp. B.

ideo docuit ut poneretur caput quod esset eiusdem nature cum membris et excederet in dignitate omnem creaturam sicut caput et sic quod esset Deus et homo nullus talis nisi Christus. Huic omnes prophete testimonium perhibent quod<sup>1</sup> seipsum exposuit morti pro communitate. Ideo Deus Pater eum prefecit qui receptus est honorifice ab hiis qui sunt principalia membra uniuersi et collatus super omnes celos in dextera Patris. Ideo sicut fit corporaliter, sic nos qui de genere suo sumus, debemus frequentare curiam et petere hiis diebus ad petendum institutis<sup>2</sup> et ministrare ibi. Bonus enim prelatas probatos ministros prebendat. Multe sunt in celo prebende uacantes [132va]. Nullis est preuidendum nisi hiis qui sunt de genere istius quia boni autem angeli omnes habent ; malis nichil debetur. Tunc autem assumet nos si sumus sicut illi quos assumpsit hic Jhesus qui assumptus est quando dixit : et *assumpsit Petrum et Jacobum et Johannem fratrem eius et duxit in montem excelsum seorsum* (Mt. 17, 1) et ostendit gloriam sue Resurrectionis et Ascensionis. Petrus discalcians<sup>3</sup> cuiusmodi sumus si habemus pedes affectionis nudos a mortalibus. Jacobus supplantans festinantem cuiusmodi caro est que uult quod sua recreatio semper prima sit in curiis, eum festiuat, Johannes in quo est gratia<sup>4</sup>, quia in ista processione debemus esse gratiosi sicut Moyses et Helyas fuerunt quia oportet quod mens assumatur a cogitationibus uagis que ad modum aquarum fluunt et refluunt, ut neminem uideat nisi solum Johannem, et quod affectus in curru igneo caritatis ascendat cum Helya et ibi scilicet in celo quiescat dicens : *Domine bonum est nos hic esse* (Mt. 17, 4), ut sic sedeat cum principibus et solium glorie teneat cum dextris. Modus hic tangitur quo illuc accessit, *assumptus est*, locus subiungitur apud quem processit, *in celum*, status innuitur in quo requiescit, *sedet*, latus tribuitur iuxta quod incessit, *a dextris Dei*. La manere de s'en entrée ou il ala en que countree soun<sup>5</sup> estat est a demore et sa part est le plus en honore.

[I] Circa primum nota quod secundum quod uerba sonant ipse, iuit apud se ad se sumptus. Chier soy sa secure [132vb] iuet, set quomodo meruerit. Sic *oportuit Christum pati et ita intrare* (Luc. 24, 26) per Passionem et Resurrectionem uenit ad Ascensionem. Ergo qui mortificant<sup>6</sup> omnem carnalitem quia *caro et sanguis regnum Dei* (I Cor. 15, 50) non consequuntur, qui sic resurgunt ut de cetero non moriantur, secure uadunt de mundo ad suum celum. Quod suum sit, signum est si diligunt quia quilibet rem suam diligit si custodiant, si frequenter respiciunt, exemplo Apostolorum, Act. I (10) : *cumque intuerentur in celum euntem illum*. Totus mundus plenus est laqueis ad capiendum oculos, deinde corda, quia sicut medietate aqua uadit ymago ad fundum, sic per humidum aqueum oculus uadit usque ad ymaginationem, similitudo rei non illa que est in oculo set alia ab ea causata que facit frequenter cor consentire. Ideo bonum est habere oculos ad celum nam sicut dicit

<sup>1</sup> quod *om. B.*

<sup>2</sup> institutis] instituti *P, B.*

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 155.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.

<sup>5</sup> soun] sou *B.*

<sup>6</sup> mortificant] mortificat *P.*

glosa<sup>1</sup> super illo uerbo Prou. primo (17) : *frustra iacitur rethe* etc. : facile euadit laqueos in terris que super habet oculos in celis. Ideo Ps. (122, 1) : *ad te leuauit oculos meos qui habitas in celis*. Sequitur (Act. 1, 10) : *ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis* quia de eadem secta sunt cum angelis qui Deum uident. *Angeli eorum in celo semper uident faciem Patris* (Mt. 18, 10). Ideo angeli eos docent sicut prouectiores in scolis aliis repetunt. Set quare in uestibus albis, quia secundum Gregorium<sup>2</sup> : « Candor uestis gaudium nostre designat sollempnitatis » ? Non sic in Natiuitate. Gregorius<sup>3</sup> : in Natiuitate « uidebatur diuinitas humiliata ; in ascensione uero [133ra] est humanitas exaltata », set in Resurrectione apparuit in candore uestis et fulgure uultus ad terrendum malos milites qui erant ibi et mulcendum mulieres quibus dixit (Mt. 28, 5) : *nolite timere* quia sicut ibidem dicit Gregorius<sup>4</sup> : « Vestros conciuues uidetis. » Ideo gaudebant angeli et erant in habitu nobili, quia eorum ruina debebat reparari. Luc. (24, 4) : *ecce duo uiri steterunt iuxta illas in ueste fulgenti*. Nos ergo debemus candorem innocentie habere, si uolumus participes festi esse, quia *nichil inquinatum incurrit in illam* (Sap. 7, 25). Sequitur (Act. 1, 11) : qui et dixerunt : *uiri Galilei quid statis aspicientes in celum*. Multi in celum aspexerunt qui parum ibi uiderunt sicut philosophi, quia ibi non querebant salutem set luminarium gloriosam scienciam. Sic Lucifer parum profecit in aspectu sue pulcritudinis. Ideo retrahendus est aspectus exterior a curiositatibus et interior intensus fuerit ei in Deum. Unde Apostoli *leuantes oculos neminem uiderunt nisi solum Jhesum* (Mt. 17, 8). *Quid hic statis tota die otiosi* (Mt. 20, 6). Sequitur (Act. 1, 11) : *hic Jhesus qui assumptus est a nobis in celum sic ueniet*. Cum iustitia ita perfecta sit in Deo sicut misericordia posset conqueri, si aliquando non haberet suum iudicium, ideo ueniet ut faciat iudicium. Ideo negotiemur in celo ut, cum reuertetur ad nos<sup>5</sup>, remuneret nos cum aliis quibus dixit (Luc. 19, 13) : *negotiamini dum uenio*. Nota hystoriam de illo qui *abiit in regionem longinquam*, Act. I et re (Luc. 19, 12).

[II] Circa secundum nota quod qui uellet aliquem [133rb] in recreationem ponere, non poneret in loco inhonesto, in societate displicata<sup>6</sup> set in loco ameno et societate grata. Talis locus est celum. Ideo qui uult habitaculum facere Christo in se, oportet quod cor suum sit sicut celum, scilicet quod sit extra<sup>7</sup> ea que infirmitatem possent inducere que sunt occasiones peccandi et sic eis quasi celant et quod non suscipiat peregrinos in possessiones. Set quis<sup>8</sup> uiuat spiritualiter, in tali societate sedet. Ps. (10, 5) : *Dominus in templo sancto suo*. Quamquam diues homo habeat pulcra maneria, in eo tamen frequentius moratur causa recreationis quod est magis exemptum quia nullus ibi molestatur eum. Tale est templum Dei. *Templum Dei sanctum est quod estis uos*, (I) Cor. (3, 17). Set sacrilegium est capere

<sup>1</sup> Glossa, II, p. 655.

<sup>2</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 21, 2 (PL 76, 1171A).

<sup>3</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 29, 9 (PL 76, 1218B).

<sup>4</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 21, 3 (PL 76, 1171B).

<sup>5</sup> ad nos] uas B.

<sup>6</sup> displicata] displicate P.

<sup>7</sup> extra] ex P.

<sup>8</sup> quis] quid P, B.

aliquid sacrum secundum non sacrum de templo. Caueamus ergo ne mater nostra, membra nostra, que debent esse organa Spiritus Sancti, fiant totaliter dyaboli. Sequitur (Ps. 10, 5) : *Dominus in celo sedes eius*. In quibusdem aliquando est set non sedet quia non perseuerant. Ideo non ponit ibi munitionem<sup>1</sup> sue gratie quia non debet ibi manere set in celestibus habitat. *Celum mihi sedes est* (Act. 7, 49).

[III] Circa tertium nota quod nullum bonum felicitaret nisi esset stabile et perpetuum quia quantumcumque [ali]quis esset beatus, quando cogitaret se posse beatitudinem amittere<sup>2</sup>, posse affligeretur, sic nullus est perfectus nisi Deus in eo permaneat. Celum autem sic permanet quod semper mouetur et numquam exit locum. Sic bonus obediens debet semper moueri per obedientiam et numquam exire limites [133va] uirtutis que est in medio uel regulam sue professionis si sit religiosus. In tali sedet Deus nam angulus in quo Deus semper habitat est substantia semper immobilis. *Dominus in celo parauit sedem suam*, Ps. (102, 19). Non est honestum quod tantus Dominus sedeat ad terram. Unde qui ei parat sedem longe debet esse a terrenis. *Parata sedes tua ex tunc* (Ps. 92, 2). Sequitur (Ps. 102, 19) : *et regnum ipsius omnibus dominabitur*, quia homo celestis super temptationes est et eis dominatur.

[IV] Circa quartum nota quod primogenitus debet habere meliorem portionem. Per dexteram bona portio designatur que sunt spiritualia, corporalia autem per sinistram. Unde et hiis qui ad sinistram sunt, scilicet malis, habundantius aliquando daretur portio<sup>3</sup> bonorum, scilicet spiritualium et eternorum. Volens nos esse participes, factus est frater noster per carnis assumptionem ut sit ipse primogenitus in multis fratribus et hodie posuit nos in passione quando *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis ; tanto melior angelis effectus, quanto differentius pre illis nomen hereditauit*<sup>4</sup> (Hebr. 1, 3-4). Sequitur (Ps. 101, 26) : *opera manuum tuarum sunt celi*. Quanto melius est nomen filii quam ministri, tanto Christus excellentior est angelis in gloria Patris. Ad quam nos perducatur.

---

<sup>1</sup> munitionem] munitione *P*.

<sup>2</sup> amittere] posse *add. P, B*.

<sup>3</sup> portio] peccatorum *P, B*.

<sup>4</sup> pre – hereditauit] potest illis nulla hereditas *P*.

## SERMON 58

Saint Jean Baptiste.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 133va-134ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 13vb-14ra.

F. 133va : *Tu uenis ad me*<sup>1</sup> (I Reg. 17, 43 ou Mt. 3, 14).

Johannis Baptista admiratur Christo ueniente ad suum baptismum. Ita admirari potest humanum genus Filii Dei aduentum et |133vb| dicere : *tu uenis ad me* admiratiue. Primo cum sociali similitate incedentem solitarie, tu filius qui es secunda persona in diuinis, non pater, non Spiritus Sanctus. Secundo cum naturali necessitate procedentem uoluntarie, *uenis*. Tertio in generali communitate alloquentem secretarie, *ad me*, solitarium opponitur similitati etc.

Est ergo primo mirabile quod aliquis socios habeat et solus incedat. Filius Dei socios habet indiuisibiles, Patrem et Spiritum Sanctum<sup>2</sup>. *Qui me misit mecum est et non reliquit me solum*, Jo. VIII (29) ; ibi *non sum ego solus* etc. (Jo. 8, 16). Et tamen sic associatus solus in carnem uenit. Luc. (24, 18) : *tu solus peregrinus es in Jherusalem*. Pater non fuit incarnatus nec Spiritus Sanctus, set solus filius. *Tu homo cum sis facis te ipsum Deum*, Jo. X (33). *Tu es Deus solus* in Ps. (85, 10).

Secundum mirabile est quod aliquis necessario et uoluntarie procedat ad litteram. Cum processione eterna filius [est] a patre qui est naturalis et necessaria est processio temporalis libera et uoluntaria. In Jo. (16, 28) : *exiui a Patre et ueni in mundum*. Libera uoluntate, *ecce rex tuus uenit tibi mansuetus* (Mt. 21, 5). Figuratus fuit aduentus in carnem per aduentum a Galilea quod interpretatur transmigratio<sup>3</sup> in Jordanem, qui interpretatur humilis descensio. Mt. III (13) : *uenit Jhesus a Galilea in Jordanem ad Johannem*.

Tertium mirabile est quod idem uerbum sit commune generaliter |134ra| omnibus et fiat secretum aliquibus. Verbum Dei commune generaliter omni rei, *portans omnia uerbo uirtutis sue*, ad He. I (13), factum est secretum hominum. *Quando uerbum caro factum est et habitauit in nobis* (Joh. 1, 14), *ad me dictum est uerbum* in Job (4, 12). Ad me ergo, non ad angelum. Cui enim aliquando dixit : *angelorum filius meus es tu*, Heb. I (5) set in Ps. (2, 7) : *Dominus dixit ad me filius meus es tu* etc. Jeremie (1, 4) : *factum est uerbum Domini ad me*.

<sup>1</sup> me] sicut *add. B.*

<sup>2</sup> Sanctum] unde dicit *add. B.*

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 131.

## SERMON 59

Saint Jean Baptiste.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 134ra-135ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 31ra-vb.

F. 134ra : *Erat lucerna ardens et lucens*, Jo. VII (5, 35).

In libro subtiliter scripto non potest bene legi sine luce. Sicut autem qui uult sane uiuere debet uiuere secundum regulas scriptas in libro medicine, sic qui uult salubriter uiuere secundum animam debet uiuere secundum regulas que sunt in Salvatore qui est liber uite, set quia subtilis est, ideo medicus animarum scilicet predicator, qui dat medicinam scilicet sermonem iuxta illud (Sap. 16, 12) : *neque herba neque malagma sanauit eos set sermo tuus Domine qui sanat omnia*, non potest scientiam docendi accipere sine lumine, set lucerna eius est agnus de quo potest dici quod erat lucerna ardens et lucens, ecce accensum, *erat lucerna ardens*, producens clarum radium, *lucens*. Circa primum nota quod suspecte datur cibus uel potus in tenebris. Ideo uerbum Dei quod est cibus anime non datur sine lucerna accensa. *Lucerna pedibus meis uerbum tuum* (Ps. 118, 105), dyabolo econtrario. Circa secundum nota quod maxime est communis lux ; gratis enim datur maxima ab hiis qui gratis acceperunt [134rb], ideo Christus dat liberaliter qui est lux uera que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Set quis<sup>1</sup> debet accendere lumen nisi ancilla ? Ideo ad illam que se ancillam uocauit recurremus.

*Erat lucerna ardens et lucens*, Jo. VII (5, 35). Non est honestum quod homo ualoris uadat per locum obscurum sine lucerna preuia. Secundum Augustinum<sup>2</sup>, creatura ad Creatorem comparata est sicut tenebra respectu lucis. Hinc est quod secundum eundem angeli uidentes res in propria natura habuerunt cognitionem uespertinam, uidentes<sup>3</sup> in uerbo habuerunt matutinam et incepit dies glorie numquam defecturus. Deus ergo filius in humanitate ueniens in mundum uenit ad tenebram. Ideo docuit quod lucerna preuia mitteretur, quod factum est quando ante ortum solis iustitie, cum adhuc tenebre essent, missus est Johannes Baptista, qui uiam Domino preparauit in heremo : *illuminare hiis qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (Luc. 1, 79). Ergo sicut in creatione erant omnia confusa et primo die facta est lux sine qua nec dies esset, ut omnia distinguerentur et uenustarentur sicut in recreatione, ideo tamquam lucerna preiuit solem, hic est lucifer lucem ferens de quo Job (38, 32) : *numquid producet lucifer in tempore suo*. Ante eum erant omnia confusa in lege et in tenebris uidebant Salvatorem et confuse, set iste *uenit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine* (Joh. 1, 7). Sic [134va] boni uiri in lucida conuersatione ostendunt salutem, ymmo mali uidentes aliquando statum suum recognoscunt et conuertuntur ad Salvatorem. Notantur tria : primo lucidam

<sup>1</sup> quis] qui P.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> uidentes] uidere as P.



substantiam, *lucerna*, lux in testa, feruidum habens affectum, *ardens*, splendidum agens effectum, *lucens* ; persone alumée, volenté enflammée et outre enlumée<sup>1</sup>.

Circa primum nota quod quando comparamus corporalia rebus sanctis, hoc fit in perfectione sublata sicut Johannes dicens (1, 29) : *ecce agnus Dei*. Hoc dixit quia innocens, quia mansuetus et non quantum ad defectum. Sic comparatur Johannes a Christo lucerne quantum ad lucem, non quantum ad hoc quod alios illuminans se ipsum consumit, quod faciunt ypocrite, et iterum in cinerem uel carbonem, quia nichil ualet quod faciunt, et anime eorum que<sup>2</sup> carbones sunt efficiuntur inferni. Set in isto non sic, set gratia Dei intus existens seruabatur<sup>3</sup> ne defficeret et ne denigraretur. Hec lucerna fuit accensa in utero et iniuncta<sup>4</sup> in carcere set quando super candelabrum fuit posita, in predicatione iniuncta<sup>5</sup> fortiter, in decollatione amplius luxit luce glorie. Ps. (131, 17) : *parauit lucernam*. Cito fuit parata quia magnus erat ignis Spiritus Sancti. Item amor dilationem nescit, paratura culpe originalis fuit ablata et paratura gratie apposita quia paratura Noui Testamenti. Sequitur (Ps. 131, 17) : *Christo meo*. Ideo ita cito ut totus esset Christi nec mundus in eo aliquid habuisset [134vb] antequam in mundo ueniret, sic parata luxit<sup>6</sup> coram rege in secreto thalamo nupciali scilicet in utero uirginis. Sequitur (Ps. 131, 18) : *inimicos eius induam confusione*. Culpa gratie inimica confudit<sup>7</sup> in fine [magis] quam in presenti ; sic induat quod non sinat gladium, uerba Dei, uulnerare conscienciam usque ad mortificationes penitentiae set tandem penetrabitur uerbo sententiae. Sequitur (Ps. 131, 18) : *super ipsum autem effloreat sanctificatio mea*. Nota quomodo habens flores omnium uirtutum habet copiam cercorum et fructuum de ceteris floribus. « Serta ter denis alios coronant<sup>8</sup> » etc.

Circa secundum nota quod ligna desiccata faciunt pulcram flammam ; non sic uiridia. Sic carentes humore uoluptatis et desiccate feruore castitatis faciunt pulcram honestatem conuersationis. Ideo (Luc. 12, 35) : *sint lumbi uestri precincti et lucerne ardentes in manibus uestris*. Ligna angulo unita de facili accenduntur quin ignis ponitur. Sic membra iuncta cingulo castitatis disponuntur ad ignem caritatis set ueniente uento ignis bene accensus amplius accenditur. Habemus in Johanne (1, 6) uigorem discrete correctionis, *fuit homo*, honorem superne legationis, *missus a Deo*, odorem famose opinionis, *cui nomen erat Johannes*.

Circa tertium nota quod sicut lux aurora est a sole antequam solis corpus sit super terram, sic Christus illuminauit Johannem qui fuit [135ra] aurora temporis gratie, et quia res prope solem exiens non caret lumine, ideo quia Johannes semper fuit propinquus Christo soli, semper illuminatus fuit in tantum quod quasi in solem transformatus putabatur sol iustitiae, sicut patet in illa questione : *quem*

<sup>1</sup> enlumée] enluminee B.

<sup>2</sup> eorum que om. B.

<sup>3</sup> seruabatur] seruabat P.

<sup>4</sup> iniuncta] eniuncta P.

<sup>5</sup> iniuncta] eniuncta P.

<sup>6</sup> parata luxit] paratus lusit B.

<sup>7</sup> confudit] confundit B.

<sup>8</sup> Paulus Diaconus, *Carmen de sancto Johanne Baptista* (PL 95, 1597C).

*dicunt homines esse filium hominis, alii Johannem Baptistam (Mt. 16, 13-14). Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum erit lucidum totum et sic lucerna fulgoris illuminabit te (Luc. 11, 36).*

## SERMON 60

Saint Jean Baptiste.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 135ra-136vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 185r ; Uppsala, Univ. Bibl., C 276 f. 13ra.

Plan :

Prothème – Comment demander la grâce de Dieu

Thème – L'importance du nom de personne. Interprétation du nom de Jean Baptiste.

I – Ce nom signifie la grâce.

II – Il n'est pas mal attribué.

III – Il est de bonne renommée.

F. 135ra : *Johannes est nomen eius*, Luc. I (63).

[Prothème] *Inuocate nomen eius*, Ps. (104, 1). Expedi petere nomine alieno quod impetrari non potest titulo proprio. Ille qui timet repulsam non debet petere proprio titulo, set nomine talis cui nichil debeat refutari. Modo Apostolus (Rom. 3, 23) dicit quod *omnes peccauerunt et egent gratia uel gloria Dei*. Si autem peccator titulo et nomine proprio peteret gratiam a Deo, obtineret<sup>1</sup> repulsam. Joh. IX (31) : *scimus quia peccatores Deus non exaudit*, ergo expedi peccatori quod petat nomine alterius cui nichil possit uel debeat denegari. Ita docet Christus, Jo. 16 (23) : *in nomine meo petatis si quid petieritis patrem* etc. Persona mundi cui Christus minus uellet negare aliquid, que Ihesu Crist voudreyt meyns escoundire, est mater sua figurata per matrem Salomonis sedentem a dextris eius cui Salomon dixit : *pete mater mea neque enim phas est* etc. 3 Reg. II (20). In principio igitur sermonis gratiam nobis necessariam petemus non proprio nomine set nomine [135rb] Marie cui filius nesciret aliquid denegare. Ps. (104, 1) : *inuocate nomen eius*, et quia nomen Virginis Maria, ideo salutantes eam proprio nomine dicemus *Aue Maria*.

[Thème] *Johannes est nomen eius*, Luc. primo (63). Persona que habet nomen multum commune quod plures alii portant, non sufficit uocare per proprium nomen nisi cum nomine addatur cognomen, set quando aliquis habet nomen singulare quod non portat aliquis nisi ipse, sufficit exprimere nomen nec oportet addere cognomen. Verum est tamen quod de nomine facimus frequenter cognomen, sicut cum dicimus Guillelmus Petri uel Petrus Guillelmi. Hoc idem dixi quia hoc nomen peccatorum adeo est commune quod quilibet nostrum, si uelit se bene nominare, debet se peccatorem uocare. Luc. V (8) : *homo peccator sum Domine*. Huic ergo nomini quia sic est commune consueuerimus de homine autem fatuo. C'est un prodome sournomé. Act. primo (23) : *cognominatus est Justus*. Unde probus homo non est suum rectum nomen set est suum cognomen. Et uidetur mihi quod nomen Johannis inter cetera nomina est illud de quo frequentius fit cognomen. Johannes enim

---

<sup>1</sup> obtineret] pateretur P.

interpretatur in quo est gratia<sup>1</sup>. Quicumque ergo extra statum exiens uocatur Johannes, ipse est Johannes sournomé. Johannes non est suum rectum et proprium nomen set est suum cognomen. Hiis suppositis, probo quod soli Johanni Baptiste hoc nomen Johannes fuit singulare pro puncto et hora natiuitatis sue, et quod omnis alius Johannes pro illa hora si fuisset [135va] sic uocatus, fuit Johannes sournomé. Omnes enim alii Johannes nati sunt in culpa originali et extra statum gratie ; solus iste Johannes fuit in utero sanctificatus. *Antequam exires de uulua sanctificaui te*, Jer. Primo (5). Et ideo ante natiuitatem Johannis ab angelo est nominatus. Nomen eius *Johannes uocabitur*, Luc. primo (60). In signum huius matri sue dicenti, Luc. primo (60) : *nequaquam sed uocabitur Johannes*. Responderunt (Luc. 1, 61) : *nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine*. Secundum ueritatem in tota humana progenie non est aliquis Johannes qui habuit hoc nomen sibi proprie pro puncto et hora natiuitatis sue. Quia ergo superfluum est addere cognomen ut ibi habet singulare, ideo dicitur : *Johannes est nomen eius*. Tria notantur : il est de grace denomé et si n'est mie sournomé, quia in re est talis sicut nomen pretendit *Johannes*, il est par tount bien renomés, *nomen eius in omni terra*, Jo. VI (Josue 6, 27).

[I] De primo nota : satis est consuetum quod primogenitus inter multos filios eiusdem patris portet nomen et arma patris integra, alii quamuis sunt filii sicut ille, tamen nec nomen patris nec arma portant plenaria set in aliquo diminuta. Spiritualiter per gratiam efficimur filii Dei et heredes regni, ad Tyt. (3, 7) : *iustificati gratia ipsius heredes sumus secundum spem uite eterne*. Inter filios Dei primogenitus est Johannes, Luc. VII (28) : *maior inter natos mulierum Johanne Baptista nemo est*. [135vb] Ratio dicti potest esse ista : filius primogenitus dicitur esse qui primo nascitur. Nos autem nascimur et regeneramur filii Dei cum sumus natura filii ire in sacramento baptismi ad rectum *per lauacrum regenerationis* (Tit. 3, 5) etc. Ille ergo qui est primus in baptismo est primogenitus siue maior inter filios. *Hic est Johannes Baptista*, Mt. I (14, 2). Fuit Johannes baptizans et predicans baptismum penitentiae. Unde ipse tamquam primogenitus portat arma patris plenaria. Arma enim Christi sunt arma pertica colore duplici, scilicet candore niuio uirginitatis et colore purpureo martirii. *Byssus et purpura indumentum eius*, in Prou. (31, 22). Alii sancti qui computantur inter filios Dei, iuxta illud Sap. (5, 5) : *computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est*. Portant quidam arma patris sui diminuta quia quidam habent uirginitatis candorem set non martirii ruborem ; alii e contrario. Set Johannes Baptista fuit martir et uirgo et hoc bene competit nomini suo Johannes in quo est gratia<sup>2</sup>. Ad gratiosam enim et decoram faciem concurrunt candor et rubor nec unum sufficit sine alio, ideo ecclesia sponsa Christi quod dicit de sponso in Cantico (5, 10) dicere potest de amico sponsi : *dilectus meus candidus et rubicundus electus ex milibus*.

[II] De secundo nota quod homo mortuus siue in pariete pictus habet figuram et nomen hominis set quia uita caret non est homo uerus set equiuoce [136ra] dictus. Spiritualiter hoc nomen

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.

Johannes cum quibusdam aliis equiuoce solum dicitur<sup>1</sup> de multis. Cum enim Johannes interpretatur in quo est gratia, quicumque uita gratie caret, si Johannes uocatur, equiuoce dicitur sicut homo mortuus uel pictus in Apoc. (3, 1) : *nomen habes quod uiuas et mortuus es*. Homo uerus et homo pictus se habent sicut excessa. Homo enim pictus excedit frequenter hominem uerum in apparentia et decore exteriori set deficit in ualori interiori. Sic spiritualiter multi sunt Johannes, id est gratiosi in apparentia exteriori, sola autem gratia exteriori, siue sit in ornatu uestimentorum siue in ornatu morum, nisi respondeat uita interior, non est nisi pictura et fictio. Unde tales sic solum exterius gratiosi sunt Johannes ficti et depicti habentes nomen sine re. Rom. 4 (17) : *uocat ea que non sunt tamquam ea que sunt*. Non sic Johannes Baptista in quo nulla fictio fuit. Secunda Cor. (1, 19) : *non fuit in illo est et non set est in illo fuit*. Iterum non fuit depictus in exteriori apparatu, set uerus in uirtutum ornatu. Unde Christus dicebat de eo (Luc. 7, 24) : *quid existis in desertum uidere hominem mollibus uestitum* etc. usque ibi : *plus quam propheta* quia prophete<sup>2</sup> solum est in futura predicere. Hic enim digito demonstrauit. Iterum prophete est prophetare de Christo, non autem Christo. Nunc autem quod Christus uel prophete alii prophetarent de eo suo deduxisti de nomine hominis. Ita deducere potes in nominibus aliis. Quicumque enim uocatur [136rb] christianus, nisi ymitetur uitam Christi, equiuoce solum dicitur christianus, dicente Augustino<sup>3</sup> : « Christiani nomen ille frustra sortitur qui Christum minime ymitatur. Quid enim tibi prodest uocari quod non es et nomen tibi usurpare alienum ? Set si christianum te delectat que christianitatis sunt, gere et merito tibi christiani nomen assume. » Idem dico de religioso. Qui enim portat nomen et habitum religionis, tamen religiose non uiuit, uitam religiosam non ducit, religiosus est pictus et equiuoce dictus. Dilata sicut uis et applica ad beatum Johannem qui non habuit solum nomen gratie quia Johannes secundum rem<sup>4</sup> est, ut dicamus de eo illud Johannis IX (24) : *si ille non est, quis igitur est ?* Et ipse dicat de eo illud, I Cor. XV (10) : *gratia Dei sum*, et in Ex. (3, 14-15) : *ego sum qui sum et hoc nomen mihi est in eternum*.

[III] De tertio nota quod sole ueniente ad punctum orientis, nisi sic uelatus nube obscuratur, claritas solis per totum nostrum emisperium se diffundit. Spiritualiter per ortum solis intelligo natiuitatem Johannis. Quasi enim sol refulgens, sic refulsit in templo Dei. Ratio enim huius est quia sole matutinali ueniente ad punctum conuentum orientis, aues diurne que per totam noctem tenuerunt rostrum in pluma, incipiunt cantare et festum facere. Econtra aues nocturne ponunt rostrum in pluma et cessant uolare. Per noctem que est tempus umbre intelligo tempus legis scripte [136va]. *Umbram habet lex futurorum bonorum*, Heb. X (1), per diem tempus gratie. Quid ergo [intelligitur] per aues nocturnas que in ortu solis ponunt rostrum in pluma et cessant uolare, nisi prophetas qui fuerunt tempore legis scripte ? Isti enim in natiuitate Johannis tamquam in ortu solis posuerunt rostrum in

<sup>1</sup> dicitur] dicuntur P.

<sup>2</sup> prophete] propheta P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Christianus B (Augustinus de uita christiana) ; cf. ps.-Augustinus Hipponensis, *De uita christiana*, 1 (PL 40, 1033).

<sup>4</sup> rem] quia Johannes add. P.

pluma, tunc cessauit lex [et] propheta, Luc. XVI (16) : *lex et prophete usque ad Johannem*. Et econtra Zacharias qui diu mutus fuerat et quasi rostrum in pluma habuerat, iuxta dictum angeli : *eris tacens et non poteris loqui usque in diem natiuitatis eius* in Luca I (20) : in ortu solis rostrum a pluma deposuit. Unde repletus est Spiritu Sancto, prophetauit dicens : *benedictus Dominus Deus Israel* etc. in Luc. I (Ps. 40, 14). Iterum adhuc est de natiuitate Johannis sicut de ortu solis, de natiuitate eius solius Johannis Baptiste ecclesia festum facit iuxta dictum angelicum (Luc. 1, 14) : *multi in natiuitate eius gaudebunt*. Exceptis Christo et Maria nullus habet in hoc conditionem solis in cuius ortu mutant aues celi. Bene in occasu, id est in morte aliorum sanctorum, ecclesia festum facit, set soli Johanni post Christum et Mariam conuenit illud Ps. (112, 3) : *a solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini*. Ad litteram nomen Domini laudatur et in natiuitate et in morte Johannis quasi in ortu et occasu solis. Ps. (68, 31) : *laudabo nomen Dei cum cantico et magnificabo eum cum laude*. Iterum (Ps. 9, 3) : *letabor et exultabo in te psallam nomini tuo altissime*. Sol iste uenit ad punctum orientis, fugata prius nube obscura peccati originalis. Ps. (102, 12) : |136vb| *quantum distat ortus ab occidente ? Longe fecit a nobis iniquitates nostras* et ideo ex tunc cepit choruscare miraculis et eius fama ubique diffundi. In Cant. (1, 2) : *oleum effusum nomen tuum* etc. Dicitur in Luca (1, 65) quod *super omnia montana Judee diuulgabantur omnia uerba* hec. Iterum crebra fama sanctitatis sue diffusa est ubique in tantum quod non solum fideles, uerum etiam infideles, letantur de natiuitate Johannis. Ps. (47, 11) : *secundum nomen tuum ita et laus tua in fines terre*. Sic set det Deus nobis celebrare natiuitatem Johannis ut per temporalia festa que agimus peruenire ad gaudia eterna mereamur.

**SERMON 61**

Marie Madeleine.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 136vb-137va.

F. 136vb : *Vides hanc mulierem*, Luce. VII (44).

*Ora pro nobis quoniam mulier sancta es*, Judit. 9 (8, 29). Volens imprimere sigilli figuram oportet quod habeat ceram non nimis duram. Unde sigillator habens manus frigiditas uolens sigillare querit auantagium ignis ut possit ceram mollificare. Cor uel intellectum humanum Psalmus (21, 15) comparat cere dicens : *factum est cor meum tamquam cera* etc. Ratio est : sicut cera mollis parata est ad cor humanum ut imprimatur sibi noticia creature, ymmo plus ut imprimatur sibi noticia creatoris, dicente Augustino<sup>1</sup> : « Fecisti nos Domine ad te » etc., unde humano cordi super omnia maxime debet imprimi amor et noticia Dei. Cant. VII (8, 6) : *pone me ut signaculum circa cor tuum*. Sigillator qui hoc signaculum debet imprimere cordi peccatorum est predicator. Nee X (2 Esdr. 10, 1) : dicitur *signatores fuerunt Neemas* etc., [137ra] hii sacerdotes. Ecce quod sacerdotes sunt sigillatores sacra docentes. Sicut ergo sigillator, ut ceram mollefaciat et calefaciat, querit auantagium ignis, sic predicator, ut fetida et dura corda peccatorum emolliat, querere debet adiutorium ignis Spiritus Sancti ; igitur pro impetranda gratia Spiritus Sancti qui corda nostra emolliat, recurramus ad matrem gratie dicentes (Judith 8, 29) : *ora pro nobis quoniam mulier sancta es*, mulier molliens uirum. Dicat quilibet deuote : *ae Maria*.

*Vides hanc mulierem*. Prudens Seneca<sup>2</sup> qui dixit tant de bons mos, inter alia dicit unam paruam parabolam, dicit quod longum iter est per uerbum. Vult dicere quod multo breuius et facilius inducitur homo ad bonum ad uiam sue salutis per bona exempla que il voyt quam bona uerba que il oyt. Exempla plus mouent quam uerba, quod ita sit apparet per simile in orationibus nature, artis et scripture. Nature primo ; unumquodque enim naturaliter generatur a suo simili, homo generat hominem, equus equum. Cum ergo uerbum assimilatur uerbo et factum facto, bonum uerbum bene est causa attrahens ad bene loquendum, set bonum opus est causa mouens ad bene operandum. In arte ; similiter magister pictor uolens docere discipulum, artem suam non solum docet eum uerbo qui proponit sibi exemplum operans coram eo, et plus satis proficit discipulus uidendo magistrum suum operantem quam audiendo eum loquentem. Sic in moribus exempla plus mouent quam uerba. Tertio in scriptura legimus quod magister noster Christus [137rb] qui arcem et uiam salutis sue docere uenerat exemplo quod docebat (Act. 1, 1) : *cepit enim facere et docere*. Ego autem magister et dominus *exemplum dedi uobis* (Jo. 13, 15) etc. Habemus ergo quod breuior et facilior uia attrahendi homines ad bonum ad uiam salutis est, proponendo eis exemplum boni, uia autem salutis bifurcata est.

<sup>1</sup> Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, I, 1 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

<sup>2</sup> Cf. Seneca, *Epistulae ad Lucilium*, 6, 5 (F. Préchac, Paris : Belles Lettres, 1964, p. 17).

Principalis enim uia semita regalis est uia innocentie. *Quis ascendet in montem Domini* etc. *Innocens* etc. de rege Christo dicit Ps. (23, 3-4). Ego autem *in innocentia ingressus sum* (Ps. 25, 1). Semita reducens eos qui deuiauerunt a uia innocentie est penitentia. *Penitentiam enim agite appropinquabit uobis regnum celorum* (Mt. 3, 2). Hec duplex uia proponitur nobis in exemplo facili quia [ostendit] in sexu muliebri uiam innocentie in Maria Virgine, uiam penitentie in Maria peccatrice seu penitente. Maria illa<sup>1</sup> est<sup>2</sup> speculum innocentie, Maria hec est exemplum penitentie. Figura in Ex. (30, 20) ubi legitur [quod] factum [est] lauatorium de speculo mulierum in quo lauabantur ingressuri templum uel tabernaculum, quod nullus ingreditur nisi locus est celum. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo qui ingreditur sine macula* (Ps. 14, 1-2). Ideo uolentibus ad uitam ingredi proponuntur ante oculos specula mulierum, intrantes per uiam penitentie habent pro speculo Mariam peccatricem. Hoc speculum proponit Euangelista cuilibet peccatori in uerbo thematis preassumpto: *uides hanc mulierem*, quasi dicat: jeo la te monstre cum exemplaire et miroyer pur tey mirer, *uides hanc*, pour [137va] fere coundout quer gemir et suspirer, *mulierem*, mollientem uirum. Gregorius<sup>3</sup>: « Cogitanti mihi de Marie penitentia, flere magis libet quam aliquid dicere. » Jeo ay meus lesir de plurer que de parler. Quere concordancias.

---

<sup>1</sup> illa] hec *P.*

<sup>2</sup> est] data *add. P.*

<sup>3</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri II*, II, 33, 1 (PL 76, 1239B).



**SERMON 62**

Marie Madeleine.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 137va-vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 57va.

F. 137va : *Maria stabat ad monumentum foris plorans* (Jo. 20, 11).

Sponsus in Canticis (1, 9) comparat sponsam suam turturi. Ratio est quia inter alias femellas auis fertur fidelissima. Hanc fidelitatem custodit masculo suo quod post mortem eius alterius, copulam non admittit nec requirit et usque ad mortem eum gemit. Sic Maria Magdalena, sic ista Maria. Applica. *Maria stabat* etc. tangitur eius deuotio, *Maria*, eius discretio, *stabat foris ad monumentum*, eius compassio, *plorans*.

Deuotio in nomine Marie : Maria interpretatur stella maris<sup>1</sup>. Officium stelle maris est illos qui sunt in fluctibus maris dirigere ad portum salutis, sic deuotio istius etc. Unde ipsa est Maria que attulit alabanstrum<sup>2</sup> unguenti, ut scilicet ungueret illum quem sciebat fuisse punctum.

Secundo eius discretio ; dicitur quod apud Tartaros<sup>3</sup> uxor que inter alios plus dilexit uirum mortuo uiro uult intumulari cum eo, et hoc fatuitas est. Non sic ista, set est illa Maria que inclinauit se et prospexit in monumentum.

Tertio eius compassio, *plorans*. Si membra compatiuntur capiti et uir caput mulieris, mulier compati debet uiro et nos omnes<sup>4</sup> debemus compati. Pulmo enim inter cetera membra<sup>5</sup> multum compatiitur cordi [137vb], unde est uentilabrum cordis et cor quasi infra pulmonem inclusum est. Sic illa cor suum in uita aperuit nobis in confessione et in morte cor suum sepultum est intra nos. Quere concordancias.

---

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>2</sup> alabanstrum] alabastrum *B*.

<sup>3</sup> Exemplum 11.

<sup>4</sup> omnes] etiam *B*.

<sup>5</sup> membra *om. P*.

## SERMON 63

Saint Dominique.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 137vb-141rb.

Plan :

Thème – L'église paroissiale figure l'Eglise militante ; l'église cathédrale, l'Eglise triomphante. Les échanges de prébendes.

Division – Comment Dominique a obtenu une prébende dans l'Eglise triomphante.

I – son rôle de gardien

Division 2 (Zac. 3, 7) : les qualités de Dominique

- a. la sécurité
- b. le calme
- c. la rôle supérieure
- d. le bonheur

F. 137vb : *Qui custos est Domini sui glorificabitur*, Prou. 21 (27, 18).

[Thème] Qui habet<sup>1</sup> modicum beneficium et officium in ecclesia parochiali, nisi sit fatuus, libenter resignat tale beneficium ut habeat prebendam cum dignitate in matrice ecclesia, in ecclesia cathedrali. Fatuus et infelix reputetur ille qui nollet hanc permutationem facere, resignare modico beneficio cum cura in ecclesia parochiali, ut haberet pinguiam prebendam etiam cum dignitate in ecclesia cathedrali. Inter autem alia nomina dignitatum et officiorum ecclesiasticorum nomen custodis est unum, ymmo est titulus decretalis de officio custodis. Ego uoco nunc matricem et cathedralem ecclesiam illam que sursum est Jerusalem que est mater nostra ecclesia triumphans ; in ea tamquam in ecclesia cathedrali est solium, sedes illa episcopalis quam Ysa. (6, 1) uiderat cum dicebat : *uidi angelum sedentem super solium* etc. Iterum in ea tamquam in cathedrali ecclesia sunt proprie canonici regulatissimi habentes pinguissima beneficia sine omni cura. Cantamus<sup>2</sup> de ea : « O quam iocunda curia que cure prorsus nescia. » Set ecclesiam parochialem uoco nostram ecclesiam militantem in qua tamquam in parochiali ecclesia, licet sint multi beneficiati, tamen non sunt beneficia sine cura. Ita dicit Ecclesia[stes] (4, 4) : *in hoc* supple [138ra] mundo uel seculo *uanitas et cura superflua est*. Cura tunc superflua dicitur quando non est beneficio proportionata, quando est nimium beneficium et magna cura. Et reuersa beneficia ecclesie nostre parochialis sunt exigua, ymmo nulla respectu beneficiorum triumphantis ecclesie. Unde Sap. (7, 8-9) : *diuitias nichil esse dixi in comparatione illius et* etc. usque ibi : *arena est exigua*, ymmo beneficia sint<sup>3</sup> nulla quia bona temporalia non sunt uere bona. Unde Seneca<sup>1</sup> nititur

---

<sup>1</sup> habet] habent P.

<sup>2</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

<sup>3</sup> sint] sit P.

ostendere uaria tali ratione : « Aut, inquit, bona non sunt que uocantur, aut homo felicior deo est. Que enim nobis bona uidentur, non habet in usu deus : neque enim ad illum aut epularum lautitia nec opes. Incredibile aut est bona Deo deesse [aut] hoc ipsum, inquit, argumentum est bona non esse, que deo desunt. » Licet autem beneficia sint modica, ymmo nulla, tamen annexa est eis maxima cura ; non habentur sine solitudine<sup>2</sup> et cura nimia, ut dicit Ecc. (Eccle. 2, 26) : *peccatori Deus dedit afflictionem et curam superfluum ut addat et congreget*. Habemus ergo duplicem ecclesiam parochialem et cathedralem, militantem et triumphantem, que olim duo figurabantur propter duplex tabernaculum in quorum primo secundum Apostolum (Hebr. 9, 2) erant *candelabra et mensa et propositionum* illa cibum gerebat ecclesie militantis in qua proponit nobis corpus dominicum in mensa altaris sub specie panis. Secundum dicebatur sancta sanctorum et hoc cibum gerebat ecclesie triumphantis in qua erat illud sanctissimum collegium beatorum. Iste due ecclesie sic se habent quod cuilibet uoluntarie resignanti beneficium quod habet in ecclesia militante, relinquenti propter amorem Christi bona temporalia quecumque, offertur pinguis prebenda in ecclesia triumphante. Unde in Ecclesiastico dicitur (1, 10) : *prebet illam diligentibus se*, set in Matheo expresse dicitur (19, 29) : *omnis qui relinquerit domum, usque ibi : centuplum accipiet et uitam eternam possidebit*. Ecce pinguis prebenda uita eterna. Sunt infelices et fatui qui uolunt hanc permutationem facere, mutare pro terrenis ecclesie parochialis ut habeant talem prebendam in ecclesia cathedrali. Set forte non est necesse quod ego resignem. Possum bene tenere utrumque beneficium et prebendam. Audi quod dicitur in Luc. (14, 33) : *omnis qui ex uobis qui non renunciauerit omnibus que possidet, non potest esse meus discipulus*. Ecce quod non potest fieri canonicus ecclesie triumphantis nisi renuntiauerit officium omnibus beneficiis ecclesie militantis. Ideo dicit beatus Jeronimus<sup>3</sup> : « Difficile est, inquit, ymmo impossibile, ut presentibus et futuris quis fruatur bonis, ut hic uentrem, illic mentem impleat, ut de deliciis ad delicias transeat, ut in celo et in terra sit primus, et in utroque seculo appareat gloriosus. » Hic uideas aperte quod non potes esse in ecclesia beneficiatus<sup>4</sup>. Non solum resignanti<sup>5</sup> terrenum beneficium offertur prebenda celestis, uerum etiam exercenti diligenter officium in ecclesia parochiali permittitur dignitas annexa prebende in ecclesia cathedrali. Prelatis et doctoribus qui habent officium custodis in ecclesia militante, [138va] debetur aureola que est quedam dignitas annexa omni prebende. Ita dicit Apostolus, I ad Thi. (5, 17) : *qui bene presunt presbiteri duplici honore habeantur maxime qui laborant uerbo et doctrina*.

[Division] Ex istis concludo quod pater noster beatus Dominicus, sicut sonat ipsum nomen suum domus Domini custos, officium custodis habuit et laudabiliter in ecclesia militante custos fuit et

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Bonum bonitas D (Seneca 85 epistula) ; Seneca, *Epistulae ad Lucilium*, 74, 14 (F. Préchac, Paris : Belles Lettres, 1965, p. 41).

<sup>2</sup> solitudine] solitudine P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Prosperitas G (Hieronymus in quadam epistula) ; Hieronymus, *Epistulae*, epist. 118, par. 6 (I. Hilberg, CSEL 55, 1996, p. 444).

<sup>4</sup> beneficiati] plus add. P.

<sup>5</sup> resignanti] resignari P.

defensor totius ecclesie, ut postea dicam in hoc conueniens typum quod supplens defectum primi hominis quem Dominus posuerat *in paradyso uoluptatis ut operaretur et custodiret* illud, in Prou. (Gen. 2, 15), item quia uoluntarie resignauit omnibus beneficiis ecclesie parochialis, diuitiis quidem per uotum continentie, honoribus per uotum obedientie. Ideo meruit quod<sup>1</sup> resignatio prius beneficio et exemplo cito diligenter custodum officio fieret sibi permutatio<sup>2</sup> officii ecclesie parochialis in prebendam et dignitatem ecclesie cathedralis. Secundum ueritatem ipse cum prebenda communi, cum premio essentiali habet duplicem dignitatem, aureolam uirginis et doctorum. De permutatione ista loquuntur uerba primo proposita, dicunt enim : *qui custos est domini sui*. Dictus Dominicus qui officium custodis habuit in ecclesia militante glorificabitur, promouebitur etiam ad prebendam et dignitatem ecclesie triumphantis. Gloria enim est prebenda celestis ecclesie, non quidem simplex prebenda cum dignitate. He. 3 (3) : *amplioris glorie iste pro Moyse habitus est*. Notantur tria quia cum uigilem se prebuit in |138vb| tutoris officio, *qui custos est*, et humilem se exhibuit preceptoris obsequio, *Domini sui*, ideo nobilem locum meruit uel habuit in pretoris palacio, *glorificabitur*, pretorem uoco Deum, de qua Ps. (88, 8) : *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum* etc.

[I] Circa primum nota : natura gruuum est ista quod grues uolare uolentes naturali instinctu proficiunt sibi unam aliarum tutricem et ducem que precedat eas uoce et uolatu et si illa que uolatu et quasi mouet alias ad uolandum raueat uel deficiat, statim alia grus supplet officium eius ; ymmo plus, grues dormire uolentes statuunt inter se aliquas uigiles aliarum custodes que qualiter uigilent et custodiant post ea, dicam sic arcem natura prouideat congregationi gruuum de custode et duce. Iterum actor nature prouidit congregationem hominum. Deus enim proficit uiros ecclesiasticos aliis tamquam custodes et duces, ut precedant eos uolatu et uoce et exemplo uite et uerbo doctrine. Ysa. (62, 6) : *super muros tuos Jerusalem constitui custodes* etc. et placeat Deo quod uiri ecclesiastici deputati ad custodiam laycorum ita facerent debitum suum sicut faciunt grues deputate ad custodiam aliarum. Set heu, hodie multi sunt qui uoce et uolatu deficiunt : nec bene docent nec bene |139ra| uiuunt nec custodierunt testamentum Dei et in lege noluerunt ambulare, nec uoce nec uolatu uolant. Alii sunt qui deficiunt uolatu, licet uoce bene docent set male uiuunt, quod uerbis predicant, et moribus impungnant. In Gen. (3, 24) legitur et hoc figura ad hoc quod Dominus *collocauit cherubin in flammeum gladium atque uersatilem ad custodiendam uiam ligni uite*, ad prohibendum homines ne accedant ad lignum uite. Non dicitur ibi quod cherubin teneret gladium in manu, ymmo neque quod manum haberet, set dicitur absolute *cherubin in flammeum gladium*. Cherubin, plenitudo sciencie<sup>3</sup>, est uir ecclesiasticus, clericus ad custodiam gregis Domini deputatus, iste portat gladium spiritus quod est uerbum Dei non in manu set in ore sola, sicut facit mimus : quod dicit ore non facit, opere non complet. *Ecce loquentur in ore suo et gladius in labiis eorum*, Ysa. (Ps. 58, 8). Talis custodit uiam

<sup>1</sup> quod] aut *P.*

<sup>2</sup> permutatio] et *add. P.*

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

ligni uite quod malo suo exemplo alios impedit ne accedant<sup>1</sup> ad lignum uite, set quia Deus et natura deficiunt in necessariis sicut prouidet natura congregationem gruorum, quia ubi custos aliarum raucat<sup>2</sup> uel deficit, alia statim supplet eius officium. Ita prouidet Deus congregationem hominum : uidens enim custodes ecclesie uoce et uolatu deficere, prouidit de uno qui suppleret custodis officium, *commendauit gregem custodi* dicitur in primo Reg. (17, 20). Custos ille hominum fuit |139rb| beatus Dominicus iuxta nomen suum. *Secundum nomen tuum ita et laus tua*, Ps. (47, 11). Unde cantamus de eo<sup>3</sup> : « Benedictus redemptor etc. » Quod autem Dominus dederit ecclesie sue beatum Dominicum tamquam tutorem et custodem precipuum, hoc fuit demonstratum<sup>4</sup> cuidam pape Innocentio a quo cum beatus Dominicus peteret confirmationem sui ordinis et ille difficilem se exhiberet, quadam nocte uisum est sibi quod tota Lateraneum ecclesia minaret ruinam et quod uir Dei Dominicus occurreret et totam illam arsuram fabricam propriis humeris sustentaret ; qui uisionem intelligens petitionem uiri Dei acceptauit etc. Item sibi ipsi oranti ecclesia beati Petri Rome dilectione sui ordinis apparuerunt principes apostolorum ; Petrus baculum, Paulus uero librum sibi tradere uidebantur dicentes<sup>5</sup> : « Vade, predica ad hoc ministerium, a Domino es electus », et tunc subito uidebatur sibi quod uideret fratres suos binos et binos per totum orbem dispersos ad predicandum uerbum Dei. Baculus tradebatur sibi in signum quod deberet precedere exemplo uite, librum in signum quod deberet<sup>6</sup> precedere uerbo doctrine. Multis talibus uisionibus fuit pluries demonstratum quod beatus Dominicus a te nomen acceperat et quod custos ecclesie Dei futurus erat ut merito suo sibi et suis intelligamus dictum illud Jac. (Zac. 3, 7) : *si in uiis meis ambulaueritis et custodiam meam* |139va| *custodieritis tu quoque iudicabis domum meam et custodies atrium meum*. In qua auctoritate tanguntur quatuor que habuit beatus Dominicus, que dicitur habere uir quilibet ecclesiasticus. Ipse enim fuit securior in aliorum directione, *si in uiis meis ambulaueritis*, sedulior in contemplatione, *et custodiam meam custodieritis*, superior in interdictione, *tu quoque iudicabis domum meam*, felicior in retributione, *et custodies atrium meum*.

[a] De primo nota Ps. (24, 10) : dicit quod *uie Domini uniuerse misericordia et ueritas*, [designat] uiam ueritatis propter ignorantes, uiam misericordie propter indigentes et per utramque uiam tenentur uiri ecclesiastici ducere alios. Debent enim ostendere uiam ueritatis ignorantibus et impendere beneficia pietatis indigentibus, seu heu hodie, qui alios ducere debent, ipsi per deuia ambulant. *Non enim qui operantur iniquitatem in uiis eius ambulauerunt* (Ps. 118, 3).

Si primo de uia misericordie loquimur, illa pessime inter clericos frequentatur quia nec ipsi uadunt per eam nec per eam itur ad eos. Unde regula est apud grammaticos : quo casu queris, eo respondere teneris. Olim uiri ecclesiastici erant datiui casus, misericordes erant, habitus dabant

<sup>1</sup> accedant] accedat P.

<sup>2</sup> raucat] raucasseret P.

<sup>3</sup> AH, vol. 25, p. 241, n° 85 (de sancto Dominico, in laudibus infra octavam).

<sup>4</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Dominicus, p. 722.

<sup>5</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Dominicus, p. 723.

<sup>6</sup> deberet] debebat P.

pauperibus et ideo iuxta regulam grammaticorum respondebitur eis etiam in datiuo, multa tunc dabantur ecclesiis, iuxta illud (Luc. 6, 38) : *date et dabitur uobis*. Set modo declinauerunt ipsi a datiuo usque ad ablatiuum : qui solebant dare nunc auferunt, et si sunt |139vb| in mundo homines ablatiui casus, sunt uiri ecclesiastici. Ideo iuxta regulam grammaticorum respondetur eis in ablatiuo. Quilibet gaudet et reputat lucratum hodie quicquid potest ab eis auferre, tot exactiones hodie fiunt super clericos quod uix possunt aliqui cum magnis redditibus uiuere. *Iustum Dei iudicium est* (II Mac. 9, 18). Unde in Baruc (3, 13) dicitur : *si in uia Dei ambulasses habitasset<sup>1</sup> utique in pace super terram*.

Si secundo de uia ueritatis agitur, locum habet questio Saluatoris. *Quomodo potest cecus cecum ducere ?* (Luc. 6, 39). Populus cecus est ignorans<sup>2</sup>, set uiri ecclesiastici duces populi<sup>3</sup> sunt ceci ignorantia uel execati malitia. Nonne sunt ceci duces cecorum ? Certe sic. *Et si cecus ceco ducatum prestet, ambo in foueam cadunt* (Mt. 15, 14). Item dicit Gregorius<sup>4</sup> : « Dum pastor per abrupta graditur, restat ut precipucium grex sequitur. » Dominus per Jeremiam conqueritur quod illi qui debent populum suum ducere sunt ei occasio deuiandi. *Grege perditus factus est populo, pastores eorum seduxerunt eos* (Jer. 50, 6). In Baruc (4, 13) dicitur : *non ambulauerunt per uiam mandatorum Dei nec per semitas ueritatis eius ingressi sunt*. Utramque uiam ueritatis et misericordie tenuit beatus Dominicus ualde bene, uiam quamdam misericordie. Adeo enim fuit misericors quod non solum anima sua libros et superlectilem uendit et in opera misericordie distribuit, uerum etiam semet ipsum uenundari pluries decernit, semel pro redemptione cuiusdam qui propter inopiam quam patiebatur |140ra| adhererat consortio hereticorum, et illud non fecisset nisi misericordia diuina inopie illius aliter perdidisset. Item uiam ueritatis ipse constrictissime docuit et pro ea mortem pati semper paratus fuit, in articulum autem ueritatis fidei quem ipse docebat. Sequitur quod libellus quidam ab eo conscriptus contra hereticos ter ab ipsis in ignem proiectus, ter exiuit illesus. Unde hoc miraculum uidentes ueritate coacti poterant sibi dicere quod dictum est ipsi ueritati : *scimus quod uerax es et uiam Dei in ueritate doces* (Mt. 22, 16). Ita fuit securior in aliorum directione.

[b] Secundo fuit sedulior in contemplatione. *Et custodiam meam custodieritis* (Zac. 3, 7). Dixi uobis iam quod natura gruorum est ista quod grues dormire uolentes statuunt inter se aliquas uigiles aliarum custodes, ille<sup>5</sup> autem ad aliarum custodiam hanc industriam habent, se sustentant plus in pede alio<sup>6</sup> a terra eleuato, tenent lapidem unum ut si contingeret eos dormire possent statim casu lapidis excitari. Ad propositum : sicut natura sagax statuit inter grues, ita ecclesia sagacissime statuit inter homines ut enim uiri ecclesiastici custodes gregis Domini sint magis uigiles ut melius uacent contemplationi et custodie gregis sibi commissi, iuxta illud Luc. (2, 8) : *pastores erant in regione uigilantes* etc. Statuit in ecclesia quod uno solo pede utuntur, etiam sustentantur in terra, alium autem

<sup>1</sup> habitasses] habitasset P.

<sup>2</sup> ignorans] est add. B.

<sup>3</sup> set – populi] sacerdotes populi duces B.

<sup>4</sup> Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 2 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 134).

<sup>5</sup> ille] illa P.

<sup>6</sup> alio] illa P.

pedem habeant a terra remotum. |140rb| Per duos pedes quibus sustentatur totum corpus humanum, intelligo duas vires in homine quibus sustentatur tota natura hominum, scilicet vim nutritivam que est propter sustentationem speciei, modo laycis quibus ex officio utroque pede licet eis comedere et bibere que sunt ad usum nutritivae, licet eis nubere propter usum generativae, set custodibus gregis Dominici, ut sint magis vigiles, interdicit usum secundi pedis generativae virtutis. Unde votum continentie annexum est sacro ordini. Ratio est ut melius uacent contemplationi. Dicit enim beatus Augustinus<sup>1</sup>, primo libro : « Nichil esse sentio quod magis deiciat ex arce contemplationis animum virilem quam blandimenta femina, corporum quia ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. » Inde est quod Sap. dicit in Prou. (7, 4-5) : cuiuslibet debenti uacari contemplationi interdicit usum secundi pedis. *Dic, inquit, sapientie me soror mea et prudentiam uoca amicum tuam ut custodiat te a muliere extranea et ab aliena que uerba sua dulcia facit.* Dicit significanter a muliere extranea. Frequenter enim contingit quod qui habent alterum pedem truncatum loco pedis proprii mutuunt unum pedem extraneum pedem ligneum. Ita faciunt multi quod quando non licet eis habere uxores proprias, recipiunt extraneas concubinas. Hoc sapientia interdicit. In figuram huius quod curatis custodibus animarum interdictus est usus secundi pedis, scilicet generativae virtutis, unde legimus in Hest. (2, 3) quid egenus |140va| *custos regiarum puellarum* euntibus. Puella regis sunt regis ymagines et per fidem ei copulate. Set ultimum ne pes ille ledens labatur per incontinentiam, debet habere gravis astutiam ut teneat lapidem semper in pede, id est carnem affligat continue aliqua duritia penitentiae, quia difficile est mollem lectum habere et non dormire. Sampson statim dormiuit in gremio Dalide et ideo uolenti uigilare et pedem a lapsu in continentie preseruare, summe necessum est lapidem durum tenere, id est duram penitentiae. Hanc astutiam habuit beatus Dominicus<sup>2</sup> qui, cum adhuc puerulus deprehensus est frequenter relicto lecto super terram accumbere ut carnis delicias abhorret, et melius animam transferret ad sapientiam, uinum per decennium non bibit, qui etiam per totam Quadragesimam cum socio suo in pane et aqua frigida ieiunauit et de nocte quasi uigilans, ut necessitas cogeret lassa membra, nudam super tabulam reclinabat, quod fecit propter quasdam matronas apud quas erat hospitatus, quas uidit ab hereticis super spem religionis deceptas. Unde sic clauum clauo recondit et eas conuertit. Poterat ergo ipse dicere illud Ysa. XXI (8) : *super speculum Domini ego sum stans iugiter per diem et super custodiam meam ego sum stans iugiter per noctem*, ad litteram : per diem ipse intende|140vb|bat proximorum saluti per noctem uigiliis et orationibus de quo dixerat Ps. (120, 4) : *non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.*

[c] Tertio superior in interdictione. *Tu quoque iudicabis domum meam* (Zac. 3, 7). Domus debiles situate in profundo uallis faciliter euertuntur et subuertuntur ab impetu torrentis a quo non leduntur domus fortes situate in cacumine montis. Amos propheta comparat sententiam iudicis

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Mulier C (Augustinus libro 3 soliloquiorum) ; Augustinus Hipponensis, *Soliloquium libri II*, I, 10 (W. Hörmann, CSEL 89, 1986, p. 27).

<sup>2</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Dominicus, p. 719 et 722.

impetui torrentis. *Reuelabitur, inquit, quasi aqua iudicium et iustitia quasi torrens fortis* (Amos 5, 24). Et hoc optime iudices non audent hodie ferre impetum sue sententie contra fortes diuites et potentes qui possent eis resistere. Timent quod qui tetigerit montem lapidabitur. Set econtra pauperes, qui sunt in profunda ualle miserie : contra illos feruntur impetuose sententie. Agellius<sup>1</sup> bene dicit : « Leges, inquit, nostre sunt sicut tele aranearum que fortia animalia dimittunt et debilia retinent. » Ideo dicit quasi aqua iudicium quia ponatur in aqua baculus quantumcumque rectus, statim apparebit<sup>2</sup> curuus. Nauis multum ponderosa posita in aqua quasi pondus suum perdit. Sicut de aqua, sic de causa pauperis. Quantumcumque [sit] iusta [et] recta, aduocati et iudices si uolunt, faciunt eam curuam in apparentia saltem. Econtra proponatur contra diuitem aliquod factum graue et pon[141r]a[derosum], aduocati et iudices facient quod apparebit leue et prope nullum. Unde uidetur nostris temporibus euenisse quod olim sapientes in spiritu prophetico dixerant se uidisse. *Vidi inquit sub sole in loco iudicii impietatem* (Eccl. 3, 16). Timeant ne contingat eis sicut contingit duobus nequam presbiteris de quibus dicitur in Dan. (13, 5) : *egressa est iniquitas a iudicibus qui uidebantur regere populum. Ipsi fuerant a populo lapidati.*

[d] Quarto felicior in retributione, et uere in custodiendis illis retributio multa. *Melior est enim dies una in atriis tuis super milia* (Ps. 83, 11). Clerici pauperes in curia romana, quando possunt habere bullam, litteras summi pontificis de collatione unius bone prebende, reputant se felices, gaudent ratione ac si iam essent in possessione prebende, et tunc non est sic. Unde quandoque in una cathedrali ecclesia sunt quatuor uel quinque exspectantes unam prebendam, quorum unus solus uel duo tantum habent possessionem, uel alii moriuntur fame uel gratie reuocantur. Nos, christiani, gaudeamus et gaudere debemus quia habemus litteras summi pontificis Christi. *Christus assistens pontifex* etc. (Hebr. 9, 11). De collatione prebende celestis littera sancti euangelii expresse dicit : *qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit* etc. (Marc. 16, 16). Ps. (121, 1-2) loquens de persona christianorum gaudebit ratione ac si iam esset in possessione prebende : *letatus sum in hiis que dicta sunt mihi : in domum Domini [141rb] ibimus, stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem.* Juxta quod iam habeat ibi pedem. Non est sic. Adhuc nos sumus exspectantes, *Saluatorem exspectamus* (Phil. 3, 20) etc. et sunt multi exspectantes qui numquam erunt in possessione prebende. *Multi ergo sunt uocati, pauci uero electi* (Mt. 22, 14). Unde in persona exspectantis et tandem defficientis loquebatur Ps. (83, 3) cum dicit : *concupiscit et defecit anima mea in atria Domini.* Set in persona exspectantis et tandem peruenientis qualis fuit beatus Dominicus ubi dicit (Ps. 64, 5) : *beatus quem elegisti et assumpsisti inhabitabit in atriis tuis.* Velit Deus quod nos sumus de numero electorum.

<sup>1</sup> Cf. *Manipulus florum*, Lex I (Valerius Maximus de memorabilibus dictis) ; Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, VII, 2, 14 (J. Briscoe, Teubner, 1998, vol. 2, p. 450).

<sup>2</sup> apparebit] appebit P.



## SERMON 63 bis

Saint Hippolyte.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 141rb-146ra.

Plan :

Thème – Les règles de succession pour les enfants légitimes ou non. Comparaison avec les fils de Dieu et les enfants du diable. Qualités de ceux qui accèdent au ciel :

I – La noblesse

Division 2 (Sap. 5, 5) :

- a. ils comptent parmi les saints
- b. ils sont libres
- c. ils sont particulièrement heureux
- d. ils sont nombreux

II – L'obéissance

F. 141rb : *Quicumque spiritu Dei aguntur hii filii Dei sunt*, Ro. 9 (8, 14).

[Thème] Quicquid sit secundum iura, tamen ista consuetudo seruatur in Francia quod filiis legitimis, qui post mortem patris debent succedere in bonis paternis, patre mortuo statim assignatur ductor et tutor sub cuius regimine sunt et cui sicut patri obediunt. Set filii spurii, qui patri mortuo non succedunt, dimittuntur suo regimini, sine tutore sunt. Hoc ideo dixi quia hanc consuetudinem regni Francie uult Deus seruare in regno militantis ecclesie quia patre mortuo nostro Christo, per cuius mortem nos succedere debemus in hereditate celesti, si sumus filii Dei quia *si filii et heredes*, Ro. 4<sup>1</sup> (8, 17) ; ipso, inquam, mortuo, ne filii Dei remanerent totaliter orphani, statim datus est eis<sup>2</sup> tutor et rector, scilicet Spiritus Sanctus, in die Pen|141va|tecostes apostolis missus. *Spiritus Domini ductor est eius*<sup>3</sup> (Is. 63, 14). *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* etc., dicit psalmus (142, 10). Quod ita sit ipse Christus innuit, Jo. (14, 18), ubi dicit apostolis : *non relinquam uos paruulos orphanos*. Mundum premiserat quando docuit<sup>4</sup> : *rogabo patrem meum et alium paraclitum dabit uobis ut maneat uobiscum in eternum* (Jo. 14, 16). Spiritum ueritatis a patre procedit. Si Spiritus Sanctus ductor et tutor non datur nisi filiis legitimis qui succedere debent in bonis paternis, signum et infallibile argumentum est quod isti sunt filii et heredes regni. *Et si filius et heres per Deum* (Gal. 4, 7). Qui habent tutorem istum, scilicet Spiritum Sanctum, qui in eius spiritibus non resistunt<sup>5</sup> set ad nutum

---

<sup>1</sup> Ro. 4] quasi dicat *add. P.*

<sup>2</sup> eis] *ei P.*

<sup>3</sup> eius] uel sese *add. P.*

<sup>4</sup> docuit] *Dominus P.*

<sup>5</sup> non resistunt] *uoci resistant P.*

obediunt : *ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro<sup>1</sup> quod sumus filii Dei*, Ro. 9 (8, 16). Signum est quod sunt filii spurii, filii dyaboli, qui non reguntur tutore isto : *filius Belial id est absque iugo* (Judic. 19, 22). Vidimus ideo quando in spiritibus<sup>2</sup> Spiritui Sancto non obediunt set resistunt, Heb. 12 (8) : *quod si extra disciplinam estis ergo adulteri non filii estis*. In hoc ergo discerni possunt filii Dei et filii dyaboli, quia *quicumque spiritu Dei aguntur* etc. (Rom. 8, 14), licet *in hoc manifesti<sup>3</sup> sunt filii Dei et filii dyaboli*, prima Jo. 3 (10). Figuram habemus ad hoc Gen., ubi legimus quod Abram et Saray, matrimonio coniuncti, quamdiu steterunt sub nominibus istis, numquam potuerunt habere filium ; bene Abram habuit de ancilla filium qui non successit in hereditate paterna. Quin ymmo dictum est (Gen. 21, 10) : |141vb| *eice ancillam* etc. Set quando mutata sunt nomina eorum amborum, ita quod nomen Abram prolongatum est in una sillaba que ab inspiratione incipit, dictus est Abraham nomen, quando Saray est abbreviatum in sillaba et dicta est Sara, tunc Abrahe natus est filius de libera. Unde dictum est ei (Gen. 17, 15-16) : *Saray uxorem tuam non uocabis Saray, set Sara, et ex ea dabo tibi filium cui benedicturus sum*. Abram et Saray matrimonio coniuncti signant duas potentias in homine quia in matrimoniali uinculo inuicem copulatas. *Abraham uidens<sup>4</sup>* signat rationem uel intellectum qui est potentia cognitiua. *Saray uelamen meum princeps<sup>5</sup> mea<sup>6</sup>*, signat uoluntatem que est potentia et que in regno anime tamquam princeps et domina aliis uiribus imperat, id est uerbum imperatiui modi copulemus. Ista tunc Saray detinet sillabam et Abram caret sillaba que ab aspiratione incipit. Quando uoluntas retinet proprium spiritum, homo sequitur proprium appetitum et ideo non ducitur Spiritu Sancto nec uoci eius obedit quin potius resistit. In Actibus apostolorum (7, 51) dicebat Apostolus : *incircumcisi cordibus et auribus uos semper Spiritui Sancto resistitis ; incircumcisi cordibus*, quasi dicat : non resecastis a Saray sillabam, id est istis sic stantibus non nascitur filius libere, heres regni, quin potius filius gehenne. Dicit enim Bernardus<sup>7</sup> : « Cesset propria uoluntas et infernus non erit. In quem enim deseuiet<sup>8</sup> ignis nisi in propriam uoluntatem ? Non propria uoluntas |142ra| Deum impugnat, aduersus eum extollitur. Ipsa [est] que paradysum [spoliat], infernum ditat, sanguinem Christi euacuat et dictum dyaboli modum subiungit. » Ergo resecatur sillaba, quod est tollere propriam uoluntatem, et infernus non erit. Set econtra tunc resecatur sillaba, id est prolongatur Abram sillaba que ab aspiratione incipit. Quando resecatur a propria uoluntate proprium imperium, homo non sequitur proprium appetitum set Spiritus Sancti instinctum. Tunc certe nascitur filius libere qui succedit in hereditate paterna, quia *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, 2 Cor. (3, 17). Hoc auertentes martires gloriosi Ypolitus et eius socii contra inclinationem proprii appetitus optulerunt se morti

<sup>1</sup> nostro] Sancto P.

<sup>2</sup> spiritibus] spiritualibus P.

<sup>3</sup> manifesti] manifesta P.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 3.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 20.

<sup>6</sup> mea] meam P.

<sup>7</sup> *Manipulus florum*, Voluntas X (Bernardus sermone 121) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Resurrectione Domini*, 3, 3 (SBO, V, p. 105).

<sup>8</sup> desaeuiet] deseruet P.

sequentes in hoc instinctum Spiritus Sancti ut mererentur dici et esse filii Dei : *ut filii Dei nominemur et simus*, prima Cor. (I Jo. 3, 1). Ideo itaque fratres iuxta consilium apostoli ad Gal. (4, 31) : *non simus ancille filii set libere*. Resecemus a Saray sillabam y, que fit precipue per uotum obedientie in ingressu religionis, set scitis quid est ? Est regula apud grammaticos sic dicens : sillaba que breuis est muta liquida consequente longa potest fieri, set longa nequit breuiari et modo produci ad placitum : multum est grata uersificanti quia de facili mutat uersum. Sillaba ergo breuis facilius intrat uersum quia potest produci quam sillaba longa que non potest abbreviari. Quid est facere uersum nisi conuertere peccatores ad bonum ? Versificator ad quem [142rb] pertinet uersum istum conuertere est Spiritus Sanctus cui attribuitur iustificatio impii, qui conuertit corda patrum in filios et incredulos ad penitentiam iustorum. Sillaba<sup>1</sup> ergo que producitur et abbreviatur<sup>2</sup> ad placitum, persona que ducitur Spiritu Sancto et ei obedit ad nutum, illa est ei grata, quia de facili intrat uersum, de facili conuertitur ad religionis ingressum. Que est illa ? Certe sillaba breuis, longa non. Sillabe breues sunt paruuli ignorantes : illi de facili intrant uersum, ita sunt inducte et obstinate in malo quod uix uel numquam possunt conuerti ad bonum. *Inueterate dierum malorum* Juda (Dan. 13, 52). Redeo unde sermo primus. Econtrario ostensum est quod illi qui abbreviant Saray in sillaba et producuntur Abram in sillaba que incipit ab aspiratione, id est illi qui resecat propriam uoluntatem proprium imperium et secuntur Spiritus Sancti instinctum habent ductorem spiritum et tutorem, illi sunt filii Dei et *heredes regni* (Jac. 2, 5). Hoc dicit uerbum quod in principio proposui scilicet *quicumque spiritu Dei aguntur* etc. quia tales fuerunt isti martires gloriosi. Ideo ad comendationem eorum ordinemus constructionem sic : *hii sunt filii Dei* (Rom. 9, 8) ; secundum nobilitas seu agilitas : *promptitudinis obsequio*<sup>3</sup> *aguntur*, non agunt, non resistunt<sup>4</sup> set obediunt ; tertium subtilitas, *spiritu Dei : Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei*, prima Cor. 2 (10).

[I] Circa primum sciendum quod inter fratres uterinos filios eiusdem<sup>5</sup> matris non [142va] est disparitas in nobilitate ex parte matris ipsius quin omnes sint eque nobiles uel eque rustici, nec debet unus cum alio gloriari uel super alium comendari, set ex parte alterius et alterius patris est frequenter magna disparitas in tantum quod quidam sunt filii nobilis uiri et legitimo thoro, alii sunt rustici minus filii et de adulterio nati et de hac nobilitate potest unus super alium comendari. Hoc ideo dixi quia nos omnes boni et mali et diuites et nobiles et rustici omnes sumus fratres uterini : *fratres enim sumus*, Gen. (13, 8). Ratio est quia de utero eiusdem matris egressi et in sinum unius matris habemus reuerti. De hac matre loquitur Sap. in Ecclesiastico XL (1) : *occupatio magna creata est hominibus et iugum graue super filios Ade a die exitus de utero matris mee* etc. usque : *in diem sepulture in matrem omnium*. Ecce quod matrem omnium uocat terram et pro Deo sumus de eadem matre nati, de eadem

<sup>1</sup> sillaba] sillaba *add. P.*

<sup>2</sup> abbreviatur] abbreviat *P.*

<sup>3</sup> obsequio] se *add. P.*

<sup>4</sup> resistunt] resistant *P.*

<sup>5</sup> eiusdem] eiusdam *P.*

terra figurati, uere sic Ecc. 33 (Eccli. 33, 10) : *omnes homines de solo et ex terra unde creatus est Adam*. Si omnes de eadem matre nati, de eadem terra figurati, sic et omnes sumus fratres uterini. *Quid ergo superbis terra et cinis*, Ecc. X (Eccli. 10, 9). Unde dicit uersificator<sup>1</sup> : « Cum fex, cum limus, cum res uilissima sumus, unde superbimus ? Ad terram terra redimus. » Quomodo audet<sup>2</sup> unus super alium gloriari de nobilitate parentele carnalis, cum ex parte matris a qua caro trahit originem, omnes simus<sup>3</sup> fratres |142vb| uterini ? Filius regis numquid est de nobiliori uentre natus uel formatus de materia mundiori quam filius rustici ? Certe non. Ymmo probo quod de debiliori. Ista est conditio lateris que de terra formatur quod lateres igne decocti mundiores efficiuntur. E contrario si lauantur aqua, quanto plus lauantur aqua, tanto amplius sordidantur, que terra formantur. Est corpus humanum a principio de limo terre formatum, corpus nostrum inde habet conditionem laterum quo quanto magis nutritur in aquis deliciarum, tanto plures immunditias habet, plures feditates emittit per os, aures etc. ; et sic de aliis in tantum quod dicit Hugo<sup>4</sup> de claustro anime quod « nihil aliud est caro, cum qua tanta est cura, cum qua tanta est societas, quam spuma caro factum fragili decore uestitum : set erit cadauer miserum et putridum, et cibus uermium. Si, inquit, consideres quid per os et nares et ceteros meatos corporis egrediuntur, uilius sterquilinum numquam uidisti. » Econtra corpus humanum ad modum lateris quando decoquitur *in camino paupertatis* (Is. 48, 10) pauciores immunditias habet uel emittit. Unde uulgaliter dicitur : c'est tro bele chose veir poverté<sup>5</sup>. Ergo exemplo laterum cogitare debent filii magnatum qui nutriti sunt in aquis quod ipsi non sunt de materia mundiori formati<sup>6</sup>, de nobiliori uentre nati quam filii pauperum rusticorum. Ita |143ra| dicitur in Nahe<sup>7</sup> (Nah. 3, 14) : *intra lutum calca subigens<sup>8</sup> laterem tene*. Hoc est dictum : considera in lateribus de luto formati<sup>9</sup> tui originis uilitatem et tu non gloriaberis, ymmo calcabis et uilipendes. Dicit Alanus<sup>10</sup> de Complactu<sup>11</sup> nature : « Heu ! Homini unde fastus, ista superbia ? Cuius erumpnosa natiuitas<sup>12</sup>, cuius uitam laboriosam demollitur natiuitas, cuius penalitatem penaliore morte concludit natiuitas, cui omne momentum, uita naufragium, mundus exilium, cui uita aut abest aut spondet absenciam, mors aut instat aut mutatur instantiam. » Habeo ergo quod de nobilitate parentele carnalis nullus debet super alium gloriari uel super alium comendari quia omnes sumus fratres uterini ex parte matris, id est non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles *ut non gloriatur omnis caro in conspectu Dei* (I Cor. 1,

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Caro siue corpus T (Hugo de Claustro anime libro 1 capitulo 1).

<sup>2</sup> audet] audit P.

<sup>3</sup> simus] sumus P.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Caro siue corpus S (Hugo de Claustro anime libro 1 capitulo 1); Autor incertus, *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 3 (PL 184, 489D).

<sup>5</sup> veir poverté] veiroy povert P.

<sup>6</sup> formati] forti P.

<sup>7</sup> Nahe] nare P.

<sup>8</sup> subigens] subigent P.

<sup>9</sup> formati] formati P.

<sup>10</sup> *Manipulus florum*, Superbia BE (Alanus libro de complactu nature); Alanus de Insulis, *Liber de planctu naturae*, de arrogantia (PL 210, 468A).

<sup>11</sup> complactu] copulatu P.

<sup>12</sup> nativitas] ejus add. P.

29). Sic<sup>1</sup> ergo aliquis debet comendari super alium, de nobilitate quam habet ex parte patris, quia, si filius Dei est, non dyaboli. Sic gloriabatur ille de quo libro<sup>2</sup> Sap. (2, 13) : *filium Dei se nominat*. Sequitur (Sap. 2, 16) : *et gloriatur se patrem habere Deum*. Sic gloriabatur Apostolus ad Rom. 6 (5, 2) : *gloriamur in spe filiorum Dei*. De hac nobilitate que uenit ex parte patris comendantur isti martires gloriosi cum dicitur (Rom. 8, 14) : *hii filii sunt Dei*, ut exponatur de hiis illud quod scribitur Sap. 6 (5, 5) : *computati sunt inter filios Dei*, conscio seu congregatio pulcrior inter sanctos, portio seu possessio potior, quia |143rb| *inter sanctos sors illorum*.

[a] De primo nota quod campsor uel mercator computat quandoque cum denariis plumbeis summam et peccunias quas recepit uel expensas quas fecit uel facere intendit. Hoc modo accipitur computare in Luc. XIII (28) : *quis ex uobis uolens turrim edificare non<sup>3</sup> prius sedens computat sumptus qui necessaria sunt*. Alio modo dicitur quod campsor computat quando monetam quam recipit numerat, ut eam in sacco uel archa ponat. Inter computare primum et secundum est differentia, quia in primo compoto recipiuntur libentius plumbei denarii quam aurei uel argentei. Ibi enim non attenditur ad ualorem set solum ad situm. Unde ostenditur<sup>4</sup> frequenter quod denarius plumbeus in tali compoto ualet centum, ubi aureus ualet dimidium solidum tantum. Ratio etiam est : denarius secundum quod mutat alium et alium situm ualet modo C libras, modo unum obolum solum. In secundo compoto non sic fit. Verum est quod ad mensam camporis portantur denarii cuiuslibet conditionis, set campsor qui nouit ualorem<sup>5</sup> cuiuslibet monete non omnem monetam computat et recipit. Ymmo antequam computet peccuniam que offertur sibi, primo eligit denarios bonos uel malos aureos et ab argenteis ; quo facto omnes malos refutat et solos bonos computat et in archa reponit, ita quod componit aureos ex parte una, argenteos ex parte alia |143va| in saccis diuersis. Spiritualiter campsor qui nouit ualorem cuiuslibet monete est solus Deus qui nouit merita cuiuslibet persone. Campsor iste habet duplicem mensam, mensam regni celestis et mensam ecclesie militantis. Set computare est ualde equiuocum hic et ibi. Loquitur de prima mensa ipsemet ubi dicit (Luc. 22, 29-30) : *dispono uobis etc. usque ibi : super mensam meam in regno meo*. De secunda loquitur sub parabola mense usurarii : *quare non dedisti peccuniam eam ad mensam et ego ueniens cum usuris utique exigissem illam* (Luc. 19, 23). Secundum ueritatem de omni peccunia quam ipse mutuatur<sup>6</sup> nobis in mensa uite presentis exigit<sup>7</sup> usuras [ad] usum meritorii operis. Modo sicut computare est ualde equiuocum hic et ibi, in compoto enim huius mundi gratius<sup>8</sup> recipiuntur denarii plumbei quam aurei, sicut et boni uiri in mundo non computantur nec sunt alicuius reputationis. Hoc deplorat Je. 14 in

<sup>1</sup> sic] si P.

<sup>2</sup> libro] pro add. P.

<sup>3</sup> non] nunc P.

<sup>4</sup> ostenditur] ostendit P.

<sup>5</sup> ualorem] ualore P.

<sup>6</sup> mutuatur] mutat P.

<sup>7</sup> exigit] exegit P.

<sup>8</sup> gratius] contrarius P.

Tren. (4, 2) : *filii Syon incliti et amicti auro* puro, ecce denarii aurei, *quomodo reputati sunt in uasa testea opus manuum figuli !* Ratio est quia in isto compoto non attenditur ad ualorem monete set solum ad situm : ille plus reputatur qui habet maiorem statum, et frequenter contingit quod denarius plumbeus, homo nullius ualoris, ponitur in alto situ, ideo reputatur multum, computatur per centum, ubi denarius aureus, homo magni ualoris, tenet infimum gradum nec reputatur unum obolum. Ysa. LIII (2-3) : *desiderauimus despectum* |143vb| *et nouissimum uirorum, unde nec reputauimus eum.* Recte est de compoto huius mundi sicut de compoto algorismi : ibi enim omnis littera non mutata nisi secundum situm ualet, modo simplum, modo decuplum<sup>1</sup>, modo centuplum ; sic in reputatione mundi eadem persona in nullo mutata quantum ad ualorem secundum alium et alium situm uel gradum reputatur modo modicum, modo multum. Et quid contingit ? Certe quod denarius qui nunc ualebat centum cito mutatur ad situm alium et tunc non ualet nisi obolum ; sic uero fortuna currente et Deo uolente homo nullius ualoris qui modo propter altitudinem status reputatur centum in momento perdit statum illum et non reputatur ad unum obolum. Ecce quomodo computabitur<sup>2</sup> in mensa regni celestis. Verum est quod ad illam mensam portantur denarii cuiuslibet conditionis, omnes boni et mali afferunt se ad ueniendum *et omnes stabimus ante tribunal Christi* (Rom. 14, 10). Set campsor qui nouit ualorem cuiuslibet monete, merita cuiuslibet persone, bonam monetam computat et malam refutat. Sap. XV (2) : *si peccauimus scimus quoniam apud te sumus computati.* Unde ipse primo eligit et separatur denarios bonos a malis, electos a reprobis<sup>3</sup>, malos non computat set simpliciter refutat iuxta illud (Mt. 13, 48) : *elegerunt bonos in uasa, malos autem foras miserunt.* Item inter denarios bo|144ra|nos ipse distinguet et secundum ualorem eorum reponet eos in locis diuersis ; illic patres dispositi<sup>4</sup> secundum qualitatem meriti, sicut dicitur in Ysa<sup>5</sup>. Inter alios martires collocantur de primis. Ideo dictum est *computati sunt* etc.

De secundo dicitur quod persona libere conditionis, quamdiu possidet terram uel inhabitat<sup>6</sup> domum conditionis similis, rationem terre uel loci subiacet in aliquo seruituti. Set quando persona de se libera non possidet terram nisi liberam, non habitat<sup>7</sup> locum nisi amortizatum, tunc talis nec ratione loci nec ratione sui subiacet in aliquo seruituti. Propter hoc religiosi loca que inhabitant faciunt amortizari. Hoc ideo dico quia summa et sola seruitus est peccati seruitus<sup>8</sup>, quia secundum Augustinum<sup>9</sup> quod « bonus si seruiat, liber est ; malus autem etiamsi regnet, seruus est, nec hominis tantum set, quod grauius est, tot dominorum quot uitiorum. » Ratio est quia sicut seruus

<sup>1</sup> decuplum] duplum P.

<sup>2</sup> computabitur] computabatur P.

<sup>3</sup> a reprobis] et reprobos P.

<sup>4</sup> dispositi] dispoisiti P.

<sup>5</sup> Non inueni.

<sup>6</sup> inhabitat] inhabitet P.

<sup>7</sup> habitat] habitet P.

<sup>8</sup> seruitus] intellectum P.

<sup>9</sup> *Manipulus florum*, Seruitus A (Augustinus libro 4 de Ciuitate Dei) ; Augustinus Hipponensis, *De Ciuitate Dei*, IV, 3 (B. Dombart, A. Kalb, SL 47, 1955, p. 101).

quantumcumque laborat nihil sibi acquirit, sic peccator per quecumque opera bona nihil de condigno potest mereri. Ergo qui facit peccatum seruus est peccati. Persona libere conditionis est anima habens libertatem arbitrii. Terra multipliciter serua est. Caro nostra figurata est per terram Egypti que propter habundantiam redacta est in seruitutem regis pharaonis, Gen. XLVII<sup>1</sup>. Egyptus angustia, uel tribulo coangustans. Terra ergo Egypti est terra domus nostra que multas angustias patitur famis et sitis, frigoris et nuditatis et sic de aliis, et hanc multiplicem seruitutem incurrit propter cibum uetitum quem appetat. [144rb] Anima enim libera erit immunis ab omnibus istis : *que erat libera facta est ancilla*, dicitur primo Mach. I (2, 11). Anima ergo quamuis ratione sui sit libera, quia tamen habitat domum terrenam conditionis seruilis, ratione eius frequenter incurrit seruitutem peccati. Je. VII (Rom. 7, 25) : *ego ergo mente seruius legi Dei carne autem peccati*. Nota : nec potest anima, quamdiu inhabitat domum istam uel terram non amortizatam, quamdiu coniuncta corpori mortali, temporaliter esse libera a seruitute peccati. *Facias terram tuam* amortizari (Deut. 24, 4), id est *facias*<sup>2</sup> carnem per opera misericordie mortizari. Colo. 3 (5) : *mortificate*<sup>3</sup> *membra uestra que sunt super terram*, sequitur (3, 6) per *que uenit ira Dei super filios* diffidentie. Unde quanto caro melius mortificatur, tanto anima liberior efficitur. Ratio est quia duorum habentium diuersas qualitates uel quanto unum magis mortificatur, tanto alterum actioni eius magis subicitur. Si cesset repugnantia qualitatum, cessat subiectio unius ad alterum. Caro et spiritus in uita presenti habent qualitates contrarias et adinuicem ualde repugnantes, dicente Apostolo, Ro. VII (23) : *uideo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee et captiuum me ducentem in lege peccati*. Et ideo durante rebellionem carnis ad spiritum, quanto caro magis subicitur et amplius captiuatur in tantum quod *si secundum carnem uixeritis moriemini*, Rom. VIII (13) ; econtra quanto caro magis moritur, tanto spiritus liberior efficitur, [144va] quia *si spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis* (Rom. 8, 13), set in penitentia, quia etiam resumptis corporibus cessabit etiam subiectio et seruitus predicta et tunc enim *creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem glorie filiorum Dei*, Ro. 9 (8, 21). Hoc aduertentes<sup>4</sup> martires gloriosi fecerunt morte sua<sup>5</sup> mortificari totaliter<sup>6</sup>, fecerunt carnem martirio consumari, et ideo nec ratione martirii consumati et ideo nec ratione terre sue subiacent in aliquo seruituti, ut concludam de eis : *ergo liberi*, Mt. XVII (25).

Tertio ipsi sunt quorum conscio uel congregatio pulcrior inter sanctos. Dicitur uulgaliter quod ille qui coream intrat oportet quod corizet. Simile enim prouerbium habetur primo Reg. (16) ubi legitur quod cum Saul ad cuneum prophetarum psallentium<sup>7</sup> et corizantium uenisset prope, statim cum

<sup>1</sup> XLVII] XLII P.

<sup>2</sup> facias] facies P.

<sup>3</sup> mortificate] mortificata P.

<sup>4</sup> aduertentes] auertentes P.

<sup>5</sup> morte sua] mortem suam P.

<sup>6</sup> totaliter] mortificari exp. P.

<sup>7</sup> psallentium] psallentii P.

eis incepit prophetare et canere (II Reg. 19, 24): *unde exiuit prouerbium: Num<sup>1</sup> et Saul inter prophetas?* Ratio autem quare iste qui coream intrat cognoscitur coreizare est in promptu, quia enim coreizantes adherent sibi mutuo et tenent se cum manibus. Ideo unus trahit sibi alium, ita quod duobus motis et coreizantibus tertium qui est inter eos necesse est moueri et coreizare cum illis duobus. Spiritualiter corea quantum ille qui ingreditur coreizante cognoscitur est congregatio bona uel mala. In corea enim bonorum efficitur bonus homo, in congregatione malorum malus. Ps. (17, 26): *cum sancto sanctus eris* [144vb] etc. Ratio est quia socii de corea, de congregatione una, adherent sibi mutuo passuum et unus faciliter trahit secum alium ad portandum. Propter hoc dicit Ysidorus<sup>2</sup> quod « melius est malorum odium quam consortium. Sicut enim multa bona habet communis uita sanctorum, sic multa mala affert societas malorum. » Item manus unius trahit alterum. Per manus intelliguntur opera, et mala opera unius faciliter trahuntur ab alio in exemplum. « Exempla enim plus mouent quam uerba », secundum Gregorium<sup>3</sup>. Causa ergo quare ille qui intrat coream cogitur malus esse est mutua<sup>4</sup> adhesio ipsorum. De hac adhesione in corea malorum habemus figuram in Gen. (22, 13) ubi *Abraham uidit post tergum arietem inter uepres herentem cornibus*. Uepres in prendentes sunt peccatores et melius peccatrices que quasi uiolenter prendunt hominem earum coream frequentantem. Prou. 6 (26): *mulier uiri pretiosam animam capit*. Ecc. A (Eccle. 7, 27): *uidi amariorem morte mulierem que laqueus est uenatorum, sagena cor eius, uincula manus illius. Qui placet Deo effugiet eam, qui peccator est capietur ab illa*. Aries animal brutum habens duo cornua est brutalis homo seu habens duplicem appetitum, aries inter uepres heret cornibus quia homo intrans coream peccatorum et precipue mulierum toto affectu eis adheret in tantum quod non possunt homines separari a [145ra] mulieribus. Nunc quicumque sentit arietem sic uepribus adherentem, utinam faceret sicut fecit Abraham qui arietem mactauit et sic filium liberauit. Dictum est iam quod aries dictum est brutum animal, caro uel bruta sensualitas, filius spiritus ad similitudinem Dei factus. Modo ista duo sunt per immediata ut intra tactum est: uel oportet arietem mactari, carnem per opera misericordie, uel mortificari filium, id est spiritum interfici morte peccati. *Si enim secundum carnem* etc. ut supra (Rom. 8, 13). Hoc aduertentes<sup>5</sup> martires, isti fecerunt arietem mactari ut filius posset liberari et ut dicat eorum quilibet (Ps. 87, 5-6): *factus sum sine adiutorio inter mortuos liber*. Et mihi uidetur quod isti eundo ad martirium coream pulcherrimam fecerunt. In capite enim coree fuit una domina gratiosa Concordia, quia legimus<sup>6</sup> quod, cum Ypolitus cum tota familia sua christiana et nutrice eius, Concordia fuissent adducti coram prefecto et ipse eis suaderet ut ydolis consentirent ne eorum corpora

<sup>1</sup> num] tantum P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Societas K (Isidorus libro 2 Soliloquiorum).

<sup>3</sup> Humbertus de Romanis, *Tractatus de habundantia exemplorum*, prol. (C. Boyer, thèse d'École des chartes, 1999, p. 1); cf. Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV*, I, prol., 9 (A. de Vogüé, SChr 260, 1979, p. 16).

<sup>4</sup> mutua] mutuuum P.

<sup>5</sup> aduertentes] auertentes P.

<sup>6</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Ypolitus, p. 775.



perirent, Concordia et pro omnibus respondit<sup>1</sup> quod isti nullatenus consentirent, unde ipsa<sup>2</sup> ante omnes manifesta fuit et alios post se ad martirium duxit. Ecce corea ualde pretiosa, Prou. XIII (9) : *inter istos morabitur gratia*. Sic habeo quod ille qui ingreditur coream coreizante cognoscitur et quicquid sit de corea bonorum et malorum in uita presenti. Non est dubium de corea bonorum |145rb| quia illic habent perpetuum gaudium et iuge tripudium. Vix enim hora uel dimidia fit<sup>3</sup> in celo silentium, ibi est una uox letantium et unus amor cordium. Quicumque intrauit coream sanctorum oportet quod coreizat et faciat festum. *Exultabunt enim sancti in gloria* etc. (Ps. 149, 5). Narra de illa pulcra corea<sup>4</sup> XVII martirum in Lugduno<sup>5</sup>, quomodo unus ciuis, audiens quod christiani martirizabantur, cum surgeret de lecto et haberet adhuc alterum pedem nudum, statim decollatus accepit caput suum in manibus suis et portauit ad puteum, dixit (Ps. 149, 5) : *exultabunt in gloria sancti* ; alii de puteo mundauerunt *in cubilibus suis*. Ecce pulcra et magna corea, hanc intrauit hodie Ypolitus cum familia sua ut dicat ipse : *in plenitudine sanctorum detentio mea*, Ecc. (Eccli. 24, 16) et quia in illa corea est mirabile gaudium et ineffabile et ibi impletur uoluntatis desiderium potest ipse dicere illud quod scribitur in psalmo (15, 3) : *sanctis qui sunt in terra eius, mirificabit<sup>6</sup> omnes*.

Tertio sunt quorum portio potior : *inter sanctos sors illorum*. Horum olim fuit uerbum<sup>7</sup> religiosi cuiusdam, quod adhuc hodie uulgaliter recitatur : « Nos, inquit, sumus fratres set scutelle nostre non sunt sorores » ; secundum ueritatem eiusdem matris, ex alio tamen et alio patre. Quamuis sint uterini fratres, scutelle tamen eorum non sunt semper sorores. Quandoque enim mater, que plus diligit adulterum quam uirum proprium, meliorem portionem |145va| et maiorem scutellam dat filiis spuris quam legitimis. Hoc uerum est quando mater scutellas diuidit. Totum contrarium accidit quando pater scutellas distribuit, quia ipse meliorem scutellam dat filiis propriis quam extraneis. Dixi autem quod nos omnes boni et mali sumus fratres uterini, filii eiusdem matris, ex alio tamen et alio patre, quia quidam filii dyaboli, et quamuis ita sit, quidem nos omnes sumus fratres, scutelle nostre tamen non sunt sorores, non sunt bene pares, quia unus esurit et alius ebrius est. Ratio : quia terra mater nostra modo diuidit scutellas et dat portionem maiorem spuris quam liberis, mali plus habundant in terrenis et temporalibus bonis quam faciunt boni. *In quorum manibus iniquitates sunt terra eorum repleta est muneribus* (Ps. 25, 10). *Ecce ipsi peccatores* etc. (Ps. 72, 12). Ecce quod in uita presenti, ubi mater diuidit scutellas, mali habent meliorem sortem. De qua sorte Moyses loquitur Sap. secundo (6-7) in persona eorum dicit : *uenite, fruamur bonis que sunt, utamur creatura tamquam in iuuentute sceleriter, uino et unguentis pretiosis nos impleamus* etc. Sequitur (Sap. 2, 9) : *quoniam hec est pars nostra et hec est sors nostra*. Totum contrarium erit quando pater noster diuidet scutellas,

<sup>1</sup> respondit] respondet P.

<sup>2</sup> ipsa] ista exp. P.

<sup>3</sup> fit] sit P.

<sup>4</sup> Exemplum 12.

<sup>5</sup> Lugduno] Luguno P.

<sup>6</sup> mirificabit] uiuificabit P.

<sup>7</sup> uerbum] tribum P.

quando distribuet et retribuuet singulis secundum merita sua. Juxta illud Ps. (77, 54) : *sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis*. Qui nunc habent scutellam uacuam, ipse dabit plenam. *Beati qui nunc esuritis quoniam saturabimini* (Luc. 6, 21). Mali uero, qui nunc [145vb] habent plenam, ipse dabit uacuam scutellam. *Ve uobis diuitibus* etc. *Ve uobis qui saturati estis* quia esurietis, in Luc. (6, 24-25). Non ergo debent indignari pauperes si habent modo peiorem sortem, uacuam scutellam, set debent sperare et patienter exspectare quousque pater scutellas diuidat<sup>1</sup> quia tunc habebunt meliorem sortem. Ps. (30, 15-16) : *ego autem in te speraui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis sortes mee*. Dicit Beda<sup>2</sup> super illo uerbo (Jac. 1, 2) : *omne gaudium existimate* etc. : « Ne indignemini si mali in mundo floreat etc. » sicut habes in sermone<sup>3</sup> *Saluatorem expectamus*. Modo diuites non debent gaudere quia modo habent meliorem scutellam, quia dicit Jeronimus<sup>4</sup> quod « difficile est, ymmo impossibile, ut presentibus et futuris quis fruatur bonis » etc. ut habes in sermone<sup>5</sup> *Qui custos est*. Set unde quod illi qui nunc habent uacuam scutellam, tunc habebunt plenam et econtrario ? Ecce scitis quod due situle que obuiant sibi in aliquo puteo uel in una cystema et uoluuntur<sup>6</sup> una rota, sic se habent quod dum una plena ascendit, alia uacua descendit. Postmodum autem uolente rota motu opposito, illa que primo ascendebat plena descendit euacuata et que primo uacua descendebat<sup>7</sup> ultimo plena ascendit. Due situle, una plena, alia uacua que obuiant sibi in puteo sunt diues plenus et pauper egenus qui obuiant simul [146ra] in unum. *Diues et pauper obuiant sibi ut imperator est Dominus*, Prou. XXII (2). Rota fortune modo sic currit et uoluet pro diuitibus quod diues quia plenus diuitiis eleuatur, exaltatur et ab omnibus honoratur, pauper autem, quia uacuuus deprimatur et despicitur, set quando rota uoluetur modo opposito, diuites deprimuntur, uacui et pauperes exaltabuntur et replebuntur omnibus bonis. Luce primo (52-53) : *deposuit potentes de sede et exaltauit humilis esurientes impleuit bonis* etc. Sic patet quod situle non sunt pares nec scutelle sorores. Exemplum habemus in diuite epulone et Lazaro mendico. Dilata quomodo scutelle eorum non fuerunt sorores. Figuram habemus in Gen. in illo Benjamin de quo dicitur primo Reg. (10, 20) quod *cecidit sors tribus Benjamin*. Iste primo uocatus est a matre Benom, id est doloris filius, postmodum pater uocauit eum Benjamin, id est filium dextre. Hoc figuratiue designat quod illi qui in presenti sunt filii doloris<sup>8</sup> filii dextre uocabuntur et habebunt meliorem scutellam, Act. 20 (26, 18) : *accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos*, et Sap. 3 (14) : *dabitur ei fidei donum electum et sors in templo Dei acceptissimi*. Bonorum laborum enim labor gloriosus est fructus. Tales fuerunt isti martires

<sup>1</sup> diuidat] diuidit P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Tribulatio AM (Beda et est glossa super illud Jacobi : *omne gaudium exi fratres*).

<sup>3</sup> Sermon 31.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Prosperitas G (Hieronymus in epistula quadam) ; Hieronymus, *Epistulae*, epist. 118, par. 6 (I. Hilberg, CSEL 55, 1996, p. 444)

<sup>5</sup> Sermon 63.

<sup>6</sup> uoluuntur] uoluitur P.

<sup>7</sup> descendebat] descendit P.

<sup>8</sup> doloris] et qui *add.* P.

gloriosi ut dicunt illud Col. I (12-13) : *dignos nos fecit in partem sortis sanctorum et transtulit in regnum filii dilectionis sue.*

De tertio principali nota quod dicunt grammatici quod inter partes orationis hoc est [146rb] conditio solius pronominis quia pronomen ita regit quod non regitur. Bene inueniuntur partes alie que regunt et reguntur, sicut uerbum, et alie que non regunt neque reguntur, ut aduerbium, coniunctio, prepositio, interiectio. Verum est tamen quod prepositio regit set non omnem casum, quia deseruit ablatiuo et accusatiuo tantum. Accipiamus pronomen et prepositionem. Videtur mihi quod talis est differentia, qualis est differentia inter superbum et humilem. Prepositio, quid est ? Pars orationis que preponitur aliis orationibus. Hec est conditio superbiorum qui omnibus uolunt preponi : uolunt semper regere et non faciunt. Illi quando ueniunt ad statum prepositionis non deseruiunt nisi actiuo et ablatiuo tantum. Nihil aliud faciunt nisi accusare subditos, et tunc innocentes non possunt ab eis aliquid auferre. Figura in Gen. (Ex. 1, 11) ubi legitur quod *proposuit eis magistros ut affligerent* ; set utrumque *agerent laborauerunt*, Jere. IX (5). Ysa<sup>1</sup>. (52, 5) : *dominatores autem inique agunt*. Superbi ergo conditionem prepositionis habent, que non regitur set regit tamen duos casus. *Superbi inique agebant usquequaque* (Ps. 118, 51). Set ueri humiles habent conditionem pronominis: uolunt regere set reguntur. Ideo dicit *aguntur*. Item pronomen dicitur, quia pro nomine ponitur. Quamuis sit conditio omnium uere humilium, quasi scilicet ipsi gaudeant<sup>2</sup> quando patiuntur aliquem pro nomine Christi: « Ibant apostoli etc.<sup>3</sup> », tamen hoc est magis proprium in Christum. Qui pro nomine Christi morti se exponunt. Qui pro Christi nomine sanguinem suum fuderunt. *Ostendam ei quanto oporteat eum pro nomine meo pati* (Act. 9, 16). Utramque conditionem [146va] pronominis habuerunt martires isti, quia finaliter sanguinem suum fuderunt pro nomine Christi. Item noluerunt regere set regi, agere set agi, exemplo Christi qui egressus a Jordane agebatur a spiritu in deserto, Luc. 4 (1, 80). Ergo Jordanis significat descensum humilitatis<sup>4</sup>. Vere humilis agitur in deserto, obedit ei non solum in prosperis set in aduersis, contra multos qui assimilatione arcus primo<sup>5</sup> flectuntur faciliter<sup>6</sup> uersus uentrem, obediunt libenter in prosperis, retro cedunt, id est in aduersis non possunt flecti set franguntur per impatientiam statim, Luc. 9 (8, 29) : *ruptis uinculis agebatur a demonio in deserto* ; per quod desertum uenit ad terram promissionis. Ad quam nos perducatur filius Virginis Jhesus Christus.

<sup>1</sup> Ysa] Luc. *add. P.*

<sup>2</sup> gaudeant] gaudent *P.*

<sup>3</sup> CAO, 3, 6873 (répons).

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 140.

<sup>5</sup> primo] primi *P.*

<sup>6</sup> faciliter] fallaciter *P.*

## SERMON 64

Assomption.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 146ra-150va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 65va-66ra ; Toulouse, Bibl. mun. 338, f. 115va-120rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 185r.

Plan :

Prothème – Comme l'eau, la grâce permet d'éteindre le feu du péché.

Thème – La lumière naturelle ou artificielle est comparée à la grâce ou aux ténèbres. Les miracles liés à la mort de la Vierge :

I – présence de la lumière

Division 2 (Act. 22, 6) : les qualités de la lumière

- a. clarté
- b. rapidité
- c. sublimité
- d. rondeur

II – éloignement des obstacles

F. 146va : *Expandi manus meas ad te anima mea sicut terra sine aqua tibi* (Ps. 142, 6).

[Prothème] Volenti habere<sup>1</sup> aquam de profundo puteo et non habenti cordam que possit aquam attingere nec instrumentum aliquod cum quo possit aquam haurire, datur illud remedium quod accipiat pannum unum et expandat super os putei. Expertum est quod pannus ille paulatim efficietur matidus et tandem totus aquosus stillat guttas aque. Sic potest haberi aqua de puteo sine corda uel instrumento quocumque. Nos omnes uiuimus hic ad hauriendum aquam diuine gratie que extinguat in nobis estum et ardorem peccati et specialiter hodie refrigeret mortuos qui estuant in igne purgatorii. Sine aqua diuine gratie neuter [146vb] ignis potest extinguui. Set hec est *aqua que omnia extinguit*, dicitur in libro Sap. (16, 17). Modo puteus diuine gratie adeo est profundus quod nulla corda humana sufficiunt ad attingendum perfecte et excogitandum profunditatem diuine gratie. *Oculus enim non uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit*, prima Cor. II (9). Iterum adeo est profundus quod nullum instrumentum potest usque ad aquam pertingere, hoc est dictum: nulla creatura etiam ut instrumentum Dei attingit usque ad effectum gratie. Bene dicunt doctores quid sacramenta sunt quedam instrumenta gratie causatiua. Set hec est sicut causa disponens. Solus autem Deus est causa gratie efficiens, in Jo. (1, 17): *gratia et ueritas per Jhesum Christum facta est*. Est ergo bene profundus puteus diuine gratie ad quem hauriendum non attingit corda nec instrumentum quodcumque. Hic est ille puteus de quo dicebat mulier Samaritana in Jo. (4, 11): *Domine nec in quo haurias habes et puteus altus est*. Quid ergo poterimus facere? Quomodo poterimus aquam habere ad

---

<sup>1</sup> habere] quasi *add. P.*

refrigerandam mortuos qui modo estuant in igne purgatorii ? *Quis dabit capiti meo aquam et plorabo die et nocte interfectos filie populi mei*, Jer. 3 (9, 1). Nec uidetur remedium aliquid nisi illum predictum quod expandamus super os putei pannum unum. Puteus diuine gratie contentius est Virgo Maria. Ita cantat ecclesia (Can. 4, 15) : *fons ortorum puteus aquarum uiuentium*. Pannus qui ab |147ra| humore gratie madefactus stillat guttas aque, lacrimas compunctionis et deuotionis, est deuotus animus : *ad Deum stillat oculus meus*, Job. (16, 21) loquens de oculo mentis. Non restat ergo aliud nisi quod ante os putei, ante faciem Marie expandat quilibet animum suum, id est preces ex animo, dicens uerbum propositum (Ps. 142, 6) : *expandi manus* etc. usque ibi (Ps. 68, 18) : *uelociter exaudi me*. Exceptum est frequenter, ymmo infallibile experimentum est quod quicumque expandunt se sic ante faciem Virginis gloriose, infallibiliter reportant ab ea aquam diuine gratie. Hoc fuit pulcre figuratum in Gen. (24, 16) ubi legitur quod seruus Abrahe hoc experimento, non alio, didicit quod Rebecca *uirgo pulcherrima et incognita uiro* erat mulier quam Deus parauerat filio Domini sui, quia sibi aquam petenti non negauit, quin ymmo dedit sibi aquam et camelis suis. *Virgo pulcherrima et incognita uiro* est Virgo Maria que dicit de se ipsa (Luc. 1, 34) : *quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco*. Ipsa enim experimento probat se esse mulierem preparatam filio Dei quia non negat, ymmo dat gratiam cuilibet deuote petenti. *Omnis qui petit accepit* (Mt. 7, 8). Ipsa est que clamat in Apoc. (22, 17) : *qui sitit ueniat qui uult accipiat aquam uite gratis*. Ergo pro aqua gratie habenda recurramus ad eam in principio sermonis et dicat quilibet deuote *Aue Maria*<sup>1</sup>.

[Thème] *In hac die que ad pacem tibi*, Luc. (19, 42). *Facias prothema. Expandi manus* etc. (Ps. 142, 6). |147rb| Distingui solet communiter inter diem naturalem et artificialem, et uocatur dies naturalis que continet in se diem et oppositum diei, diuiditur in lucem et tenebras, *factum est uespere et mane dies unus*, dicitur in Gen. (1, 5). Contingit etiam bene aliquo tempore et in aliquo climate quod incomparabiliter in die naturali est plus de tenebris quam de luce ; set dies artificialis uocatur qui non diuiditur in lucem et tenebras set continet solam lucem. *Appellauit que lucem diem* in Gen. (1, 5). Attribuitur diei naturali in lucem et tenebras luminariibus illis que olim fecit Deus et posuit in firmamento celi. Dicitur ibi (Gen. 1, 16-18) : *fecit Deus duo magna luminaria*, sequitur : *et stellas et posuit eas in firmamento celi ut preessent diei et nocti et diuiderent lucem ac tenebras*. Notate uerba : dicitur quod officium luminarium precipue duorum magnorum fuit duplex, preesse et diuidere, et in ueritate ista duo concomitantur se simul hodie, ambitio prelationis et diuisio dissensionis. Videatis hodie in uno collegio, siue sit prelatorum siue canonicorum siue religiosorum, si sunt ibi duo magna luminaria, due magne persone et notabiles inter alias que ad modum luminarium deberent totum collegium illustrare et decorare. Phil. (2, 15) : *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Officium eorum erit preesse et diuidere et quilibet eorum uult preesse, uult preferri collegio, uel in papam sicut collegium cardinalium, uel in episcopum sicut collegium canonicorum, uel in abbatem, priorem |147va| seu alium officialem uel religiosorum quia sicut quilibet uult preesse, inde est quod ipsi totum

<sup>1</sup> Maria *finis sermonis in B*.

collegium ponunt in diuisione et dissensione et per consequens in desolatione et dissipatione, quia *omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur* etc. (Luc. 11, 17). Et adhuc frequenter contingit Domino ordinante uel saltem permittente, quod neuter ipsorum preferatur set dicunt (III Reg. 3, 26) : *nec mihi nec tibi set diuidatur*.

Reuerto ad propositum quia quantam differentiam uideo inter diem naturalem et artificialem, eandem inuenio inter tempus nostrum et eternitatem. Tempus enim presentis uite sicut dies naturalis habet alternationem tenebrarum culpe et lucis gratie, et utinam in climate nostro esset equinoctium saltem set, quod nimis dolendum [est], apud nos sunt longe maiores et longiores tenebre culpe quam sit lux gratie. *Ve uobis* dicit Je. (6, 4) *quia declinauit dies quia longiores facte sunt umbre uesperis*. Ymmo plus dicit Amos propheta (5, 18) : *dies Domini ista tenebre et non lux*. Item sicut dies naturalis [habet in se] diuisionem, oppositionem, alternationem, ita totum [tempus] uite presentis est [tempus] dissensionis, oppositionis, alternationis. Scriptura in Job. (38, 23) : bene uocat tempus uite presentis *diem pugne et belli*, et in 4 Reg. (19, 3) dicitur : *dies increpationis tribulationis et blasphemee dies iste*. Set econtra eternitas sicut dies artificialis non habet in se alternationem tenebrarum et lucis, ymmo perpetua lux est. *Ibi erit Dominus in lucem sempiternam*, dicit Ysa. (60, 19). Item in die artificiali non est diuisio, oppositio uel alternatio [147vb] set unio pacis et concordia consolationis. *Hec est ergo dies quam fecit Dominus exultemus et letamur in ea* (Ps. 117, 24). Ecce concordia unionis. Modo ulterius a ministerio quod de ualde multis luminaribus quod Deus olim *posuit in firmamento celi* ut preessent diei naturali, sol luminare maius scilicet preesse diei artificiali, omnia alia presunt nocti. Ita dicit Ps. (135, 7-9) : *fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis*. Illud dubito ne sit pronosticum quod de multis qui presunt in uita presenti, que est dies naturalis, ualde pauci preesse debeant in eternitate<sup>1</sup>. Unde dixit semel quidam prelatus<sup>2</sup> : « Si non fuisset de numero prelatorum, non fuisset de numero dampnatorum. » Qui presunt in uita presenti, ipsi presunt nocti. *Mundi rectores*, dicitur Christus princeps, *tenebrarum harum* (Eph. 6, 12). Item non uacat a ministerio quod sol qui solus preest diei artificiali, per totam noctem naturalis diei uidetur esse absconditus sub pedibus nostris ; terminata<sup>3</sup> nocte, tunc ipse solus incipit preesse diei. Alia tunc non comparent in firmamento celi. Illud non dubito quin sit certum signum quod soli illi qui in nocte diei naturalis, id est uite presentis, sunt per ueram humilitatem pedibus aliorum subiecti, soli ipsi preerunt eternitati. Propter hoc dicit Augustinus<sup>4</sup> in Speculo clericorum : « Honore coram uobis prelatus sit uobis, time coram Deo substratus sit sub pedibus uestris. » Et [148ra] Saluator in Luca (22, 26) : *qui maior est nostrum fiat sicut minor et qui precessor*

<sup>1</sup> in eternitate] eterniti P.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> terminata] terminate P.

<sup>4</sup> Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, VII, 3 (L. Verheijen, 1967, p. 436).

*est sicut ministrator.* Ideo dicit Crisostomus<sup>1</sup> : « Quicumque desiderat primatum celestem sequatur humilitatem terrestrem. Non enim qui maior est in honore, ille maior est in celo, set qui potior, ille maior. » De omnibus predictis recolligo solum duo. Primum quod qualis est distinctio inter diem naturalem et diem artificialem, talis est differentia inter presens tempus et eternitatem, secundum quod solum luminare maius quod durante nocte dies naturalis uidetur absconditus sub pedibus nostris, solum illud preest terminata nocte diei artificialis. Ex istis concludo quod luminare maius, quod unquam Deus posuit in firmamento celi ecclesie militantis, est Maria illuminata et illuminatrix<sup>2</sup>. Durante nocte diei naturalis, id est uite presentis, non prefuit per electionem set pedibus omnium subiecta per humilitatem. Inde est quod ipsa hodie terminata nocte uite presentis, que est dies naturalis, diuisionis et dissensionis, prelata est dies eternitatis, que est dies artificialis pacis et unionis. Hoc dicunt uerba proposita : *in hac die tua que ad pacem tibi.* Videtur uelle dicere : dies preterita diuisionis tua non fuit, illi non prefuisti. Dicit Gregorius<sup>3</sup>, libro VI Moralium, quod « electis uita presens tempus est alienum set eternitatis que est dies unionis et pacis dies tua est. » Cui debet attribui tamquam presidenti, ergo *in hac die tua* etc. Notantur hic tria mirabilia que contigerunt in morte Virginis gloriose, [148rb] primo soli occidenti lumen propositum incepit adesse, *in hac die tua*, secundo sibi morienti quicquid est nociuum desiit obesse, *que ad pacem*, tertio debitum soluenti cinus, *proficium* incipit prodesse *tibi*.

[I] De primo nota quod secundum communem cursum nature dies ab oriente incipit, in meridie proficitur et in occidente deficit. Unde totum tempus precedens ortum solis et sequens occasum est tempus noctis. Esset ergo mirabile et contra cursum solitum nature si ante lucis ortum esset clara dies, et eque mirabile si post lucis ortum uel in ipso occasu esset meridies. Hec tamen duo mirabilia futura predixerat Ysa. (58, 10) : *oriatur inquit in tenebris lux tua*, quantum ad primum, *et tenebre tue erunt sicut meridies*, quantum ad secundum. Et hec duo prophetica sunt morti et morte Virginis adimpleta. Punctus enim orientis est hora natiuitatis, punctus occidentis est hora mortis. Cum igitur Maria interpretatur illuminata uel illuminatrix<sup>4</sup>, natiuitas Marie est lucis ortus et mors eius est lucis occasus. Modo secundum cursum communem nature tempus precedens ortum, id est natiuitatem hominis, est tempus mortis, id est tenebrarum culpe originalis, unde Job (3, 3) horam ortus sui uocat diem et horam conceptus uocat noctem : *pereat dies in qua natus sum et nox in qua dictum est conceptus est homo.* Set hoc singulare fuit in Maria et supra cursum nature quod ipsa ante punctum orientis fuit diei gratie restituta et a tenebris culpe originalis [148va] purgata, in Gen. (1, 4-5) : *uidit Deus lucem quod esset bona et diuisit eam a tenebris appellauitque lucem diem.* Item secundo lex ista Maria, in puncto occidentis, hora mortis, statim fuit diei glorie prelata, que dies glorie est sicut

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Honor K (Crisostomus super Mattheum) ; ps.-Iohannes Crisostomus, *Opus imperfectum. In euangelium Matthaiei*, 25 (PG 56, 830).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>3</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, VI, 237 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 332).

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

meridies clara respectu diei gratie que est lux matutina, quia *sicut lux meridiana clara est*, Ys. XVIII (4). Ecce quomodo occidenti lumen perpetuum incepit adesse ut intelligamus de luce ista uerbum quod scribitur in Actibus apostolorum (22, 6) : *media die subito circumfulsit de celo lux copiosa*. In qua auctoritate tanguntur quatuor conditiones lucis diurne que proprie conueniunt uirgini Marie. Lux enim diurna primo habet in aspectu claritatem, *media die*, secundo in motu celeritatem<sup>1</sup>, *subito*, tertio in situ sublimitatem, *de celo*, quarto in figura rotunditatem, *circumfulsit*, circulariter effulsit.

[a] De primo nota quod sunt quedam noctiluca sicut uermiculi, quedam putredines quercuum et talia que quando de nocte uidentur frequenter fallunt homines. Apparent enim pulcra et lucida set si in luce diei aspiciantur, non lucent, deprehenduntur esse uilia ita quod lux diei propter suam claritatem superat noctiluca, detegit et demonstrat apparenter lucentia. Hanc enim lucis proprietatem habet et habuit luminare diei in Maria, in Job (25, 6) dicitur : *homo putredo est et filius hominis uermis*, ergo lux fallax et apparens, pulcritudo uermis et putredinis est pulcra facies mulieris. *Fallax gratia et uana pulcritudo* in Prou. (31, 30). Bene fallax quia aspicientes fallit et ad peccatum inducit. Ecc. (Eccli. 9, 11) : *speciem mulieris aliene multi admirati reprobi facti sunt*. Ideo consulit Sap. ibidem (Eccli. 9, 8) : *auerte faciem tuam a muliere compta et ne circumspicias speciem alienam*. Sic habemus lucem nocturnam falsam et apparentem set lux diuina que hanc falsitatem superat, detegit et demonstrat in Maria, de qua legimus quod dum adhuc uiueret in corpore, relucebat in eius faciem pulcritudo quedam talis et tante uirtutis quod quicumque temptatus de peccato carnis, deceptus propter aspectum false lucis pulcritudinis mulieris respexisset eam in facie, recedebat ab eo temptatio illius peccati ; nec dubito adhuc hodie, quando non possumus eam uidere oculo corporali, quod qui deuote respiceret eam oculo mentali, auxilio eius posset superare temptationem cuiuslibet peccati. Ex quo apparet responsio ad questionem ad quam proponit Sap. in Ecclesiastico (33, 7) : *quare dies diem superat et lux lucem* quia lux diurna Maria superat lucem apparentem. Figuram ad hoc habemus in Gen. (3, 5) ubi legitur quod serpens, ymmo dyabolus in serpente, accessit ad mulierem spiritu superbie decipiendam et dixit : *in quocumque die comederitis ex eo eritis sicut dii*. Modo dicunt glose<sup>2</sup> et sancti quod dyabolus, ut facilius eam deciperet, situauit super faciem serpentis caput uel faciem pulcre mulieris. Et nota ibi Gregorius<sup>3</sup> quod ex tunc inceperunt esse uenenosa capita mulierum [149ra] cum caput mulieris fuit positum super caput serpentis. Huic serpenti finaliter dictum fuit in Gen. (3, 15) : *inimicitias ponam inter te et mulierem ipsa conteret caput tuum*. Quod fecit tunc serpens antiquitus temptans hominem uisibiliter, hoc facit cotidie temptans eum inuisibiliter. Semper enim illi quem temptat ostendit aliquam faciem pulcram boni apparentiam sicut tunc fecit (Gen. 3, 5) : *in quocumque die comederitis ex eo eritis sicut dii*. Ecce lux apparens quam ipse pretendit. Ideo dicit Apostolus (II Cor. 11, 14) quod *ipse Sathanas transfiguratur se in angelum lucis*. Unde qui uellet eius

<sup>1</sup> celeritatem] sceleritatem P.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> Non inueni.



fallaciam euitare deberet facere sicut fecit Moyses in Ex. (4, 4) : qui accepit colubrum per *caudam* et statim *conuersa est in uirgam*. Serpens iste uel coluber habet caput et habet caudam. Caput initium peccati est suggestio delectationis, cauda est sequela peccati, mors inferni. *Stipendia peccati mors* (Rom. 6, 23). Ergo si uis quod coluber temptationis uersatur in uirgam correctionis, non accipias caput serpentis, non acceptes delectationem pulchram faciem quam pretendit set accipias caudam, consideres finem peccati sequelam. Sap. (Eccli. 7, 40) : *in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua et in eternum non peccabis*. Dicitur<sup>1</sup> quod sputum hominis ieiuni proiectum super caput uel faciem serpentis interficit ipsum. Sic spiritualiter quando sentis serpentem adesse, spuas ei statim in [149rb] facie, contempnas delectationem quam pretendit et sic poteris eum interficere, quod non potes uirtute propria quia forte temptatio est nimis uehemens. Recurras ad mulierem de qua dictum est serpenti (Gen. 3, 15) : *ipsa conteret caput tuum*. Illa est Maria cuius auxilio poteris temptationem peccati cuiuslibet superare. Hec est cui Ps. (73, 14 ; 16) dicit : *tu confregisti capita draconum*. Sequitur : *tuus est dies et tua est nox*. Tuus, inquam, est dies gratie et glorie per appropriationem, set tua est nox culpe quantum ad totalem eius expulsionem.

[b] De secundo nota quod habet celeritatem<sup>2</sup> in motu, *subito*. Inter omnes qualitates corporeas lux est illa que magis se diffundit. Ad presentiam enim ignis calefacientis non statim tota aqua uel totus aer calefit, set paulatue et pars post partem in calore proficit. Set lux ad presentiam solis statim sine mora ab oriente in occidentem<sup>3</sup> se diffundit. Ratio est quia, excepta luce, quelibet qualitas corporea habet aliam contrariam sibi que retardat introductionem in susceptibili, sicut calor in aqua inuenit frigiditatem que sibi resistit, et est regula generalis quod quanto uirtus unius qualitatis est fortior et magis dominatur alteri opposite sibi, tanto amplius motum eius retardat et impedit. Lux autem in aere qualitatem sibi contrariam non inuenit et ideo sine mora per totum aerem se diffundit. Sic spiritualiter excepta uirgine Maria [149va] omnis creatura uiuens in corpore et utens ratione inuenit in se contrarietatem quamdam et rebellionem carnis ad spiritum. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem* (Gal. 5, 17). *Sentio aliam legem*, dicit Apostolus (Rom. 7, 23), *repugnantem legi mentis mee*. Propter hanc contrarietatem carnis ad spiritum, spiritus retardatur a motu quo tendere debet in Deum. Non enim dicit Apostolus (Rom. 7, 19) : *quod uolo bonum, hoc ago, set quod nolo malum, hoc facio*. Et est regula generalis quod quanto caro maius dominium habet supra spiritum, tanto magis retardat eum a motu in Deum. Inde est quod spiritualiter illud quod est ab oriente in occidens, id est a natiuitate usque ad mortem, nullus potest prompte transire quin impediatur a motu in Deum et retardetur per peccatum aliquod mortale uel ueniale. Dicit Augustinus<sup>4</sup> : « Excepta uirgine Maria, si omnes sancti et sancte, dum adhuc uiuerent, interrogati fuissent utrum sine peccato essent, omnes una uoce clamarent : *si dixerimus quod peccatum non*

<sup>1</sup> Ambrosius Mediolanensis, *Exameron*, dies 6, 4, 28 (C. Schenkl, CSEL 32/1, 1897, p. 223).

<sup>2</sup> celeritatem] sceleritatem P.

<sup>3</sup> occidentem] occidens P.

<sup>4</sup> Augustinus Hipponensis, *De natura et gratia*, XXXVI, 42, (C.F. Urba, J. Zycha, CSEL 60, 1913, p. 264).

*habemus, ipsi nos seducimus et ueritas in nobis non est* (I Jo. 1, 8). » Set beata Virgo istam contrarietatem in se non sensit. Ideo totum spatium uite ab oriente in occidens sine alicuius culpe uel negligentie tarditate transiuit. *Quantum distat ortus ab occidente longe fecit a nobis iniquitates nostras* (Ps. 102, 12). Ecce ergo lux diei que spatium ab oriente in occidens, a natiuitate usque ad mortem, sine motu pertransiuit, et quia mortis nexibus |149vb| deprimi non potuit, ideo dicitur in Job (24, 17) : *si subito apparuit aurora arbitrantur umbram mortis*.

[c] Tertio lux habet sublimitatem<sup>1</sup> in situ, *de celo*. Ad litteram lux cumque ad horam transeat super terram, irradiet eam, in terra cum mansionem non figit set radios suos ad se retrahit, quia propria lucis residentia est in celis. *Ego feci in celis ut oriretur lumen indeficiens*, Ecc. XXIII (Eccli. 24, 6). In hoc habuit bene Maria conditionem lucis quia etsi corpore in terra degebat, mente tamen in celestibus habitabat ut posset dicere illud Ysa. (66, 1) : *celum mihi sedes est terra autem scabellum pedum meorum*. Homo autem utitur scabello solum pro sustentatione tibiarum uel pedum, totum residuum corporis sustentatur in solio. Tibie autem quibus corpus hominis sustentantur sunt duo quibus homo in hac uita sufficienter sustentetur, scilicet uictus et uestitus. *Habentes alimenta et quibus tegamur hiis contenti sumus* (I Tim. 6, 8). Ille ergo habet terram solum pro scabello qui hominis terrenis solum utitur ad ista duo quod precipue debent facere clerici, qui in bonis ecclesiasticis non habent nisi solum uictum et uestitum. Set heu hodie clerici de solio celesti corruerunt in terram. *Statue nobiles in terram corruent*, in Eze. (26, 11). Corruent id est cito corde ruent. Dicit bene *statue nobiles* : nobilitas antiquorum apostolorum et discipulorum, quorum statue sunt clerici et quorum effigiem et typum |150ra| se tenere gloriantur, fuit terrena deserere et in celestibus habitare. *Nostra conuersatio in celis est* (Phil. 3, 20). Set hodie multum degenerant clerici ab hac antiqua nobilitate : statua et homo uiuus cuius est statua se habent sicut excedentia et excessa. Licet enim statua incomparabiliter excedatur ab homine uiuo in ualore interiori, tamen statua hominem uiuum excedit indeaurata et apparatu exteriori. Sic etc. figura in Dan. (3, 1) ubi dicitur quod *rex Nabugodonosor* qui interpretatur<sup>2</sup> sedens in angustia agnita, ille est Constantinus agnoscens angustiam et paupertatem primitiue ecclesie, *fecit statuam LX cubitorum altitudinis set sex cubitorum latitudinis* quia tantum fecit in deaurando istas statuas quod hodie in decupla proportione, et utinam non plus excedit altitudo uanitatis latitudinem ualoris.

[d] Quarto lux diei habet in figura rotunditatem, *circumfulsit*, circulanter effulsit. Quanto radii solares magis elongantur a sole, tanto magis sparguntur et diuiduntur et per consequens minorem faciunt claritatem, set quanto soli magis appropinquant sunt magis uniti. Unde iuxta solem ubi omnes radii sunt uniti, faciunt unam maximam claritatem ad modum corone uel circuli et uocatur hec rota solis. Spiritualiter radii procedentes a sole non minuunt claritatem set manifestant eam. Ita bonitates et perfectiones a Deo collate sunt ad manifestationem, non ad |150rb| diminutionem bonitatis diuine.

<sup>1</sup> sublimitatem] subtilitatem P.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 117.

Non est ita quod quanto creature magis elongantur a Deo in regione dissensionis, tanto radii perfectionum minus uniuntur in eis, et econtra quanto magis appropinquant, tanto predicti radii in eis magis inueniuntur uniti, sicut apparet in homine ubi sunt unite perfectiones multe, esse, uiuere, sentire et intelligere, que in aliis sunt disperse. Si ergo inueniretur aliqua creatura ita propinqua soli quod in ea essent radii omnes uniti, illa haberet in se coronam uel circulum illum luminosum quem uocamus coronam sanctorum. Ista fuit Maria que in utero suo habuit illum in quo sunt uniti omnes radii perfectionum. Et ideo ipsa sola circumfulsit, circulum luminosum fecit : *gyrum celi circuiui sola* (Eccli. 24, 8). Antea enim Dominus erat circulus quidam mathematicus cuius centrum ubique et circumferentia nusquam. Set in utero Marie factus est circulus naturalis sensibili materie applicatus. In signum huius legimus<sup>1</sup> quod Sibilla prophetissa in die Natiuitatis dominice uidit circa solem circulum quemdam aureum et in medio circuli ymaginem pulcherrimam tenentem puerum in gremio etc. Habet ergo Maria proprietatem lucis scilicet in figura rotunditatem circumfulsit. Figura in Luc. (2, 8-9) ubi dicitur quod *pastores erant uigilantes* etc. Sequitur : *et claritas Dei circumfulsit illos*. Non expono plus nisi quod claritas ista, que circumfulsit pastores uigilantes, est illa corona uel circulus luminosus de quo cantamus<sup>2</sup> quod « promisit coronam uigilantibus ». Ad quam nos perducit.

<sup>1</sup> Iacobus de Voragine, *Legenda aurea*, Natiuitas Domini, p. 69.

<sup>2</sup> CAO, 3, 1110 (1 dim. Quadrag.).

## SERMON 65

Assomption.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 150va-151rb ; Toulouse, Bibl. mun. 338, f. 120rb-122rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 185v-186r.

Plan : cf. sermon 64.

[III] F. 150va : de secundo principali in collatione dicebatur quod sibi morienti quicquid est nocuum desiit obesse, *que ad pacem* (Luc. 19, 42). Si esset castrum unum taliter munitum quod hostes non possent ad castrum personaliter accedere nec eum lapidibus ingenio proiectis castrum ledere uel tangere, habitans in tali castro esset in bona pace, posset bene secure quiescere. Et econtra habitans in castro cui cotidie fient insultus, male posset dormire securus. Castrum nostrum, terrenum habitaculum in quo modo sumus cotidie, patitur duplicem insultum, unum a malo culpe, alium a malo pene.

Primus insultus a malo culpe est insultus hostium nos letali gladio culpe ferientium. *In gladio morientur omnes peccatores populi mei qui dicunt non appropinquaberis et non ueniet super nos malum*, Amos (9, 10). Hostes qui faciunt hunc insultum sunt tres : mundus, caro, demonia. Diuersa mouent prelia figurati per illas tres lanceas quibus Absalon transfixus est a Joab. Ille tres lancee *sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia uite* (I Jo. 2, 16).

Secundus insultus a malo pene est insultus lapidum muros castrum nostri frangentium. Lapis enim dicitur quasi ledens pedem, igitur sequendo ethymologiam<sup>1</sup> nominis lapides quibus parietes castrum nostri franguntur sunt mala pene quibus corpus leditur. De lapide dicitur in Luca (Mt. 21, 44) : *qui ceciderit super lapidem istum conquassabitur super quem ceciderit conteret eum*. Et certe insultus ille multum inuoluit. Hodie uidetis bene quomodo passim parietes nostri, quomodo passim homines moriuntur. Ego miror in ueritate quomodo aliquis audet secure dormire quia *cum dixerit pax et securitas, tunc repentinus superueniet interitus*, prima Thess. (5, 3). Set quale remedium possumus hic adhibere contra fracturam murorum ? Ego non uideo bonum nisi unum : homines obsessi in castro, timentes insultum lapidum et destructionem murorum, exponunt se bello formosi et hostes inuadunt, si possunt hostem uincere, de cetero non habent timere insultum lapidum nec destructionem murorum. Sic uere spiritualiter credo si fortiter dimicaremus contra hostes nostros, mundum, carnem et dyabolum, quod non esset tanta mortalitas sicut modo est nec tot infirmitates. In Ecclesiastico (32, 25) dicitur : *in uia ruine id est peccati, non eas et non offendes lapides*. Ad minus certus sum quod qui posset insultum hostium superare, uincere malum culpe, non deberet timere insultum lapidum, ymmo gaudere deberet si sustineret hic aliqua mala pene. *Placuerunt seruis tuis lapides eius*, dicit Ps. (101, 15). Habeo ergo quod castrum nostrum, terrenum habitaculum, quod patitur cotidie duplicem insultum hostium, non est bene pacificum. *In mundo pressuram habebitis*, dicit Christus (Jo. 16, 33), *in* |151ra|

<sup>1</sup> Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum siue originum libri XX*, XVI, 3, 1.

*me autem pacem.* Set castrum celeste, habitaculum Marie est ualde pacificum, quia habitantes ibi non habent insultum hostium, id est mali culpe, cum sint impeccabiles, nec timent insultum lapidum, id est mali pene, cum sint immortales et impassibiles. Ita cantamus<sup>1</sup> : « Nec langor hic nec senium nec fraus nec terror. » Ideo bene dixi quod sibi morienti, et per consequens celeste habitaculum intranti quicquid est nociuum desiit obesse.

Hic enim dicitur quod ipsa nec affligitur lesione penali ut intelligamus sibi dictum illud Job V (23-24) : *cum lapidibus regionis pactum tuum et bestie terre pacifice erunt tibi et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* In qua auctoritate notantur tria, ex quibus apparet manifeste quod sibi morienti quicquid est nociuum desiit obesse. Hic enim dicitur quod ipsa nec affligitur lesione penali, *cum lapidibus regionis pactum tuum*, nec inficitur contagione carnali seu brutali, *et bestie terre pacifice erunt tibi*, nec inuaditur impugnatione mentali, *et scies quid pacem* etc.

De primo nota quod cum sint duo genera lapidum, quidam pretiosi et illi sunt leues, ad portandum faciles, alii ponderosi, non pretiosi et ad portandum difficiles, miser reputaretur ille qui refutaret lapides pretiosos et eligeret lapides ponderosos. Ulterius est sciendum quod lapides, id est lesiones penales, inueniuntur solum in duplici regione, primo quidem in regione hominum, hoc est regio Gerasenorum de qua fit |151rb| mentio in Luca (8, 37). Geraseni enim interpretantur<sup>2</sup> coloni uel incole mei uel peregrinationes mee, et in hac regione nos omnes sumus peregrini et incole. Incola *ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres mei.*

Secundo in regione demonium que est regio umbre mortis de qua dicitur in Ys. (Job 28, 13) : in regione autem angelorum *non inuenitur in terra suauiter uiuentium.* Modo lapides regionis hominum differunt multum a lapidibus regionis demonium, 2 Cor. 4 (17), *id quod in presenti.*

<sup>1</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 140.

**SERMON 66**

Saint Augustin.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 151rb-153rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 40rb-42ra.

Plan :

Thème – Comment l’homme peut sortir de son vil statut. Exemple d’Augustin. Il rendit grâce à Dieu :

I – d’ avoir abandonné le siècle

II – d’ avoir échappé au danger

III – d’ avoir reçu une noble mission

F. 151rb : *Exaltas me de portis mortis ut annuntiem* in Ps. (9, 15).

[Thème] Inter uitia que uilem reddunt hominem, ingratitude uidetur optinere locum unum et si alia gratiam tollunt, hoc tamen ab ingratitude diffamatur, unde et nomen accepit. Quod enim aliquis<sup>1</sup> educatur de statu uili et periculo, *de portis mortis*, et ad statum honorabilem exaltetur et officium gratum ei committatur, cuius est annuntiare, et ipse non reddat gratiarum actiones, nimis reddat eum reprehensibilem et facit quod illud quod habet auferatur et nihil aliud ei detur, unde dignus est depositione et indignus alterius collatione. Beatus Augustinus diu fuit in statu uili et tenebroso quando inuenit se. Augustinus<sup>2</sup> : « Longe esse a Deo in regione dissimilitudinis », hoc est regio umbre mortis. Qui enim longe est a Deo, prope est mortem, scilicet in ianuis. Deus autem eum uocauit ad statum honorabilem ut etiam esset de mensa sua, sicut ipse confitetur quando audiuit [151va] uocem Dei de excelso etc. Ubi uoluit quod cresceret in spiritualibus. Quid est melior fieri quam<sup>3</sup> in spiritualibus, hoc est magnum esse quod bonum est et maius esse quod melius est ? Ei etiam officium gratiosum commisit scilicet docere et annuntiare, propter quod beatus Valerius ordinator eius exultabat uberius hominem, igitur talem dant diuinitus qui in doctrina sacra edificare ecclesiam esset ydoneus<sup>4</sup>. Qui non immemor tante gratie, uolens de causa uitio reprehendi, gratias agit dicens : *exaltas me* etc. Sic qui uolunt eo pane qui ei fuit promissus satiari, qui de *portis mortis*, id est de mundo, sunt uocati, qui ad tantum officium sunt uocati, gratias debent reddere Deo et ei regratiari. Agit autem gratias de tribus : de subplantatione presentis seculi, *exaltas me*, de euasione tanti periculi, *de portis mortis*, de collatione nobilis tituli, *ut annuntiem*. De ceo<sup>5</sup> que il le voucit souffrir<sup>6</sup> siecle essaurier, de ceo<sup>7</sup> que il le voucit de grant peril sachier, de ceo<sup>8</sup> que il li bailla office de annoncer et prehier.

<sup>1</sup> aliquis] aliquid B.

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, VII, 10 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 103).

<sup>3</sup> quam] quia P.

<sup>4</sup> Cf. *lectionnaire dominicain*, II, p. 311.

<sup>5</sup> ceo] ceu B.

<sup>6</sup> voucit souffrir] vout sufres B.

<sup>7</sup> ceo] ceu B.

<sup>8</sup> ceo] ceu B.

[I] Circa primum nota quod<sup>1</sup> solus ille exaltandus est qui est super seculi<sup>2</sup> affectum, nam monstrum est esse in alto statu et ducere uitam infirmam. Hic autem affectione erat super mundum in tantum quod uilescebat mundus iste inter uerba cum delectationibus suis, quando loquens cum matre sua posuit os cordis in celum et displicebat ei quicquid agebat in seculo. Existens enim in seculo et habens respectum undique, non potest bene iudicare [151vb] de eo. Set qui supra ipsum est, sicut qui est in monte bene uidet ciuitatem, qui autem circumdatur ea non potest iudicare de ea. Qui autem supra mundum est, iudicare potest quod totus ignis est, quia *totus mundus in maligno positus est* (I Jo. 5, 19), id est in malo igne. Eius enim affectus erat immutatus acuto sapore celestium, ideo non percutiebat mundana. Sic est de gustu sensibili, unde post acetum non bene sapit uinum. Eccli. XV (3) : *cibauit illum Dominus pane uite et intellectus et aqua sapientie salutaris potauit illum*. Duo sunt que ab alto statu cadere faciunt et que non permittunt quod homo non faciat<sup>3</sup> ea que requirit status ille, scilicet pusillanimitas ad aggrediendum ardua et cupiditas male inflammata tendens ad yma contraria flamme naturali. Set quia *panis cor hominis confirmat* (Ps. 103, 15), ideo cibatur Dominus hominem spirituali refectione, quando in domo eius habitat in contemplatione, et quia aqua extinguit ignem, ideo portat eum *aqua sapientie salutaris* (Eccli. 15, 3). *Qui biberit ex aqua hac quam ego do ei fiet in eo fons aque salientis in uita eterna*, Jo. (4, 13-14). Hec aqua recepta in ingenio eleuat usque ad fontem a quo oritur (Eccli. 1, 5) *fons sapientie uerbum Dei in excelsis*. Aqua enim fontis oriendo ascendit propter quam iste exaltatus fuit (Ps. 109, 7) : *de torrente in uia bibit propterea et exaltauit caput*. Bonus equus, quando bibit, leuat caput ; [152ra] ille autem tantum habuit de isto cibo et<sup>4</sup> de isto potu quod reliquias magnas nobis misit. Nam de uerbo Saluatoris dulcem panem conficit et propinat potum uite qui<sup>5</sup> firmitatem includit et transitum excludit. Ideo sequitur (Eccli. 15, 3) : *firmabitur in illo et non flectetur*. Firmari debet cor hominis in Deo claue amoris que ita intime uenit quod unum facit quia (I Cor. 6, 17) *qui adheret Deo unus spiritus est*, ut iam gressus amor carnalium<sup>6</sup> super intrare non possit. Si enim disiungeretur, uacillaret hinc inde et esset in periculo casus. Qui tanto esset grauior, quanto status altior. Set ecce *confirmatum est cor eius, non commouebitur* etc. usque : *cornu eius exaltabitur in gloria* (Ps. 111, 8-9). Quanto autem homo altiori statu [est], tanto magis apparet, ideo defectus sui magis confundunt eum, set sequitur (Eccli. 15, 4) : *continebit illum et non confundetur*. Sic enim debent se continere ut non confundantur, alioquin quanto altiores, tanto eorum uita a pluribus quasi cantaretur. Boni autem *non confundentur in tempore malo quia peccatores peribunt ; inimici uero Domini mox ut honorificati fuerunt et exaltati deficient quemadmodum fumus deficiens* (Ps. 36, 19-20) qui deficitur<sup>7</sup> fetendo, set isti peccatores<sup>1</sup> infamie reddunt enim totum aerem

<sup>1</sup> quod om. B.

<sup>2</sup> seculi] seculum P, B.

<sup>3</sup> faciat] facit P.

<sup>4</sup> et om. P.

<sup>5</sup> qui] de nectare status que B.

<sup>6</sup> carnalium] corporalium B.

<sup>7</sup> deficitur] deficit B.

fetidum nomine suo. Qui autem se irreprehensibiliter custodet potest incedere capite eleuato, unde sequitur (Eccli. 15, 4) : *et exaltabit illum apud proximos suos*. Inter homines exaltatus est quia adeptus est gloriam in conuersatione gentis [152rb], unde et episcopus sic inter angelos etiam, unde (I) Mach. XI (26) : *exaltauit eum in conspectu amicorum*.

[II] Circa secundum nota quod sapiens errores in principiis cauet quia maxime insuper principium, id est quasi ianua mortis est lata uita, ideo ab illa reuocat Deus. Malum signum est quod ostium domus sit semper apertum, apparet quod nullum bonum est intus, set bona domus habet custodem in porta et artus est ingressus, ideo contendite intrare *per angustam portam* etc. quia *lata est uia* etc. (Mt. 7, 13). Hec semper artatur et in fine uenitur ad punctum post quem non est plus de linea uite. Via autem bona arta [est] in principio et semper dilatatur, sicut ponit Augustinus<sup>2</sup> exemplum in libro de quantitate anime de illo qui cepit portare uitulum qui dum crescebat, crescebat humilitas in portante et ita breuiter portabat taurum sicut portare solebat uitulum. Tandem ducit ad latitudinem celi de centro terre, set mali de circumferentia ad centrum punctale descendunt. Hanc uiam ostendit dextera que est bona manus et ducit ad exaltationem sanctorum et declinare facit mortem, dextera Dei reuocat a tali deuoio antequam mors secuta fuerit. Non enim dignatur Deus quicquam coronare nisi in manu dextera. In Ps. (117, 16-17) : *dextera Domini fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar set uiuam et narrabo opera Domini* etc. Qui exaltantur in mundo, exaltantur ad sinistram ; qui autem a Deo ad dexteram quia *longitudo dierum in dextera illius et in [152va] sinistra illius diuitie et gloria* in Prou. (3, 16). Pauperes autem ad dexteram exaltantur. *Glorietur frater humilis in exaltatione sua*, Ja. (1, 9). Isti sunt qui omnia uendiderunt et in scola Christi student ut ad dignitatem celi exaltentur<sup>3</sup>. Ideo ponunt se ad dexteram cum pauperibus quibus promisit Dei filius qui est dextera. *Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua* (Ps. 88, 14). Existentes in malo passu tendunt manum ad illum qui primus transiuit illesus. Vita huius uite lubrica est in tantum quod nullus impollutus potest transire quin uacillet. Non potest homo tenere se super pedes, ymmo ille qui se tenet rectius quam potest cadit. *Septies in die cadet iustus* (Prou. 24, 16) saltem uenialiter ; Christus autem, qui illesus et mundus transiuit, tendit manum sue uirtutis. Ergo habemus corda cum manibus ad eum ut nos trahat ad se ne defluamus. *Exaltasti super terram habitationem meam et pro morte defluente deprecatus sum* in Ecclesiastico ultimo capitulo (51, 13). Hec est mors culpe que deorsum defluit. Ex quo pes est eleuatus a terra, ducit nos quo uult sicut patet de luctantibus, de periculo sic ereptus debet narrare opera eius qui eum erexit. Plus autem ualet unum uerbum in ore unius uiri qui est in alto statu quam mille in ore unius miseri. Ideo sic exaltatus aptus est ad narrandum set dicit opera quasi diceret : uox fit in ore et opus in manu, si sibi concordant, quando uox sonat sicut manus instrumentum musicum tan[152vb]git. Turpe est seruo quod sit otiosus et dominus mittit manum ad opus. *Cepit Jhesus facere*

<sup>1</sup> peccatores] perfectorem P.

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *De quantitate anime*, XXI, 36-37 (W. Hörmann, CSEL 89, 1986, p. 176).

<sup>3</sup> exaltentur] exaltantur P.



*et docere* (Act. 1, 1). Quod auertens iste manu lingua fabrefecit in terris et domum non manufactam accepit in celis in qua exaltatus est. *Celi igitur enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat* etc. (Ps. 18, 2) quia *sicut exaltantur celi a terra* in Ysa. (55, 9). Et iterum (Is. 52, 13) : *exaltabimur et eleuabimur et sublimis erit ualde*.

[III] Circa tertium nota quod annuntiare est officium angeli et ideo qui annuntiant debent scire consilia Dei contenta in<sup>1</sup> Scriptura ; ipsi enim nuntii ore de bouche. Ideo necessarius est spiritus consilii qui reuelet et cum hoc studium ut faciat homo quod in se est. Hinc autem est quod cecus<sup>2</sup> apostolorum et prophetarum plenus spiritu que predixerunt multa fecit nobis preuia, studebat etiam querendo in Scriptura diuina consilia nec satiabatur illis diebus dulcedine mira, nam uiuus ore, mortuus scripto annuntiat salutem ad confusionem malorum exaltatio iustorum. In Ps. (74, 10) : *ego autem annuntiabo in seculum cantabo Deo Jacob*, scilicet duo que in nobis sunt. Ut otium fugiamus, duo habemus officia quia scientiam intellectus docet annuntiatio, amorem affectus docet cantus, cantare enim amantis est, set cauendum ne propter defectum ministri ministerium contempnatur, unde quia portamus rumores salutis, salutis signa preferre debemus. *Annuntiauerunt celi iustitiam eius* (Ps. 96, 6). Propter quam ni|153ra|mis exaltatus est super omnes deos. Aliud ostium<sup>3</sup> habebat iste qui « flebat uberrime in ympnis suaue » etc. Nec mirum si cantabat quia « uulnerauerat caritas Christi cor eius<sup>4</sup>. » Propter talem cantum apud Deum exaltantur homines, sicut etiam aliquando clericus propter cantum exaltatur in mundo. Ergo (Ps. 88, 16-17) : *beatus populus qui scit iubilationem* etc. usque : *in iustitia tua exaltabuntur*. Sequitur (Ps. 74, 11) : *omnia cornua peccatorum confringam* in capite, scilicet in anima super duo cornua, ratio et uoluntas, quorum primum erigit peccator errorem suum tenendo, qui tale sustinet aliquod falsum quod ducit et ostendit sa couardie et uidetur<sup>5</sup> ostendere sua cornua. Aliud erigit Deo non obediendum et eum a se repellendo, quorum utrumque frangebatur primum per doctrinam sapientie elationem uero exemplo humilitatis sue. Igitur *humiliamini sub potenti manu Dei ut uos exaltaret* (I Pe. 5, 6), nam *sapientia humiliati et exaltabit caput illius*, Prou. (Eccli. 11, 1). Ps. (74, 5) : *dixi iniquis nolite inique agere et delinquentibus nolite exaltare cornu* etc. usque *uestrum*. Econtrario iustus sua cornua contra peccatum erigit, rationem quidem et errorem fugiendo et uoluntatem non acceptando delectationem oblatam. Set aliqui sunt sicut agnus qui dum est in lacte sequitur matrem semper propter lac nec tunc habet cornua. Sic qui querunt dulcedinem delectationum non utuntur hiis cornibus. Nos autem qui sumus separati a lacte tali, debemus cornua monstrare temperati tanti ut uictoria habita ab illo exaltetur. *Qui exaltauit cornu po|153rb|puli sui*, Ps. (148, 14). Quod nobis concedat.

<sup>1</sup> in] et P, B.

<sup>2</sup> est – cecus om. B.

<sup>3</sup> ostium] officium B.

<sup>4</sup> Officium sancti Augustini (in tertio nocturno, responsorium)

<sup>5</sup> uidetur] dicitur B.

## SERMON 67

Assomption.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 153rb-156rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 16ra-18rb.

Plan :

Prothème – Il est possible de trouver refuge auprès des saints en cas de nécessité.

Thème – Les habitudes de sépulture. La Vierge est de la même chair que son fils, elle repose au ciel.

I – Vie commune dans l'amitié.

II – Immunité du péché.

III – Dignité selon la justice.

IV – Sérénité sans inimitié.

F. 153rb : *In ciuitate sanctificata similiter requieui*, Ecc. XXIII (15).

[Prothème] Omnes qui sunt de eadem dyocesi, quando habent grauem querelam uel magnam necessitatem, refugium habent et recursum ad ciuitatem quia ibi est maior copia scientie pro consiliis dandis, maior etiam altitudo potentie [pro] ablutionibus impendendis et quanto ciuitas est dignior, tanto in predictis habundantior. Non solum fugiunt predicti ad ciuitatem set ibi quiescunt donec eorum negotium fuerit expeditum. Cum autem semper sumus in necessitate, semper ad ciuitatem sanctorum fugere debemus, maxime modo quia habemus loqui de tanto et de tali domina cui nulla alia creatura comparari potest, cuius narratio humanam facundiam<sup>1</sup> excedit et uerba de ipsa dicta dyaboli regimen destruunt in mentibus auditorum. Ideo indigemus consilio eorum qui plenam notitiam eius habent, qui etiam eundum dyabolum uicerunt. Ergo ad ciuitatem illam curramus per desiderium, quiescamus usquequo optineamus gratiam loquendi, sicut qui uadunt ad ciuitatem causa impetrandi. Set tu posses retrahi si ibi esset gens adeo ordinata uel sibi inuicem aduersa, set communiter ibi est uniuersitas Deo dedicata. *In ciuitate sanctificata*, ubi nulla diuersitas, *similiter*, omnia sunt parata, *requieui*, université a Dieu dedifié taunt diversité est pacifié.

Circa primum nota quod<sup>2</sup> sicut Parysius boni studentes omnes participant in priuilegiis uniuersitatis, sic in celo ubi stu|153va|dent in libro uite in quo studere uiuere gaudent omnes priuilegio illo quod est quod quilibet habet quod uult ibi, quod est ad suam gloriam ad quam pertinet impetrare gratiam, per quam possumus saluari et loqui. Ideo dicebat Daud (Ps. 59, 11) : *quis deducet me in ciuitatem munitam*. Ille de quo aliqui in Psalmo (106, 7) : *deduxit eos in uiam rectam ut irem in ciuitatem habitationis*.

<sup>1</sup> humanam facundiam] humana facundia P.

<sup>2</sup> quod om. B.

Circa secundum nota quod quando communitas uult impetrare aliquid a principe, oportet quod sint similis uoluntatis. Omnes habent uoluntatem in Deo fixam. Ideo et nos similiter in Deo fingamus<sup>1</sup> ut ei similes in uoluntate simus<sup>2</sup> et ipsi nobis in uoluntate socientur ; sic enim uniti poterimus impetrare quod petimus. *Omnis caro ad similem sibi coniungetur et omnis homo sibi sociabitur*, Ecc. XIII c (13, 20). Set inter omnes quibus persona proponet uerbum, nisi illa que repulsam non patietur. *Hec requies mea in seculum seculi* (Ps. 131, 14). Ad aliam non ibo. Sancti omnes eam affectu [patiuntur]. Sequitur ergo : *ite in ciuitatem et occuret uobis homo amphoram aque gratie portans* (Luc. 22, 10).

[Thème] *In ciuitate sanctificata similiter requieui*, Eccli. XXIII (15). Mos est istorum regum et reginarum in sanctis locis et sollempnibus que a suis predecessoribus sunt fundata et in quibus sunt sepulti, suas eligere sepulturas dum adhuc in bona ualitudine sunt, ut sicut amicorum corpora ibi iacent, sic et sua ibidem requiescant, et quanto propinquiores sunt genere, tanto simul propinquius uolunt iacere. Deus fundauit ciuitatem celestem in qua precipue requiescere [153vb] dicitur, quia si sit uerum quod<sup>3</sup> in istis inferioribus que continue fluunt, non dicitur quiescere set in celestibus que permanent. Iste pater noster est quia animas per quas uiuimus ipse creauit, filius recreauit, ideo ordinate sunt ab eo ut secum in celo quiescant. Set quia sepultura [est] in exaltatione que ultima debet teneri, ideo qui conformant uoluntatem suam ultimam dyabolo sepeliuntur cum eo et cum diuite epulone qui sepultus est in inferno, quia etsi non eligant ibi iacere uerbo, signo tamen, scilicet facto, quia sufficit in extremis, ibi manere eligunt. Boni autem e contrario, set quia non debetur nobis per naturam set per gratiam, ideo illi qui Deo propinquiorem gratie gradum ad Deum accedunt, propinquius Deo quiescunt. Est autem gratia sufficiens que necessaria est in omnibus qui saluantur, alia habundans que saluare potest aliquos<sup>4</sup> et in aliquibus necessitatibus set quod aliquis possit saluare et debet, hoc est priuilegium igitur<sup>5</sup> singularis persone, scilicet Christi, cui maxime accedit gratia meriti Marie que tanta est quod ipsa apud filium potest optinere salutem omnium et ueniam omnium peccatorum. Modo etiam qui indigent hauriunt aliquid de eius plenitudine sicut dicit Bernardus<sup>6</sup> : « Omnibus omnia facta est » etc. et sic propinquissimum gradum, et sic secundum animam potest dicere quod sicut filius meus *in ciuitate sanctificata similiter requieui* (Eccli. 24, 15), quod secundum corpus attinet ei filius Dei, quia corpus habet ab ea. Ideo etiam secundum corpus ibi requiescit, alioquin non impleret preceptum de honoratione parentum, cum etiam [154ra] maior honor debeatur parentibus quam aliis, non esset immunis, nisi eam plus quam ceteros<sup>7</sup> honoraret, ut scilicet eius

<sup>1</sup> fingamus] figamus P.

<sup>2</sup> simus] sumus P, B.

<sup>3</sup> quod] cum P, B.

<sup>4</sup> que – aliquos] qua sanctis potest aliquibus P, B.

<sup>5</sup> priuilegium igitur] igitur priuilegium B.

<sup>6</sup> Cf. *Manipulus florum*, Christus I (Ambrosius super Lucam libro 4) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermo in dom. infra octauam Assumptionis*, 2 (SBO, V, p. 263).

<sup>7</sup> quam ceteros] ceteris P.

corpus honoraretur<sup>1</sup> in celo, tam pretiosum aurum dignius celum seruare quam terram. Augustinus et Bernardus<sup>2</sup> : « Non<sup>3</sup> est in mundo locus dignior uirginalis uteri templo, in quo filium Dei Maria suscepit, nec in celo regali solio, in quo filius Marie Mariam sublimauit. » Et quia caro Christi caro est Marie, obprobrium magnum esset Christo si uermes carnem matris comederent et cum caro Christi fuerit a tali corruptione immunis, caro etiam Marie debet esse immunis. Ergo sicut filius in anima et carne, sic Maria creditur in celo quiescere. Sicut uerus Salomon matrem ad se uenientem in sua sede secum collocauit, ad istas reliquias passibus mentis debemus properare ut misericordiam consequimur et gratiam inueniamus in auxilio optimo. Tanguntur quatuor : communitas uiuens in amicitia, *in ciuitate*, immunitas ab omni immunditia, *sanctificata*, dignitas ut exigit iustitia, *similiter*, serenitas sine inimicitia, *requieui*. Gallice : il i a compagnie assemblé et amour tote cele maynie<sup>4</sup> si est de seynt a tout chescun se guisa vie sa joie et honour n'est qui lour countredie, repos hount sans labour.

[I] Circa primum nota quod bona uita non est nisi in amore. Modo principium uite est maior nam propter amorem quem habet anima ad suum corpus, uiuificat et separata [154rb] ab eo semper desiderat ei uniri et uitam gloriam suam ei communicet. Primo tamen uiuificat cor, deinde alia membra. Vitam amisimus per primam matrem, que propter amorem quem Deus ad istam habuit nobis reddita est per eam. Ipsam<sup>5</sup> enim quasi cor totius humani generis dilexit ibi ; in ea primo uitam posuit qui est filius, quia *in ipso uita erat, et uita erat lux hominum* (Io. 1, 4), deinde per eam omnibus uitam gratie communicauit. Set oportet omnes nos uniri Marie et Christo per fidem incarnationis et amorem deuotionis. Sicut<sup>6</sup> ergo propinquior fuit ceteris principio uite gratie in mundo, sic propinquior principio uite glorie in celo, etiam quoad corpus quod probat Augustinus<sup>7</sup>, nam cum due pene inter alias fuerint inflite, scilicet *terra es et in terram ibis* (Gen. 3, 16) quoad omnes, et *in dolore paries*, quoad mulieres, set Maria non participat erumpnis Eue pariendo cum dolore. Similiter non debet participare in corporis incineratione et cum appetitus non satietur donec corpus resumatur, sic Christus debuit desiderium matris in omnibus adimplere, debuit illam resuscitare ut sic nos qui credimus eam resuscitatam, quamuis tamen tempus nesciamus, faciamus festum de Transitu, de Resurrectione et Ascensione et sancti hoc uidentes dicunt<sup>8</sup> (Ps. 47, 9) : *sicut audiuius, sic uidimus*. Humanum desiderium non satietur de auditu rei dilecte donec eam uideat. In celo est locus eius satientis<sup>9</sup>. Ideo decuit ut eam in gloria uiderent de qua multa bona [154va] dixerant, quoad doctores ; tunc patuit ueritas, quia uisus confirmat auditum, contra illos qui quicquid audiunt credunt, quamuis

<sup>1</sup> honoraretur] honoretur P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria S (Hieronymus) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Assumptione beatae Mariae*, 1, 3 (SBO, V, p. 230).

<sup>3</sup> non] nec B.

<sup>4</sup> maynie] magnie B.

<sup>5</sup> ipsam] ipsa P, B.

<sup>6</sup> sicut] sic B.

<sup>7</sup> *Non inueni*.

<sup>8</sup> dicunt] dicamus P, B.

<sup>9</sup> eius satientis] satientis eius B.

numquam ab aliquo uisum fuerit. Sic diffamantur interdum boni uiri, quia creditur malis obloquentibus. Sunt etiam aliqui de quibus audiuntur multa bona que in eis non uidentur. Set quamuis multi multa bona de ista dixerint, adhuc erant plura dicenda, quod ex hoc patet, quia numquam tot de ea dixit aliquis sanctus deuotus qui posset satiari, set modo satiantur uidentes fructum iuxta arborem quibus Deus potest dicere : *beati oculi qui uident que uos uidetis*, Luc. 1 (10, 23). Declarant merita, ymmo ista celum sua gloria illustrauit. Unde Jo. Apo. (21, 2) : *uidi ciuitatem sanctam Jherusalem nouam*. Magna nouitas quia noua regina introducta [est] in celum ubi uisa sunt ista in ciuitate Domini uirtutum. Multi sancti in uita presenti fluxerunt uirtutibus set quia illas amittere poterant et succumbere in pugna spirituali, ideo non permittunt doctores quod laudentur dum uiuunt set lauda[n]tur post mortem. Laus est premium uirtutis. Set quando sunt in patria, uictores sunt secuti set quia omnis uirtus a Deo est, ideo sibi gloriam debet attribui, quia *Dominus uirtutum ipse est rex glorie* (Ps. 23, 10). Modo ita est quod in rebus ordinatis, quantum uirtutis habet inferior, tantum habet superior et plus. Ideo quia ista est superior omnibus, in ea sunt omnes uirtutes simul que in aliis sunt diuise, nam secundum Jeronimum<sup>1</sup> |154vb| : « Ceteris per partes gratia prestatur Marie uero simul se totam infudit plenitudo gratie », ut merito dicatur ciuitas uirtutis. Ideo *sedente induimini uirtute ex alto*, Luc. ult. (24, 49). Set quamuis rex habeat multas ciuitates, una tamen est in qua coronatur, que regia dici potest. Ideo sequitur : *in ciuitate Dei nostri* (Ps. 47, 2). In ea enim caput totius uniuersi coronauit se de flore sue uirginitatis purissime, dicebat ut de purissima uirgine nasceretur quia ea puritate uitet qua sub Deo nequit maior intelligi. Dicitur : *Dei nostri* quia in ea Deus factus est noster. Item res dicitur Dei de qua Deus uoluntatem suam facit. Deus in ista fecit opus nostre redemptionis quia sine me uolebat quo redditur Deus ualde commendabilis. *Magnus Dominus et laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri* (Ps. 47, 2). Set aliqui sunt qui non permittunt fieri opus salutis in se ipsis contradicentes Deo inspiranti, set omnes iste uirtutes et gratie parum ualent si possent amitti. Ideo sequitur (Ps. 47, 9) : *Deus fundauit eam in eternum*. In edificio corporali fundamentum subest et in spirituali supra fundamento totum edificium innititur. Ideo Deus debet poni primo in corde, deinde debemus per opera actiue edificare et per opera contemplatiue Deo coniungere. Hee due uite fuerunt in duabus sororibus figurate in Maria complete que fuit per facta in utraque. Unde secundum sensum spirituale euangelium hodiernum |155ra| de ea intelligitur, et quidem satis iuste quia hodie assumpta est ad collegium spirituum. Ipsa enim uestiuit nudum, nutriuit pauperem in quo opera misericordie exhibuit toto humano generi. Ipsa turbata fuit iuxta crucem, uisu<sup>2</sup> autem illuminata contemplabatur Dei uoluntatem, humani generis salutem, et eligebat unum quod erat necessarium, scilicet Christi mortem et si tunc Martha potuit conqueri de Maria, tamen *Maria optimam partem elegit* (Luc. 10, 41-42), quam hodie accepit quia propter meritum passionis glorificata fuit, *que non auferetur ab ea*. Et

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Maria R (Hieronymus).

<sup>2</sup> uisu] uisum P, B.

ideo nullo alio<sup>1</sup> conceditur set si optima est pars sua ergo in corpore et in anima, alioquin illorum pars esset melior qui ibi sunt in corpore et in anima, cum dicit Apostolus (Hebr. 1, 4) de quiete filii secundum humanitatem : *sedet ad dexteram in ex tanto melior angelis effectus quanto differentius pre illis nomen*. Unde [quanto] melius nomen filii quam ministri, tanto melior est pars hominis Christi quam angeli set similiter nomen matris melius est quam nomen nuntii. Ergo melior est pars Marie. Angelus est ibi totus integer. Ergo multo magis mater, sic et alii sancti cum ea saltem secundum animas partem bonam habent que non auferetur ab eis quam hic meruerunt. *Exspectabant enim ciuitatem fundamentum habentem*, ad Heb. (11, 10).

[II] Circa secundum nota quod res que ordinantur ad officia corporis Christi sanctificantur ; post sanctificationem debent munde custodiri, ad alienos usus non debent ordinari [155rb]. Sic postquam homo sanctificatus est ab immunditia culpe, set quantum officium est dignus, tanto sanctificatio maior. Hec autem ordinabatur ad suum officium matris Dei. Ideo debuit maxime sanctificari, quod et factum est. Nam in utero tantam copiam sanctificationis<sup>2</sup> recepit quod inclinatio ad peccandum fuit ligata, deinde in conceptione filii fuit confirmata. Nam si apostoli, antequam portarent Christum in ore per predicationem, fuerunt sanctificati, multo magis que in utero ut mater eum portauit. Unde Bernardus<sup>3</sup> : « Credo quod copiosior in eam gratiam sanctificationis descendit quam in ceteris ab utero sanctificatis que non solum eius ortum sanctificaret set deinceps eius uitam ab omni peccato seruaret immunem. » Filius etiam Dei dedit ut posset dicere solum cum patre : *hic est filius meus* (Mt. 3, 17), quia etsi possumus dicere quod filius sit noster, quia filius datus est nobis, non tamen est noster filius. Pater etiam partem sue proprietatis ei dedit et sicut sine diminutione sue dignitatis nature filium<sup>4</sup> genuit. Sic Maria sine uiolatione uirginitatis materiam seminis ipsam in sanctitate coram Deo ministravit in alia ciuitate superna. In Ps. (86, 1) : *fundamenta eius in montibus sanctis*. Montes<sup>5</sup> alti immobiles de quibus potest alonge res uideri que in delonge non uidetur<sup>6</sup> significat sanctos altos qui ad uitam celestem longe aspicientes per celestium speculationem alonge nisi per exempli ostensionem. Set quanto sancti a nobis ad modum montium sunt [155va] altioris uite, tanto sunt celo et Deo propinquiore. Hec autem in terra eleuata fuit quod terram nostre carnis filio existenti in sinu patris coniunxit cui etiam Deus subdi uoluit, quia erat subditus ille cuius uita sic sublimis totam ecclesiam illuminauit in terris et modo habitat in celis, quia *non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, Mt. VI (5, 14). Ad montem istum debemus recurrere in necessitatibus cuius auxilio poterimus expugnare aduersarios. Non enim uoluit Deus ut tam digna et excellens persona pugnaret contra uiles aduersarios set serui eius eos uicerunt. Unde et optat eius aspectum

<sup>1</sup> nullo alio] nulli alii P, B.

<sup>2</sup> sanctificationis] sanctificationem P, B.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Maria AG (Bernardus in sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 174 (ad canonicos lugdunenses), 5 (SBO, VII, p. 390).

<sup>4</sup> filium] filius P, B.

<sup>5</sup> montes] montis P.

<sup>6</sup> non uidetur] uideri P.

uincere. Sunt autem due partes ciuitatis Dei : quedam pars in celo Deum uidit, alia in mundo pugnat. Ideo sequitur (Ps. 86, 2) : *diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Jacob*. Illa tamen plus diligitur cui pulcra secreta reuelantur, hec cui filius manifestius est primo qui tamen a prophetis in figuris ostendebatur. Item similitudo est causa amoris : Deus ei plus assimilatur, hec est illa Deo gratia et dilecta ciuitas que est refugium luctantium in mundo. *In Jacob inhabita* (Eccli. 24, 13) et est imperfecta speculatione in celo, *et sic in Syon firmata sum* (Eccli. 24, 15), et quia de re dilecta solent dicta misericordia fieri, ideo sequitur (Ps. 86, 3) : *gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*. Gratiola dicta sunt de ea dum uiueret in mundo set hodie gloriosa dicta sunt de ea in celo. Set dicitur : *ciuitas Dei*. Ab ea enim Deus denominatur sicut prelatum a ciuitate. Ex quo patet quid boni |155vb| nominis erat, alioquin non esset in tuto<sup>1</sup> manere cum ea. Unde Deus cum peccatoribus non habitat : *hec est ciuitas scilicet gloriosa habitans in confidentia*, Zach. XIII (Soph. 2, 15). Que autem dicta sunt de ea subdit (Ps. 86, 5) : *homo natus est in ea et ipse fundauit eam Altissimus*. Mirabile quod homo faciat domum et post uastetur<sup>2</sup> in ea. Iste ut Deus eam fundauit. Ipse in ea ut homo natus est. *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*, Mt. (1, 20). Set secundum quod Altissimus fecit eam, si commendo, si bibo, non facio quod altum in me, set cum de Deo cogito, sic quando Deus facit ista infima, facit non secundum quod Altissimus set quando facit dignissimas creaturas inter quas ista summum locum tenet quam repleuit Deus. Ergo fluuius et hodie glorie sanctificantis et in ciuitate confirmatis copiosa. *Fluuius impetus letificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus* (Ps. 45, 5). Et si altitudinem sue potentie ostendit seruando pueros in camino et Daniele (14, 33) : *in lacu leonum*, cur non faciet in matre propria quod fecit in ueste aliena ?

[III] Circa tertium nota quod si non esset alia uita quam ista, male essent formati boni qui hic afflictum patiuntur et bene esset malis qui hic prosperantur et sic non esset iustitia. Ideo alia uita est in qua secundum merita recipiet unusquisque et qui hic fuerint conformes erunt ei in gloria propinquiores, hec autem maxime conformauit se Christus et Christus formam |156ra| de ea assumpsit nostre humanitatis, unde Apo. XXI (18) : *ciuitas illa comparatur uitro mundo* in quo apparet unumquodque tale quale est. Sic ibi talis apparebit unusquisque qualis hic fuit, unde dicitur ciuitas illa aurum mundum simile *uitro mundo*, aurum quoad gloriam anime, uitrum quoad gloriam corporis, quod de puluere est in quo apparebit anime gloria. Ex quo patet quod illi quamdam participationem glorie habent qui bonitatem et sanctitatem mentis ostendunt exterius ad laudem in operibus corporis Dei, unde ibidem dicitur (Apo. 21, 21) : *platee ciuitatis aurum mundum tamquam uitrum perlucidum*. Sequitur (Apo. 21, 19) : *et fundamenta muri ciuitatis ornata omni lapide pretioso*. Unde Ysa. XXXIII (18-19) : *sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in requie opulenta, in tabernaculis fiducie ; grando in descensione saltus et humiliationem humiliabatur ciuitas uirtutis que uitia purgauit et in uita gratie continuauit etc. dictauit*. Et sic Deus hominem facit pauperem ut dicet : sic pauper

<sup>1</sup> in tuto] intum P.

<sup>2</sup> uastetur] uastatur P.

uoluntate uenit ad diuitias gratie et postea glorie. Prou. (22, 2) : *pauper et diues obuiauerunt sibi utriusque operator est Dominus*. Contingit aliquando quod due uie in angulo concurrunt ita quod ambulantes obuiare sibi in angulo compelluntur. Qui fugit diuitias uadit ad Deum quia fugit unum contrarium cupiditatem, inuadit ad aliud ad ciuitatem que uenit Deo, et sic ad Deum uenit quem amicum inuenit quia factus est Dominus refugium pauperi, qui cum |156rb| sit diues, in omnes qui inuocant illum dicat eum faciendo pauperem diuitiarum celi secum, et sic sunt *simul* in unum *diues et pauper*, Ps. (48, 3). Unde cantant fratres sui de isto<sup>1</sup> : hic Franciscus « pauper et modicus celum diues ingreditur » ad istas diuitias nos introducat qui uiuit etc.

---

<sup>1</sup> CAO, 4, 7132 (S. Martin, in tertio nocturno).



## SERMON 68

Assomption.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 156rb-159ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 71ra-73ra.

Plan :

Thème – La Vierge peut être comparée à un fleuve :

- a. Elle porte l’Eglise jusqu’au ciel.
- b. Elle permet à l’homme d’accéder au ciel.
- c. La dévotion nourrit l’homme.

I – La Vierge a quitté le monde malodorant. Comparaison avec un vent du Sud.

II – Elle est exempte de vices.

III – Elle garde les secrets du ciel.

F. 156rb : *Exiens de finibus Tyri uenit per Sydonem ad mare*, Mt. VII (31).

[Thème] Hec est differentia inter torrentem et fluuium quia licet torrens pro tempore fluxus sui faciat magnum impetum, uerumptamen non semper ad mare peruenit set interdum siccatur et antequam ad mare perueniat, deficit cursus eius. 3 Reg. 19 (17, 7) dicitur de torrente Caruth de quo bibebat Helyas, quando a coruis pascebatur *post dies aliquantos desiccatus est torrens*. Set fluuius undique ueniat et ubicumque oriatur, usque ad mare non deficit set ad ipsum terminat cursum suum. Ecc. I (Eccle. 1, 7) : *omnia flumina irrunt mare*. Spiritualiter ceteri homines a Christo et beata Virgine usum rationis habentes omnes possunt torrentibus comparari, quia licet in operibus uirtuosis uiriliter egerunt, nihilominus tamen omnes siccati sunt per aliquod peccatum actuale. I Jo. I (8) : *si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus et ueritas in nobis non est*. « Excepta beata Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus, uolo questionem habere », ut dicit Augustinus<sup>1</sup> in libro de natura et gratia. Et sicut torrens non semper ad mare peruenit set infra<sup>2</sup> terminum terminat cursum |156va| suum, sic ceteri homines ad mare quod Deus est non omnes perueniunt, ymmo ad infernum cursus plurimum terminatur, Job XXI (13) : *et in puncto ad inferna descendunt*. Set beata Virgo fuit sicut fluuius cuius fluxus donec ad mare quod est Deus peruenit, non fuit per peccatum aliquod interruptus, unde Odilo Cluniacensis<sup>3</sup> in quodam sermone : « Unum quippe scimus pro certo quod omnis uita et Marie actio semper intenta fuit in Domino. »

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Maria A (Augustinus de natura et gratia) ; Augustinus Hipponensis, *De natura et gratia*, XXXVI, 42 (C.F. Urba, J. Zycha, CSEL 60, 1913, p. 263).

<sup>2</sup> infra] inter P, B.

<sup>3</sup> Odilo] Odilio B, Odilia Clunacensis P.

Odilo V Cluniacensis, *Sermones*, sermo XII de Assumptione Dei genitricis Mariae (PL 142, 1024A).

[a] Ratio autem quare beata Virgo fluuio comparatur prima est quia nauis aliquando est fabricata et constructa et tamen non mouetur nec procedit<sup>1</sup>, tamen adueniente fluuio eleuatur et ad locum optatum adducitur. Sic nauis ecclesie que adeo erat in terra immersa<sup>2</sup> quod uersus celum procedere non poterat, donec fuit ab isto benedicto fluuio eleuata et portata. Figura Gen. 6 (7, 17) ubi dicitur quod Noe edificauit archam que diu stetit super terram: *donec multiplicatae sunt aque et eleuauerunt archam in sublime*. Sicut dicitur Gen. VII, Noe qui interpretatur requieuit siue commotus Domini<sup>3</sup>, significat<sup>4</sup> qui requieuit ab omni opere quod pararet, Gen. 2<sup>o</sup> (2), et postmodum propter peccatum hominum sic fuit commotus quod *penituit eum quod fecisset hominem in terra*, Gen. VI (6). Ipse edificauit ecclesiam que incepit ab Abel sicut dicit glosa<sup>5</sup> super primum capitulum epistule ad Col. 6. Sic erat arrestata et impedita quoad celum, procedere non poterat donec uenit iste |156vb| benedictus fluuius in quo *multiplicatae sunt aque gratie et eleuauerunt archam in sublime*. Et sic (Ps. 45, 5): *fluuius impetus letificat ciuitatem Dei*. Per beatam enim Virginem letificata est ciuitas celestis Jerusalem quia per ipsam fuerunt eius ruine restaurate. Unde uere sibi in antiphona<sup>6</sup> dicitur: «Paradysa porte per te nobis aperte sunt, quas hodie gloriosa Virgo cum angelis triumphans.»

[b] Secunda causa quare beata Virgo fluuio comparatur est quia nisi fluuius curreret per ciuitatem, multa que sunt in ciuitate ad aliam ciuitatem non differentur nec e contrario. Set per hoc quod fluuius transit per ciuitatem et ea que crescunt in alia regione ad ciuitatem et ea que crescunt in ciuitate ad aliam regionem portantur, sic ante istum benedictum fluuium nec filius Dei per assumptam humanitatem presentis ecclesie uenerat nec aliquis homo ad regionem paradysi ascendat, set per ipsam filius Dei qui ex ore Altissimi prodierat ad nos uenit et multi ad celum ascenderunt. Cibum illorum, *quoniam ita preparatio eius* (Ps. 64, 10), per istum enim fluuium, *panem angelorum manducauit homo* (Ps. 77, 25); hoc in sacramento altaris Jo. 6 (35): *ego sum panis uite qui uenit ad me ut esuriet*, et in Colo. Luc. 22 (29-30): *ego dispono uobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum ut edatis et bibatis super mensam* etc. Et hoc est in cibus quod Dominus humano generi preparauerat ab eterno.

[c] Tertia causa quare beata Virgo |157ra| fluuio comparatur est quia iuxta fluuium qui Ganges<sup>7</sup> uel Physon dicitur, sunt quidam homines qui solo odore malorum siluestrium nutriunt. Physon qui exit de paradyso et interpretatur<sup>8</sup> oris mutatio, significat beatam Virginem que ex paradyso, hoc est miraculose ex parentibus sceleribus genita est et in utero sanctificata fuit, in qua facta fuit oris mutatio. Modus enim loquendi de filio Dei, qui est os et uerbum patris, aliquo modo est

<sup>1</sup> procedit] quando *add. P, B.*

<sup>2</sup> erat – immersa *om. B.*

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 132.

<sup>4</sup> significat] quod *add. P.*

<sup>5</sup> *Non inueni.*

<sup>6</sup> CAO, 3, 4125 (Assumptio S. Mariae).

<sup>7</sup> Exemplum 13.

<sup>8</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 66.

mutatus in ea ut qui ante filius Dei solum dicebatur postmodum filius Virginis, qui prius impassibilis et immortalis, postea passibilis et mortalis<sup>1</sup> diceretur, non per mutationem in eo factam set per nouam in se receptam, et sic qui prius dicebat : *ego Deus et non mutor* (Mal. 3, 6), quasi in uirum alium est mutatus, et hoc in isto fluuio benedicto in quo quod non erat assumpsit. Modo isti qui iuxta istum beatissimum fluuium per deuotionem habitant, non terrenis nec carnalibus epulis set solum odoribus bonorum celestium, que mundo et mundanis sunt multum siluestria, nutriuntur. Jo. 4 (32) : *ego cibum habeo manducare quem uos nescitis*. Unde de dilecto suo et sibi deuoto dicit Virgo, Can. 2° (16) : *dilectus meus mihi et ego illi qui pascitur inter lilia*. Donec apparet dies et inclinentur umbre, deuotus enim beate Virginis, donec umbre presentis uite inclinentur et aspiret dies glorie, non uult nisi inter lilia odorum celestium enutrir. Sic igitur Virgo beata fluuio comparatur cuius gratie plenitudinem quasi plenitudinem fluuii consi|157rb|derans Jeronimus<sup>2</sup> dicit : « Ceteris uirginibus per partes prestatur gratia, Marie uero se totam infudit gratie plenitudo que fuit in Christo quamquam aliter et aliter quia in Christo fuit plenitudo gratie tamquam in homine personaliter diffinito. In Maria uero ut in templo singulariter consecrato, uel aliter in Christo fuit plenitudo gratie sicut in capite influente in Maria sicut in collo transfundente. » Modo sicut est quod a principio dicebatur quod fluuius ubicumque oriat, non deficit donec ad mare terminetur ; sic beata Virgo, licet in mundo nata fuerit et ibi Domini conuersata, uerumptamen per nullum peccatum exorbitauit set hodierna die de mundo exiens ad Deum, qui est substantie pelagus infinitum, immaculata peruenit sicut dicunt uerba proposita : *exiens* etc.

[I] In quibus uerbis tria tanguntur : primo quod beata Virgo reliquit mundi fedtatem sancta germina suffocantem, *exiens de finibus Tyri*. Tyrus interpretatur angustia uel tribulatio<sup>3</sup> et significat mundum qui tot angustiis et tribulationibus est repletus quod in eo spiritualia germina suffocantur, quod sic patet. Dicit philosophus<sup>4</sup> quod si fieret unguentum de sucto absinthii et de oleo rosaceo et unguerentur capilli quantumcumque albi uel flauu denigrantur<sup>5</sup>. Spiritualiter mundus facit unguentum compositum ex absinthio et oleo rosaceo, ex auaricia scilicet et uoluptate. Per absinthium enim intelligitur auaritia quia sicut absinthium omne dulce cui admixtum fuerit reddit amarum, sic auaritia amaricat mentem |157va| quam inhabitat. Gregorius<sup>6</sup> 13 Moralium : « Peccatum auaritie mentem quam infecerit ita grauem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli<sup>7</sup> non possit. » Eccli. I (Eccli. 10, 9) : *auaro nihil est scelestius*. Per oleum uero intelligitur uoluptas, cuius ratio est quia oleum potest fieri ita calidum quod febrem inducit. Set uene pulsates et aures et uerole manuum et palme pedum ex eo

<sup>1</sup> mortalis] immortalis P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria R (Hieronymus).

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 97.

<sup>4</sup> *Non inueni*.

<sup>5</sup> denigrantur] redigerentur B.

<sup>6</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XIV, 53 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 736).

<sup>7</sup> attolli] attollit B.

inuergantur<sup>1</sup> sicut est oleum quo decoquitur caro leonina. Sic uoluptas quam decoquitur et ministrat ille leo qui *circuit querens quem deuoret*, I Pe. 9 (5, 8). Dyabolus inducit febrem peccati et hoc si uene pulsatiles affectionum inuergantur per quam ad ipsam efficiatur et inordinate delectentur, si aures quod de ea uerba libenter audiantur, si uerole manuum quod libenter palpetur, et si plante pedum quod de ea libenter cogitetur, si, inquam, isto oleo ista que dicta sunt per istum modum inuergantur, statim febris peccati inducatur. Ps. (108, 24) : *caro mea immutata est propter oleum*. Unde Hugo<sup>2</sup> : « Venus est illicebrosa uoluptas, adultima<sup>3</sup> iocunditas que mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso. » Auaritia ergo et uoluptas sunt duo ex quibus conficit unguentum suum mundus et quia pauci sunt aut nulli qui non uel cogitatione, uel affectione, uel locutione auditu uel opere altera parte huius unguenti auaritia scilicet uel uoluptate cerniti fuerunt, ideo quasi in omnibus capilli cordis denigrantur, Tren. 4 (8) : *denigrata est super car|157vb|bones facies eorum*. Et ex hoc sequitur<sup>4</sup> quod in multis et quasi in omnibus spiritualia germina suffocantur. Mt. 13 (22) : *sollicitudo seculi istius et fallacia diuitiarum suffocant uerbum et sine fructu efficitur*. Set quia Virgo beata isto oleo perfusa non fuit, quia nihil scintillarum auaritie habuit uel etiam uoluptatis, idcirco sic exiuit fines huius mundi quod in ea spiritualia germina suffocata non fuerunt set potius ampliata, quia admiratur Sap. ult. Prou. (31, 10) ubi dicit : *mulierem fortem quis inueniet procul et de ultimis finibus pretium eius*. Ad quam questionem respondi potest quod ille inuenit mulierem fortem qui inuenit ouem centesimam, Christus scilicet matrem suam de cuius recessu ab hoc mundo et accessu eius ad Christum. Dicitur in figura Mt. XII (42) : *regina austri etc. uenit a finibus terre audire sapientiam Salomonis*. Et nota quod in ista auctoritate ostenditur quod Virgo habuit spiritualium donorum<sup>5</sup> dominium. Regina austri Eua fuit regina aquilonis quia ab aquilone pandetur omne malum<sup>6</sup>. Ab Eua enim processit omne malum, set ista est regina austri a qua pandetur omne bonum. Augustinus<sup>7</sup> : « Actrix peccati Eua, auatrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. » Dicitur regina Austri quia auster dicitur, secundum Ysidorum<sup>8</sup>, ab hauriendo aquas. Sic beata Virgo omnem gratiam Spiritus Sancti in se |158ra| hausit. Luc. I (28) : *aue gratia plena Dominus tecum*. Quod exponens Augustinus<sup>9</sup> in sermone de natiuitate beate Virginis dicit : « Tecum in corde, tecum in uentre, tecum in utero, tecum in auxilio. »

<sup>1</sup> inuergantur] inuergantur P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Luxuria Y (Hugo).

<sup>3</sup> adultima] adultana B.

<sup>4</sup> sequitur] habetur exp. B.

<sup>5</sup> donorum] uel add. P, B.

<sup>6</sup> malum] Ie. 3 add. P.

<sup>7</sup> *Manipulus florum*, Maria B (Augustinus in sermone de Assumptione); Ambrosius Autpertus, *Sermo de Assumptione sanctae Mariae*, 4 (R. Weber, CM 27B, 1989, p. 1029).

<sup>8</sup> Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum siue Originum libri XX*, XIII, 11, 6 (G. Gasparotto, Paris : Belles Lettres, 2004, p. 58).

<sup>9</sup> *Manipulus florum*, Maria C (Augustinus in sermone de natura beate Marie); autor incertus, *Sermones de tempore*, sermo CXX, in natali Domini, IV, 3 (PL 39, 1985).

Quare autem ipsa comparetur uento australi ? Triplex ratio potest reddi. Prima quia auster oritur in zona iuxta polum antarcticum qui<sup>1</sup> pre nimia eius frigiditate est inhabitabilis. Unde auster [est] naturaliter frigidus et siccus ex suo ortu set, dum transit per roridam zonam, calorem assumit et dum flat per partes meridionales ubi est aquarum habundantia, humiditatem contrahit et sic apud nos calidus et humidus inuenitur. Sic beata Virgo ex ortu suo fuit frigida et sicca quia in peccato originali concepta, et iuxta polum antarcticum quia iuxta modum antiquum maledictionis fuerit generata, quia<sup>2</sup> fuit regio inhabitabilis, quia erat terra que deuorabat habitatores suos, in quam omnes ab inferno deuorabantur. Set Maria transiuit per roridam zonam et per mundanum fulgorem, feruorem scilicet caritatis filii sui quem uidit Johannes Apo. primo (13) : *uestitum pedem et precinctum ad mamillas zona aurea*. Et tunc hausit aquam deuotionis et pietatis et assumpsit calorem caritatis et sic facta est nobis calida et humida, ymmo *fons ortorum puteus aquarum de Libano*, Can. 4 (15).

Secunda ratio quare uento australi comparatur est quia uirtute austri plume in auibis mutantur, ita quod noue assumuntur et ueteres deponuntur, secundum illud Job 39 (26) : *numquid [158rb] per sapientiam tuam plumescit accipiter et expandens alas suas ad austrum*. Sic per beatam Virginem fuit humana natura renouata<sup>3</sup> plume peccatorum amore et plume uirtutum restaurate, Je. 13 (31, 22) : *creauit Deus nouum super terram femina circumdabit uirum*. Ipsa enim circumdedit illum qui sic hominem renouauit<sup>4</sup> quod dicit Apostolus 31 (21, 5) : *ecce noua facio omnia*.

Tertio comparatur austro quia uirtute et flatu austri uermes de terre interioribus educuntur. Sic sancti patres qui sunt sicut uermes, in interioribus terre, hoc est in limbo, tenebantur, per beatam Virginem sunt educti. Bernardus<sup>5</sup> : « Per te Virgo sancta celum impletum est, infernus euacuatus, restaurate ruine celestis Jherusalem, exspectantibus miseris uita perdita data. » Et ideo non immerito dicitur omnium spiritualium donorum dominium habuisse. Hec est regina austri que interpretatur preparata in tempore que successit Vasti, que a morte populum suum liberauit, id est Virgo beata<sup>6</sup> que successit Eue, que totum uastauerat, que liberationem a morte eterna humano generi impetrauit.

[II] Secundo ostenditur quod in beata Virgine fuit omnium uitiorum exterminium quod tangitur cum dicitur : *a finibus terre*. Nota secundum Philosophum<sup>7</sup> : qui uult inuenire uerum elementum debet eum querere in medio regionis elementi, sicut aqua pura in medio maris et terra pura circa centrum inuenitur. Set in extremitatibus minus est de natura puri elementi. Modo sic est quod *totus mundus in maligno positus est*, I Jo. 6 (5, 19). Unde mundus est sicut regio peccati qui [158va] magis est in mundo, magis est in peccato, et qui magis elongatur a mundo, magis et elongatur a

<sup>1</sup> qui] aut P, B.

<sup>2</sup> quia] que B.

<sup>3</sup> renouata] reuocata P.

<sup>4</sup> renouauit] reuocauit P.

<sup>5</sup> *Manipulus florum*, Maria Y (Bernardus sermone 98) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Assumptione beatae Mariae*, 4, 8 (SBO, V, p. 250).

<sup>6</sup> Virgo beata] beata Virgo B.

<sup>7</sup> Non inueni.

peccato. Beata Virgo fuit in extremis finibus mundi, filius suus non fuit infra, quia nec peccatum originale contraxit nec actuale commisit. Ideo dicitur non<sup>1</sup> fuisse de mundo. Jo. 9 (8, 23) : *ego non sum de hoc mundo*. Virgo uero beata fuit de extremis finibus mundi. Solum enim originale contraxit, nullum autem actuale commisit. Ceteri enim sancti non solum sunt de finibus mundi, ymmo de intraneitate eius plus et minus secundum quod plura uel pauciora peccata actualia commiserunt, propter quod dicitur eis a Christo Jo. 9 (8, 23) : *uos de mundo hoc estis*. Beata igitur Virgo, quia solum peccatum originale habuit, quod statim per sanctificationem in utero est deletum, ideo non immerito dicitur de finibus mundi uenisse et in ipsa exterminium omnium uitiorum fuisse. Ps. (147, 14) : *posuit fines tuos pacem et adipe frumenti siciat te*. Fines suos posuit Deus pacem quando fuit ab originali mundata et absque omni actuali nata et fuit Sancti Spiritus satiata, propter quod dicit Jeronimus<sup>2</sup> de ea : « Si diligenter attendas nihil est uirtutis, nihil splendoris, nihil gratie et nihil candoris quod non respndit<sup>3</sup> in Virgine gloriosa. »

[III] Tertio meruit fieri celestium secretorum sacrarium. Unde ei in prosa dicimus<sup>4</sup> : « Aue sancta spiritus sacrarium », et hoc tangit cum dicitur (Mt. 12, 42) : *uenit audire sapientiam*. Nota : magister qui habet diuersos pueros<sup>5</sup> sollicitatur de eorum profectu, secundum quod uidet pueros magis proficere et lectiones eis |158vb| traditas perfectius retinere, secundum hoc eis subtiliora reuelat, et si uidet puerum qui de lectione sibi data non curat, frustra daret ei secundam. *Ubi non est auditus non effundas sermonem*, Ecc. 32 (6). Spiritualiter omnes sumus discipuli. *Magister uester unus est Christus*, Mt. 22 (23, 10). Omnibus nobis data est lectio salutis, set multi sunt qui male eam retinent. Multi enim sunt qui mandata Dei et consilia, in quibus consistit ista lectio, totaliter sunt obliti, propter quod non merentur quod eis celestis lectio reueletur, ymmo quod dicatur eis illud, Osee X (4, 6) : *quia tu scienciam repulisti repellam te et ego*. Modo sic est quod beata Virgo super omnes sanctos et sanctas lectionem suam melius retinuit et perfectius custodiuit quia non feci in modico contra eam. Sancti omnes aliquid obliuiscerunt, ista nihil. Luc. 2° (19) : *Maria conseruabat omnia uerba hec*. Idcirco sibi super omnes creaturas debuerunt secreta celestia reuelari ut possimus<sup>6</sup> ei dicere illud, 2° Paral. I (12) : *sapientia et sciencia data sunt tibi*. Jeronimus<sup>7</sup> : « Non est in mundo locus dignior utero uirginali in quo Dei filium Maria suscepit, nec in celis regali solio quo Mariam Dei filius sublimauit. » Et hoc est quod 4 tangitur in auctoritate.

Quod hodie scilicet recepta est ad ciuium supernorum contubernium, quod tangitur cum dicitur Salomonis qui interpretatur retributor<sup>8</sup> et significat Christum qui est retributor omnium

<sup>1</sup> non om. P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Maria T (Hieronymus).

<sup>3</sup> respndit] respndiat P, B.

<sup>4</sup> AH, vol. 54, n° 217, p. 340 (de beata Marie).

<sup>5</sup> pueros] et add. B.

<sup>6</sup> possimus] possumus P, B.

<sup>7</sup> *Manipulus florum*, Maria S (Hieronymus).

<sup>8</sup> *Non inueni*.

bonorum, in cuius consortio consistit premium beatorum. Nota : aliter se habet rex ad hominem dum est in uia uel in bello et etiam dum sedet pro tribunali et aliter dum sedet in mensa, quia illos [159ra] qui sunt prope eum, dum est in uia uel in<sup>1</sup> bello uel dum sedet in iudicio, non semper plus premiat, set quandoque plures eorum occidit et condempnat. Set ad illos qui sunt prope eum in mensa, sic se habet quod maior propinquitas ad ipsum est signum maioris dilectionis et maioris suorum bonorum conseruationis. Sic spiritualiter in uia multi uidentur esse prope Christum, multi etiam uidentur prope ipsum pugnare quos tamen in iudicio condampnabit. Figura Joab fuit prope Daud in multis bellis et tamen ipsum precepit occidi, 3 Reg. 21 (II Reg. 2, 6) : *non deduces canitiem eius pacifice ad inferos*. Quam plurimi etiam erunt in iudicio prope eum, tamen quibusdam dicit : *ite maledicti* etc. Set illis quos magis prope se ponet in mensa celesti, plura de bonis suis celestibus conferentur. Modo sic est quod Virginem gloriosam magis prope se hodie collocauit, 3 Reg. 2 (19) : *positus est tronus matri regis*, scilicet Salomonis, *que sedet ad dexteram eius*. Et idcirco hodie super omnes creaturas gloriosior est effecta, quod fuit figuratum 3 Reg. X (2) ubi dicitur quod regina Sabba *ingressa cum comitatu multo Jherusalem* uenit ad regem Salomonem. Ista regina est Virgo beata que hodie cum comitatu maximo angelorum ingressa est Jherusalem ecclesiam scilicet triumphantem, ubi iuxta Salomonem filium suum collocata *in perpetuum coronata triumphat* (Sap. 4, 2), cuius corone nos participes efficiat Jhesus Christus etc.

---

<sup>1</sup> in om. B.

## SERMON 69

Assomption (collation).

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 159ra-161va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 73ra-75rb.

Plan :

Thème – La Vierge est comparée au Jourdain.

- a. Elle a donné naissance au Christ.
- b. Elle a permis de séparer les damnés des bienheureux.
- c. Elle est un abri sûr.
- d. Elle sanctifie.

I – Elle a quitté le monde malodorant (cf. sermon précédent).

II – Sa grande pureté.

Division 2 (Can. 4, 8) : preuves de cette pureté :

- a. amour
- b. beauté
- c. honneur

F. 159ra : *Exiens<sup>1</sup> de finibus Tyri uenit per Sydonem ad mare, Mc. VII (31).*

[Thème] Sicut in sermone dictum fuit, differentia est inter torrentem et fluuium quia torrens frequenter deficit [159rb] antequam ad mare perueniat, set fluuius undique continuat cursum suum. Ecc. I (Eccle. 1, 7) : *omnia flumina intrant mare*. Spiritualiter beata Virgo non solum propter causas dictas in sermone, ymmo etiam propter alias potest fluuiio et maxime Jordani proprie comparari.

[a] Primo quia licet fluuius Jordanis multos circuitus faciat<sup>2</sup> iuxta Jericho, uerumtamen in Mare mortuum influit et ipsum absorbet<sup>3</sup> penitus et consumit sicut dicit Ysidorus<sup>4</sup>, per Jericho quod interpretatur<sup>5</sup> luna, mundus mare, qui multos habet defectus, mutationes et maculas sicut luna. *Totus mundus in maligno positus est*, I Jo. 6 (5, 19). In isto fecit beata Virgo multos circuitus dum post Annuntiationem angelicam ascendit in montana cum festinatione, postmodum rediit in Nazareth, deinde ascendit in Bethleem ubi peperit filium suum, postea abiit in Egyptum etc. In hunc mundum qui erat sicut Mare mortuum, *per unum enim hominem peccatum in hunc mundum intrauit et per peccatum mors*, Ro. 6 (5, 12). In hoc, inquam, Mare mortuum beata Virgo influxit quando Dei unigenitum mundo peperit qui mortem mundi absorbit et consumpsit dicens, Jo. IX (14, 6) : *ego sum*

---

<sup>1</sup> collatio in marg. B.

<sup>2</sup> faciat] facit P.

<sup>3</sup> absorbet] ab B.

<sup>4</sup> Non inveni.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 137.



*uia ueritas et uita.* « Mortem enim nostram moriendo destruxit et uita resurgendo reparauit<sup>1</sup>. » In Mare etiam Mortuum influxit infernum quando filius eius illuc iuit et ipsum spolians, sanctos patres qui ibi detinebantur extraxit dicens : *ero mors tua, o mors ero morsus tuus inferne*, Osee 13 (14).

[b] Secundo comparatur Jordani quia, secundum Ysidorum<sup>2</sup>, Jordanis diuidit Arabiam et Judeam [159va]. Judea interpretatur glorificatio<sup>3</sup> et significat regionem beatorum ubi Deus continue et iugiter glorificatur et laudatur. Arabia<sup>4</sup> autem interpretatur callida uel insidiatrix uel occidentalis et significat regionem dampnatorum, que est regio demonum qui nobis continue insidiantur, et hominum qui hic callide uixerunt et in occidente mortis sine penitentia obierunt. Modo sic est quod ante aduentum beate Virginis fuerunt iste regiones permixte, quando omnes ad infernum descendebant, set ipsa nobis protulit illum qui has regiones diuisit, de quo Mt. 16 (25, 32) dicitur : *congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos ab inimico sicut pastor segregat oues ab edis*. Unde de ipsa possumus dicere illud, Gen. X (25) : *nomen uni tuum Phaleg eo<sup>5</sup> quod in diebus suis diuisa sit terra*. Phaleg<sup>6</sup> interpretatur<sup>7</sup> saluans uel saluatio et significat beatam Virginem que fuit initium salutis humane in cuius diebus cepit diuidi terra dampnatorum a terra beatorum. Peperit enim illum *qui positus est in ruinam et in resurrectionem multorum*, Luc. 2<sup>o</sup> (34).

[c] Tertio comparatur Jordani quia sicut dicitur 4 Reg. 6 (5) *ferrum securis* quod in aqua ceciderat et usque ad fundum descenderat, in fluuio Jordanis natauit et manubrio se coniunxit et sic fuit securis reparata ; unde ligna scindi debebant ad construendum domos pro filiis prophetarum. Spiritualiter per manubrium Deus intelligitur cuius imperio [159vb] omnia debent regi sicut securis medietate manubrio gubernatur, modo sic est quod ab hoc manubrio humana natura per peccatum ceciderat et usque ad inferni profundissima ferebatur. Job 14 (17, 16) : *in profundissimum infernum descendent omnia mea*. Set in isto beatissimo fluuio, scilicet in Virginis utero, huiusmodi natura a fundo directionis eleuata natauit et in manubrio, hoc est in supposito diuino, recepta fuit et sic facta est securis de qua Mt. 3 (10) dicitur : *iam enim securis ad radicem arboris posita est*, hoc est securis per quam edificate sunt domus filiis prophetarum fidelibus, scilicet a longe aspicientibus et ad celum toto desiderio tendentibus, quibus dicit Jo. IX (14, 2-3) : *uado parare uobis locum, et si abiero et preparauero uobis locum iterum ueniam et accipiam uos ad me ipsum*.

[d] Quarto comparatur Jordani quia Christus tactu sue mundissime carnis ipsum sanctificauit sicut dicit Beda<sup>8</sup> : « Sic Virgo beata quando concepit filium Dei fuit ex tactu sue carnis mundissime

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum siue Originum libri XX*, XIII, 21, 18 (G. Gasparotto, Paris : Belles Lettres, 2004, p. 146).

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 152.

<sup>4</sup> Cf. Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 155.

<sup>5</sup> Phaleg eo] phalegeo P, B.

<sup>6</sup> Phaleg] Phalegeo P, B.

<sup>7</sup> Non inueni.

<sup>8</sup> Non inueni.

ampliori sanctificatione sanctificata, quod ex tunc non peccauit nec peccare potuit. » Bernardus<sup>1</sup> in sermone : « Puto quod copiosior sanctificationis gratia in ipsam descendit, que non solum ortum eius sanctificaret, set etiam uitam eius deinceps ab omni peccato custodiret immunem. » De qua sanctificatione potest exponi illud 3 Reg. 9 (3) : *sanctificaui domum hanc*, et sequitur : *ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum et erunt oculi* |160ra| *mei ibi et cor meum cunctis diebus*.

[II] Sic igitur Virgo beata Jordani fluuio comparatur, et ideo sicut fluuius ubicumque oriatur non deficit donec ad mare pertingerit, sic enim per nullum peccatum deficit set cursum uirtutum continuauit donec ad mare, quod Deus est, feliciter peruenit. Sicut dicunt uerba proposita : *exiens de finibus Tyri* etc., in quibus uerbis tria tanguntur. Primo quod ipsa reliquit mundi fedtatem sancta germina suffocantem, *exiens de finibus Tyri* et de isto dictum est in sermone. Secundo ostenditur quod ipsa habuit summam puritatem cuncta crimina declinantem quod tangitur cum dicitur : *uenit per Sydonem*. Sydon interpretatur uenatio<sup>2</sup> uel commotio iniquitatis et significat uitam beate Virginis que tante extitit puritatis quod semper ueniebat<sup>3</sup> et querebat quomodo Deo placeret et ad celum perueniret et a se omnem iniquitatem et immunditiam repelleret ; quod et fecit, quod sic patet : dicit Philosophus<sup>4</sup> quod damulam odiunt<sup>5</sup> serpentes et fugiunt in tantum quod eius hanelitum<sup>6</sup> sustinere non possunt. Spiritualiter per damulam que est capra<sup>7</sup> siluestris, que idcirco damula dicitur eo quod de manu effugiat<sup>8</sup>, Christus autem per eam<sup>9</sup> intelligitur qui ante incarnationem fuit multum siluestris et a genere humano alienus. Ysa. 64 (7) : *non est qui consurgat* et inueniat te qui effugit de manu in quam omnia merita sanctorum excedit, sicut exponitur illud Can. ult. (8, 14) : *fuge dilecte mi assimilate capree hymuloque ceruorum super montes aromatum*, id est sanctorum |160rb| quorum merita transilit et excedit. Hanc damulam serpentes inferni odiunt et hanelitum gratie eius sustinere non possunt. Job XI (41, 12) : *hanelitus eius prunas ardere facit*. Modo sic est quod hanc damulam enim habuit ante partum in utero suo corporaliter et post partum in brachiis suis et gremio presencialiter et in corde suo iugiter, quod non est minus quam habere corporaliter. Unde Augustinus<sup>10</sup> libro de uirginitate : « Felicior partus spiritualis quam carnalis. Beatior enim fuit Maria concipiendo Christum fide quam carne. Materna enim propinquitas nihil ei profuisset nisi ipsum melius<sup>11</sup> fide quam carne gustasset. » Et idcirco non est mirum ex quo presentem semper habuit hanelitum filii sui, gratiam<sup>12</sup> Spiritus Sancti

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Maria AG (Bernardus in sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 174 (ad canonicos lugdunenses), 5 (SBO, VII, p. 390).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 88.

<sup>3</sup> ueniebat] uenebatur P.

<sup>4</sup> Exemplum 14.

<sup>5</sup> odiunt] ostendunt B.

<sup>6</sup> hanelitum] anelimum B.

<sup>7</sup> capra] caprea B.

<sup>8</sup> Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum libri XX, XII*, 38, 1.

<sup>9</sup> autem – eam om. B.

<sup>10</sup> *Manipulus florum*, Maria E (Augustinus super illud Luce 11 : *beati qui audiunt uerbum Dei etc.*)

<sup>11</sup> melius] felicius B.

<sup>12</sup> gratiam] scilicet add. B.

si a se omnem serpentem peccati repulit et fugauit. Bene ergo dicitur quod habuit summam puritatem cuncta crimina relaxantem, propter quod sicut dicitur Can. 4 (8) : *ueni de Libano sponsa mea, ueni de Libano, ueni coronaberis de capite Amana*. Et nota quod in ista auctoritate tangit quatuor Spiritus Sanctus per que ostendit summam fuisse in beata Virgine puritatem.

[a] Primo ex amore demonstrato, *ueni*, quod ter in auctoritate replicatur propter tria priuilegia que fuerunt in ea, nulli alio<sup>1</sup> sunt concessa. Primum est quod similis fuit mater et uirgo, secundum est quod in utero sic fuit sanctificata quod non peccauit et a peccato se preseruare potuit, tertium quod in conceptione filii sic fuit copiose sanctificata quod amplius peccare non potuit. Vel ideo dicitur ter *ueni* propter ternam |160va| scilicet mentis, oris et corporis integerrimam puritatem, set unde hoc quod hic dicitur sponsa, *ueni*, inquit, *sponsa mea*, cum ipsa fuit mater Dei ? Respondeo : hoc primo fit ut per hoc ostendatur immaculatissima eius puritas. Persona enim libera cum ancilla contrahere non consueuit. Si uis nubere, nube pari, ut ergo ostendatur nulli peccato seruitute subiecta dicitur ei : *ueni sponsa*. Sap. 9 (8, 2) : *hanc amaui et exquisiui eam a iuuentute mea et quesui eam sponsam mihi eam assumere*. Secundo quia hoc est conditio prudentis sponse quod dum sponsus pro utilitate familie hinc inde discurrit, ipsa elemosinis insistat, bona conseruet et familiam decenter gubernet. Figura Reg. X (Tob. 10, 12) : *obsculati sunt eam*, scilicet parentes eius Saram mouentes eam etc. Regere familiam, gubernare domum. Sic enim rexit familiam ecclesie quando dixit filio suo : *uinum non habent*, et ministris : *quemcumque dixerit uobis facite*, Jo. II (3 ; 5). Ipsa est que distribuit elemosinas paradysi, cui dicimus : « Eua ergo aduocata nostra » etc. Ipsa est que<sup>2</sup> dum filius suus pro utilitate ecclesie et humana salute ad crucem curreret et mortem simul in ea perimeret, ipsa<sup>3</sup> bona ecclesie scilicet fidem seruauit, quando fides in hora mortis in ipsa sola remansit, quo tempore potuit dicere de ea Spiritus Sanctus illud Can. 6 (8) : *una est columba mea, perfecta mea, una est mater sue una |160vb| est genitrici sue*. Ipsa enim pro illo tempore fuit unica ecclesie militanti. Tertio uocat eam sponsam quia quando due persone intense se diligunt, consueuerunt mutuo diuersis nominibus se uocare ad ostendendum amoris magnitudinem. Sic Christus beatam Virginem : fuit enim eius ad ipsam tanta dilectio ut unico nomine exprimi non posset. Unde Can. 2° (10) dicit : ipsa en *dilectus meus loquitur mihi surge propria amica mea, columba mea, formosa mea et ueni*. Ambrosius<sup>4</sup> libro 2° de uirginitate : « Quante in una uirgine species uirtutum emicant ? Secretum uerecundie, uexillum Dei, deuotionis obsequium : Virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. »

[b] Secundo hoc idem ostenditur ex decore conseruato. *Veni*, inquit, *de Libano*, quod bis dicitur propter decorem duplicem, corporis scilicet et anime, quem integerrime conseruauit. Nota :

<sup>1</sup> alio] alii P.

<sup>2</sup> que] quod P.

<sup>3</sup> perimeret ipsa] ineret B.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Maria H (Ambrosius de Virginibus libro 2) ; Ambrosius Mediolanensis, *De Virginibus*, II, 2, 15 (PL 16, 210D).

dicit Jeronimus<sup>1</sup> quod in monte Libani ex herbis et arboribus ibi crescentibus tantus odor fragrabat quod ibi nullo modo uiuere poterant quecumque reptilia uel etiam quecumque alia animalia uenenosa. Unde in illo monte, secundum ipsum, quiescentes a serpentibus et a uenenosis omnibus aliis tuti erant. Sic in Virgine gloriosa fuit tantus odor uirtutum et donorum Spiritus Sancti quod non solum omne uenenum peccati ab ipsa penitus est repulsum, quin ymmo omnes qui per deuotionem uolunt in ipsa [161ra] quiescere ab omni crimine et peccati periculo tutissime conseruantur. Unde<sup>2</sup> Bernardus<sup>3</sup> in sermone : « Sicut a te despectus et auersus necesse est quod pareat, sic a te reuersus et a te respectus impossibile est quod pereat. Filioli, hec peccatorum scala, hec mea maxima fiducia, hec tota ratio spei mee. » Unde ipsa potest dicere illud Eccli. 24 (21) : *quasi Libanus non incisus uaporauit habitationem meam et quasi balsamum non mixtum odor meus.*

[c] Tertio hoc idem ostenditur ex honore exspectato, *ueni coronaberis*. Nota : primogenitus regis qui ius primogeniture non perdidit nec uendidit, indubitanter exspectat coronari. Spiritualiter beata Virgo dignitate inter omnes filios et filias ecclesie militantis fuit primogenita Dei. Eccli. 24 (5) : *primogenita ante omnem creaturam*. Jus sue primogeniture non perdidit nec pro lenti sedulio uendidit, hoc est pro quibuscumque deliciis carnalibus uel mundanis sicut Esau uendidit, propter quod non immerito celesti corona debuit coronari. Ambrosius<sup>4</sup> super Lucam : « Non mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam tunc inchoauit a Maria, ut per quam salus omnibus comprobatur eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. » De qua coronatione dicitur Sap. X (4, 2) : *in perpetuum triumphat coronata incoiquinatorum certaminum premium unicens*. Hoc idem ostenditur ex uigore comprobato *de capite Aman*. Nota : illi qui uolunt uendere tyriacam<sup>5</sup> primo ostendunt uirtutem eius circa aliquam inflaturam uel circa aliquod uenenosum et quando uirtus tyriace uincit et superat [161rb] uenenum, tunc habetur certitudo de eius bonitate. Spiritualiter Virgo ostendit uirtutem suam contra serpentem anticum qui est dyabolus et Sathanas cuius caput conteruit et uersutias superauit quod dudum ante fuerat predictum. Gen. 3 (15) : *ipsa conteret caput tuum*, ait Dominus de muliere ad serpentem. Quousque ad beatam Virginem per nullam mulierem fuit impletum propter quod eius uirtus optime comprobata [est], istud autem intelligitur cum dicitur : *de capite Aman*, quod interpretatur<sup>6</sup> iniquus ei uel comprimens eum et significat anticum serpentem dyabolum, scilicet qui inique compressit genus humanum cuius caput fuit a Virgine beata contritum, et propter hoc ratione huius uirtutis sic probate debuit coronari, quia *non coronabitur nisi qui legitime certauerit*, 2° Thymo. 2° (5), quasi dicat (Can. 4, 8) : *in celo coronaberis de capite Aman* quia uirtute

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> *unde om. B.*

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Maria AF (Bernardus in sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermo in natiuitate beatae Mariae Virginis*, 7 (SBO, V, p. 279).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Maria F (Ambrosius super Lucam) ; Beda, *In Luca euangelium expositio*, I, 1 (D. Hurst, SL 120, 1960, p. 36).

<sup>5</sup> *Exemplum 15.*

<sup>6</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 102 (*sub nomine Ammoni*).

tua caput dyaboli coneruisti. De uirtute loquitur Cassiodorus<sup>1</sup> in quadam epistula dicens : « Tu patrona humani generis, tu afflictis rebus medica singularis. Quis tuo non egeat munere, cum sit peccare commune ? »

[III] Tertio principaliter ostenditur quod ipsa peruenit ad ueram felicitatem<sup>2</sup> cordis lumina satiantem, *ad mare*. In mundo non est perfecta fertilitas, *non enim* satiatur *oculus uisu nec auris impletur auditu*, Ecces. Primo (1, 8). Set in celo ubi Deus uidetur facie ad faciem perfecta, fertilitas reperitur, intelligitur autem Deus per mare quia Ecces. primo (1, 7) : *omnia fluuia intrant mare et mare non redundat*. Deus enim continet perfectiones omnium euntium et possibilium et tamen propter hoc eius perfectio non augetur nec beatitudo<sup>3</sup> sanctorum augetur in aliquo, ex hoc quod in mente [161va] diuina conspiciunt creaturas. Unde Augustinus<sup>4</sup> super illud Jo. Ic (17, 3) : *hec est uita eterna ut cognoscant te*, dicit : « Infelix qui omnia nouit et te nescit, beatus autem qui te nouit et illa nescit. Qui autem te et illa nouit, non propter illa beatus, set propter te solum. » Propter hoc dicit Job XI (9) : *longior terra mensura eius et latior mari*. Ad istud mare tam immensum peruenit hodie beata Virgo. Unde potest dicere illud Eccli. 24 (8) : *gyrum celi circuiui sola* quantum ad gradum sublimitatis ingressa, *et profundum abyssi penetraui* quantum ad intentionem uisionis in essentia diuina, *et in fluctus maris ambulauit* quantum ad dotes corporis inter quas est corporis agilitas, et sequitur (Eccli. 24, 9-8) : *in omni populo et in omni genere primatum habui* quia « ad ethereum peruenit thalamum in quo rex regum stellato sedet solio<sup>5</sup> ». Ad quod nos perducet<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Maria AP (Cassiodorus in quadam epistula) ; Cassiodorus, *Variarum libri duodecim*, XI, 40 (A. Fridh, SL 96, 1973, p. 458).

<sup>2</sup> felicitatem] fertilitatem B.

<sup>3</sup> beatitudo] habitudo P.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Beatitudo siue beatus A (Augustinus super illud Johannis : *hec est uita eterna ut cogno*) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, V, 4 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 60).

<sup>5</sup> CAO, 3, 3707 (Assumptio Mariae).

<sup>6</sup> perducet] perducatur Jhesus Christus etc. B.

## SERMON 70

Saint Louis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 161va-162rb.

F. 161va : *Rex sapiens populi stabilimentum est*, Sap. VI (26).

Regnum stabilitur legibus per sapientes conditis et inuentis. Unde dicitur de sapientia, Prou. 9 (8, 15) : *per me reges regnant*, et loquitur sapienter : beatus Ludouicus fuit rex ualde sapiens, quod sic patet. Ille dicitur esse sapiens cui multa fallacia apparentia proponuntur et tamen non decipitur. Beato Ludouico fuerunt proposita omnia apparentia huius mundi, que sunt fallacia et plena fallaciis multis sicut diuitie, delicie et honores, et tamen in nullo istorum fuit deceptus, quia numquam commisit peccatum mortale, ut sibi |161vb| possit dici illud 2 Reg. X (14, 20) : *tu autem Domine mi rex sapiens es sicut habet sapientiam angelus Domini*. Set nota quod multi habent sapientiam sophiste, quia secundum Philosophum<sup>1</sup> sophista querit solum sapientiam apparentem et non curat de existente. Sic est forte de multis. Aliquis quandoque plus querit sapientiam ut sapiens appareat quam ut sapiens existat, sicut ille qui querit scire ut doceat solempniter et apparenter et non curat tamen de existentia. Tales contempnat Apostolus, I Cor. 1 (17) : *non in sapientia uerbi ut euacuetur crux Christi*, sicut est ille qui solum querit sapientiam ut bene doceat. Set nota : quesuit sapientiam ut bene uiueret. Set ut dictum est : regnum stabilitur per reges sapientes et ipse fuit sapiens. Ergo regnum suum stabilimentum est, ut dicantur de eo uerba proposita : *rex sapiens* etc. Et tanguntur tria, in quibus claruit sua sapientia. Primo in altitudine sereni principatus : *rex sapiens*. Secundo in multitudine terreni famulatus : *populi*. Tertio in certitudine solidi uel pleni status : *stabilimentum est*.

Quantum ad primum nota quod secundum philosophos, in regno anime unica potentia, scilicet ratio, regit et alias ordinat et illa sola est capax scientie, luminis et claritatis. Voluntas autem ceca est et potentie sensitue magis. Set beatus Ludouicus habuit regere, ergo indiguit lumine sapientie, ideo in figura huius reges unguebantur |162ra| in capite, ut dicatur de eo illud 3 Reg. X (23) : *magnificatus est rex Salomon diuitiis et sapientia in uniuersa terra* etc. Et dicitur de beato Ludouico quod propter dulcedinem uultus eius omnis homo desiderabat eum uidere sicut Salomonem : *ue terre, cuius rex puer est* (Eccle. 10, 16). Aliquando puer ponitur super equum et licet deberet eum regere, hoc sentiens equus eum regit et proicit in lutum. Sic frequenter qui deberent alios regere per alios reguntur, ideo totum precipitatur. Per equum caro assignatur, per puerum inferior ratio, et quando illa est sola super carnalitatem, accipit frenum cum dentibus et precipitatur ratio inferior, quia non potest bene regere sola sine ratione superiori. Set nota : senes fuit et sapiens, ideo bene rexit. Eccli. X (Eccle. 10, 17) : *beata terra cuius rex nobilis est*.

<sup>1</sup> Aristote, *De sophisticis elenchis*, 1 (*Aristotelis opera*, III, 1831, p. 90).

De secundo nota quod in maiori periculo regendo requiritur maioris sapientia. Set ipse habuit regere populum multum. Ergo indiguit multa sapientia et eam habuit. Figuram de Salomone 3 Reg., qui non petiuit delicias uel diuicias set sapientiam et multum placuit Domino, ut patet ibi. Unde Prou. 4 (14, 28) : *in multitudine populi dignitas*. Set nota : primi reges Israel fuerunt Saul et Daud. Unde bene rexit Daud, Saul male ? Quare Saul eminebat super populum ab humero et supra, Daud autem fuit paruus, ruffus etc. Sic aliquando rex est ita eleuatus per superbiam quod nullus pauper potest habere accessum ad ipsum et propter hoc populus male regitur. Econtra Daud fuit in medio populi et paruus et quilibet poterat accedere. De [162rb] beato Ludouico etiam legitur quod in singulis septimanis sedit in communi loco, ut omnes qui uellent accederent, set Saul habet multos successores, quantum ad rectores, et impletum est illud Eccli. X (3) : *rex insipiens perdit populum uel roboam*.

Quantum ad tertium nota quod stabilimentum edificii consistit in fundamento. Unde inter aquam ponitur fundamentum de lignis, quia tunc edificium est solidum ratione fundamenti. Sic beatus Ludouicus pro persona sua et pro regno suo posuit fundamentum de lignis. Portauit lignum crucis et in tota uita sua fuit conatus ponere se super ligna in mari et ad nauigandum pro defensione fidei. Unde Eccli. 49 (17) dicitur de Ioseph quod *natus est homo etc. Rector fratrum, stabilimentum populi*. Set Sap. 4 (3) dicitur quod adulterine plantationes, si dabant radices altas, et hee sunt carnales operationes, quia tale opus non habet firmum fundamentum. Set opera sancti huius spiritualia fuerunt. Unde Eccli. 30 (31, 11) : *stabilita sunt bona illius in Domino etc. et eleemosynas illius enarabit*.

## SERMON 71

Nativité de la Vierge.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 162rb-165ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 7va-9vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 179v.

Plan :

Thème – Il est nécessaire que la conscience soit aussi nette qu'un livre bien copié.

Division – Les caractéristiques du miracle signalé par Matthieu :

I – le ventre fécond

Division 2 (Eccli. 24, 24) : le fruit du ventre de la Vierge

- a. un goût qui marque l'affect
- b. une odeur qui inspire la crainte

F. 162rb : *Mater Ihesu Maria* in Mat. (1, 18).

[Thème] Hec est consuetudo uniuersitatis huius, consuetudo studii Parysiensis quod quando aliquis primo magistratur in theologia, quando aliqui<sup>1</sup> magister de nouo et primo incipit in aula, questio una uentilatur inter doctores antiquos et iuniores, ita quod antiquior doctor proponit questionem illam, iunior autem respondet ad eam, quod ideo premisi quia homines in hac uita presenti sunt sicut uniuersitas scolarium in |162va| studio Parysiensi. Unde in Actibus (16, 28) : *uniuersi hic sumus*, quasi dicat : de uniuersitate hac sumus. Prodolor, uniuersitas ista est notabile deteriorata. *Uniuersa enim uanitas omnis homo uiuens dicit* Ps. (38, 6). Studium huius uniuersitatis est adeo deterioratum, quasi *a maiori usque ad minorem omnes auaritie student, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum*, Ie. VI (13), et Ps. (13, 1) dicit quod *corrupti sunt et abhominabiles facti sunt in studiis suis* etc. Qui studet in libro corrupto ut corrigat eum ad exemplar ad bonum et emendatum, talis multum proficit in studio libri corrupti ; set qui studet in libro corrupto, non ut eum corrigat, set ut hiis que legit assentiat et adhereat, talis non proficit, ymmo turpiter errat. Liber corruptus et defectuosus est cor hominis. « In corde tuo quasi in libro scribe<sup>2</sup> ». Audeo dicere quod in mundo non est liber in cuius studio homo possit tantum proficere sicut in libro proprie consciencie. Dicit Hugo, primo libro de anima<sup>3</sup>, capitulum IX, quod « melior est qui se ipsum cognoscit quam qui se neclecto cursus syderum, uires herbarum, complexionones hominum, naturas hominum, naturas animalium celestium omnium et terrestrium scienciam haberet. Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt cum tamen summa philosophia sit cognitio sui. » Ecce patet ex dicto Hugonis quod studium summe proficium et ualde utile est studere in libro proprie consciencie, quod est intelligendum quando homo in eo studet ut eum

---

<sup>1</sup> aliqui] aliquis P.

<sup>2</sup> CAO, 4, 6143, Dom. IV Quadragesimae.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Consideratio sui AF (Hugo libro 1 de anima capitulo 9).



corrigit, ut uitia defleat et |162vb| uirtutes inserat<sup>1</sup>. *Reuertatur unusquisque a uia sua mala et dirigite uias uestras et studia uestra*, Ie. XVIII (11). Set qui student in libro consciencie, non ut eum corrigant set ut hiis que legunt<sup>2</sup> assentiant et adhereant, hoc est dictum : qui peccata propria rememorant et recolligunt, non ut ea defleant set approbent ut eis complacent, tales non proficiunt, ymmo turpiter errant. De talibus dicitur : *corrupti sunt et abhominabiles facti sunt in studiis suis* (Ps. 13, 1). Utinam ex quo studentes sumus quilibet nostrum faceret sicut facit clericus studiosus, quando de capite proprio librum aliquem compilauit. Dicas ut in sermone precedenti, et addas quod dicit Hugo, libro II de anima<sup>3</sup> : « Consciencia, inquit, est liber signatus et clausus in die iudicii aperiendus. » In Dan. (7, 10) : *iudicium sedit et libri aperti sunt*. Hoc modo studebat Paulus qui dicebat<sup>4</sup>, Act. XXIII (16) : *in hoc ipse studeo conscienciam sine offendiculo habere ad Deum et ad homines semper*. Habeo ergo quod homines in hac uita presenti sunt sicut uniuersitas scolarium in studio Parysiensi. In hac uniuersitate ad Natiuitatem filii Dei numquam fuerat aliquod principium theologie. Theologia dicitur a theos, quod est Deus, et logos, quod est uerbum uel sermo. Antequam ergo fuerat aliquod principium theologie, quia logos uel uerbum Dei numquam habuerat principium diuinationis sue, ymmo erat principium et finis omnis creature, set tunc fuit primum principium theologie in hoc studio<sup>5</sup>, quando in aula |163ra| uteri uerginalis homo incepit esse Deus et Deus incepit esse homo. *Ego primus et ego nouissimus et ante me non est Deus*, in Ysa. (44, 6). Potest dicere Christus uerissime quod numquam aliqui<sup>6</sup> magister incepit in theologia nec alias incipiet nisi ipse. *Magister noster unus est Christus* (Matth. 23, 10). Propter illud principium theologie quo Deus incepit esse homo et e contrario in aula uteri uerginalis fuit uentilata questio una inter doctores antiquos et nouos, Veteris et Noui Testamenti, ita quod antiquus et sollempnis Salomon, Prou. XXX (4) proposuit questionem talem quod nomen *eius et quod nomen filii eius si nosti*. Ad hanc questionem respondet doctor nouus euangelista Mattheus dicens uerba primo proposita (1, 18) : *mater Ihesu Maria*.

[Division] In qua responsione doctor ille ponit tria ualde mirabilia et alias inaudita. Primo enim ponit in uirgine uentrem fecundum, *mater*. Secundo in origine, patrem secundum<sup>7</sup> *mater Ihesu*, *mater* scilicet Saluatoris mater patris. Tertio in caligine lumen iocundum, *Maria*<sup>8</sup>. Ubi aduertendum quod cum in ordine originis pater sit prior filio, filius secundus a patre, mater prior filia, filia secunda a matre, in Natiuitate filii Dei mutatus est ordo, quia pater omnium per creationem factus est filius filie per generationem, filia etiam facta est mater patris et ideo pater qui ordine originis solet esse primus factus est secundus. Dixi ergo quod primo ponit in uirgine uentrem fecundum, *mater* inquit.

<sup>1</sup> inserat] Ie. *add. P.*

<sup>2</sup> legunt] *allegant P.*

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Consciencia P (Hugo libro 2 de anima capitulo 9).

<sup>4</sup> dicebat] *studebat P.*

<sup>5</sup> studio] *studeo B.*

<sup>6</sup> aliqui] *aliquis P.*

<sup>7</sup> secundum] *ibi P.*

<sup>8</sup> tertio – *Maria om. B.*

Secundo in origine patrem secundum<sup>1</sup>, *mater Ihesu*. Tertio in caligine lumen iocundum quia [163rb] Maria illuminatrix et illuminata<sup>2</sup>. Hodie enim *habitantibus in regione umbre mortis lux orta est eis* (Is. 9, 2).

[I] De primo nota quod quamuis illud sit ualde mirabile, habet tamen quantum ad aliquid simile in operibus nature. Quando enim flores cadunt de arbore, antequam fructus formetur, ortolanus illo anno<sup>3</sup> de arbore fructum non sperat, de arbore fructum non exspectat, set quando flores manent in arbore, quousque sit fructus sic bene formatus, tunc ortolanus de fructu sperat, tunc de arbore fructum exspectat. Arbor fructifera est mulier uel uxor fecunda. *Uxor tua sicut uitis habundans*, Ps. (127, 3). Fructus huius arboris est fetus uentris set flos arboris est candor uirginitatis, ergo fructus cum flore in arbore est fecunditas cum uirginitate in muliere. Ante partum uirginis mundus erat quasi ortolanus exspectans fructum de arbore nasciturum, exspectans natiuitatem illius quo solo et nullo alio est fruendum. Agricola patienter exspectat fructum, dicit quod<sup>4</sup> fructus ille fuerat nobis sub iuramento promissus. Ps. (131, 11) : *iurauit Dominus etc. De fructu uentris tui ponam super sedem tuam*. Fructum illum ortolanus non sperabat, mundus non exspectabat de aliqua arbore nisi de illa in qua similis esset fructus cum flore, fecunditas cum uirginitate. Tale enim fuerat Ysa. (7, 14) uaticinium : *ecce uirgo concipiet et pariet filium*. Talis arbor fuit sola Maria. Omnis enim alia mulier, antequam fructus uel fetus [163va] formetur in uentre, perdit florem uirginitatis sue. *Corrupta est mater Eua uiolata genitrix tua* in Can. (8, 5). Set hoc in Maria fuit singulare quod uirtute Spiritus Sancti fructus formatus est in uentre eius manente flore uirginitatis. Ideo sibi soli dictum est : « Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus uentris tui ». Habemus ergo quantum ad aliquid simile in operibus nature ut, sicut uidemus simul in arbore florem et fructum, sic credamus in uirgine uentrem fecundum ; hanc similitudinem ponit Sap. Eccli. XXIII (23) loquens in persona Marie : *ego*, inquit, *quasi uitis fructificaui suauitatem odoris et flores mei fructus honoris et honestatis*. Ego fructus cum flore uirginitatis ; statim sequitur (24, 24) : *ego mater pulcre dilectionis et timoris et agnitionis et sancte spei*, quasi dicat : ego sum arbor illa de qua ortolanus fructum sperauit. Et uidete quam fecundus fuit uterus uirginalis, quam preciosum fructum attulit nobis. In fructu bone arboris sunt ista quatuor : sapor, odor, color et ualor. Hec uero habuit, et habet fructus uteri uirginalis primo saporis dulcedinem allicientem affectum : *ego mater pulcre dilectionis*, odoris fortitudinem incutientem metum : et *timoris* ; coloris pulcritudinem illustrantem aspectum : *et agnitionis* ; ualoris plenitudinem releuantis defectum seu releuantem defectum, *quia sancte spei*, spes enim eleuat.

[a] Circa primum nota quod sal de se insipidum et amarum, utpote de aqua maris amara uirtute solis formatum, appositum cibus insipidis [163vb] dat eis dulcedinem saporis, in tantum quod

<sup>1</sup> secundum] fecundum B.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>3</sup> illo anno] anno illo B.

<sup>4</sup> quod om. B.

omnis cibus sine sale est insipidus. Spiritualiter Maria dicitur quasi amarum mare<sup>1</sup> ; nec immerito quia sicut mare est mater aquarum : *unde omnia flumina intrant mare* (Eccle. 1, 7), sic Maria est mater gratiarum. *Ignorabam quoniam omnium horum mater est*, Sap. VII (12). In conceptione filii Dei *omnia flumina gratie intrant*, Cor. I (Eccle. 1, 7), corpus Marie. *Congregationes aquarum appellauit Maria* in Gen. (1, 10). Sic habemus maris<sup>2</sup> sal et<sup>3</sup> significat sapientiam. Sal ergo formatum de aqua maris, uirtute solis, est filius Dei qui est sapientia patris formatus de purissimis sanguinibus Marie, uirtute Spiritus Sancti. *In uentre matris figuratus sum caro*, Sap. (7, 1). Sal illud dat omnibus cibus saporem dulcedinis. Sicut enim sine sale cibus non sapit, set sal dat cibo dulcedinem saporis, sic propter Deum omnis creatura est diligibilis, sine eo creatura non habet pulcritudinem dilectionis<sup>4</sup> seu rationem diligibilis, ymmo dilectio creature sine dilectione Dei est turpis et non pulcra dilectio. Iterum sal illud amarum dat cibus amarum saporem dulcedinis, quia cogitanti amaritudines quas Christus pro nobis sustinuit et feruenter diligenti, omnis amaritudo penitentiae et tribulationis dulcescit. Nullus sapor tantum dilectat gustum uel tantum dilectat et dulcorat affectum sicut dilectio Dei. *Unum et musica letificant cor super utraque autem dilectio sapientie*, Ecc. XL (20). Ratio est quia febricitanti<sup>5</sup> et multum estuanti<sup>6</sup> melius sapiunt potus acetosi et fructus [164ra] acerbi. Dilectio deponit hominem quasi in langore et estu febrili in Can. (5, 8) : *nuntiate dilectio quia amore languet*. Languor amoris est fortissimus et estus febrilis uehementissimus. Can. VII (8, 6-7) : *pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachia tua quia fortis ut mors dilectio, dura ut inferus emulatio lampades eius lampades ignis atque flammularum non poterant<sup>7</sup> extinguere caritatem nec obruent illam*, cordi languenti et ostuanti dulcedinem Dei. Omnis potus amarus, omnis fructus acerbus penitentiae et tribulationis dulcescit<sup>8</sup> breuiter, nichil est graue, ymmo omnia sunt leuia et dulcia diligenti. Can. VIII (7) : *si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione quasi nichil est, despiciet eam*. Figuram ad ista habemus III Reg. (2, 19) ubi populus ciuitatis dicebat ad Helyseum : *habitatio ciuitatis huius optima est set aque pessime sunt et terra sterilis*. Tunc dixit Helyseus (2, 20-21) : *affer mihi uas nouum et mitte in illud sal. Quod cum attulissent et misisset in aquas dixit : Sanam has aquas et non erit ultra mors neque sterilitas*. Expone figuram ut alibi in sermone *Receptum est uas in celum*, et concludere finaliter quod uas nouum in quo dulce amarum fit et amarum dulcescit<sup>9</sup> est Maria, in cuius utero celestis dulcissimus filius Dei contraxit amaritudines nostre infirmitatis et passibilitatis, et e contra cor amaricatum in ea inuenit dulcedinem consolationis [164rb] et cor temptatum

---

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> maris] mare P.

<sup>3</sup> et om. B.

<sup>4</sup> dilectionis] dilectationis exp. B.

<sup>5</sup> febricitanti] febricitati P.

<sup>6</sup> estuanti] estuantis B.

<sup>7</sup> poterant] potuerat B.

<sup>8</sup> dulcescit] dulcessit B.

<sup>9</sup> dulcescit] dulcessit B.

dulcedinem deuotionis. Legimus<sup>1</sup> enim de ea quod dum Maria adhuc uiueret, relucebat in facie eius quedam pulcritudo talis uirtutis quod quicumque temptatus de aliquo turpi attente uultum eius respiciebat, statim turpis temptatio recedebat. Bene ergo dicitur (Ecci. 24, 24) : *mater pulcre dilectionis*, fugans a corde turpitudinem male affectionis. *Tota pulcra es amica mea et macula non est in te* (Can. 4, 7).

[b] Secundo fructus uteri uirginalis odoris fortitudinem incutientem metum, *mater timoris*. Legitur de quodam animali quod uocatur panthera<sup>2</sup> quod propter nimiam eius pulcritudinem libenter conuersantur cum eo animalia munda set propter eius bonum odorem fugiunt animalia uenenosa. Quamuis autem panthera habeat residuum corporis ualde pulcrum, caput tamen habet adeo terribile quod quando caput erigit, cetera animalia nimis timent nec audent ipsum respicere. Quid ergo facit uolens cum ceteris animalibus conuersari ne terreat ea nimis ? Caput suum inclinatur et abscondit. Spiritualiter panthera in cuius aspectu et coniunctu delectantur animalia munda et cuius odorem fugiunt animalia uenenosa, filius Virginis est in cuius amore et coniunctu delectantur summe corda deuota et munda et cuius amor fugat uitia et expellit peccata. Ecci. primo (27) : *timor Dei expellit peccatum. Nam qui sine timore est non poterit iustificari* (Eccli. 1, 28). Animal aliquod adeo est pulcrum [164va] et delectabile ad uidendum quod cuncti reges terre desiderabant uidere faciem Salomonis. *Et ecce plus quam Salomon hic* (Mt. 12, 42), in cuius<sup>3</sup> uisione consistit tota merces sanctorum, set tamen caput habet ita terribile quod quando erigit caput suum, quando ostendit se iudicem et capitaneum quilibet timebit, uix erat qui audeat respicere eum. Ps. (101, 16) : *timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terre gloriam tuam*. Sap. V (2) : *uidentes turbabuntur timore horribili*. Quid ergo fecit in primo aduentu suo uolens cum hominibus conuersari ? Juxta illud (Baruch 3, 38) : *post hoc in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est ?* Caput sue maiestatis adeo inclinatur et abscondit quod *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens* etc. (Phil. 2, 7). Bene caput inclinatur et abscondit, quando inclinatus est in gremio paupercule uirginis : *uere tu es Deus absconditus* (Is. 45, 15). *Ego, inquit, mortalis homo sum similis omnibus et in uentre matris figuratus sum caro* (Sap. 7, 1). Figuratus, non quidem<sup>4</sup> figura angulari quia ueritas que Deus est non querit angulos, set figura circulari in qua finis coniungitur suo principio, creatura Deo. *Egredimini et uidete filie Syon regem Salomonem indyademate qua coronauit eum mater sua* in Can. (3, 11). Salomon interpretatur pacificus<sup>5</sup>. Iterum interpretatur retribuens iniquis. Filius Dei in primo aduentu suo fuit Salomon pacificus, unde et tunc angeli cantauerunt (Luc. 2, 14) : *in terra pax hominibus* etc. Set in secundo aduentu erit Salomon retribuens iniquis. *Timete eum qui postquam occiderit habet* [164vb] *potestatem mittere in gehennam* (Luc. 12, 5). Unde hoc quod homines hodie non timent Deum

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> Exemplum 17.

<sup>3</sup> cuius] eius B.

<sup>4</sup> quidem] quidam B.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 138.

nec per consequens fugiunt peccatum, *per timorem enim Dei declinat omnis a malo*, Prou. XV (16, 6), causa est quia non respiciunt caput terribile panthere, non recogitant futurum Dei iudicium. *Non est timor Dei ante oculos eorum* (Ps. 35, 2). Vel si recogitant non credunt. Qui uidet sagittarium depictum in pariete uel hostem cum arcu<sup>1</sup> suo depicto, nichil timet nec dimittit ad parietem accedere quia scit ad sagittandum : statim a facie arcus<sup>2</sup> fugeret et nullo modo accederet. Scriptura loquens peccatoribus dicit (Ps. 7, 13) : *nisi conuersi fueritis gladium suum uibrauit arcum suum tetendit* etc. Nota de arcu<sup>3</sup> quod habes alibi si uis. Ergo qui crederet scripturam ueram esse timeret et fugeret a facie arcus, nullo modo ad peccatum accederet. Ps. (59, 6) : *dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus*<sup>4</sup>. Signum est ergo quod homo non credit quod scriptum sit nisi sola pictura, ex quo ad peccatum accedit. Sic patet quod uolens peccatum fugere, debet timorem Dei ante oculos mentis habere. *Qui enim timet Deum et qui continens est iustitie apprehendet illam et obuiabit illi quasi mater honorificata* (Eccli. 15, 1-2). Iustitia obuiabit aliquibus sicut mater cum uirga correctionis, illis scilicet quos flagellat in uita presenti. Aliis autem obuiabit sicut inimica, non ad corrigendum set ad exterminandum. Utrumque modum [165ra] considerans Gregorius<sup>5</sup> dicebat : « Dum intueor Iob sedentem in sterquilinio, Iohannem esurientem in heremo, Petrum suspensum in patibulo, huic considero quantum Deus puniet quos reprobat, qui sic in presenti flagellat quos amat. » Est ergo Maria mater non solum pulcre dilectionis set etiam timoris. Rogemus Dominum dicentes collectam<sup>6</sup> illam deuotam : « Sancti nominis tui Domine pariter et amorem ». Quod nobis concedit.

---

<sup>1</sup> arcu] archu B.

<sup>2</sup> arcu] archu B.

<sup>3</sup> arcu] archu B.

<sup>4</sup> arcus] archus B.

<sup>5</sup> *Manipulus florum*, Tribulatio AC (Gregorius in quadam homelia).

<sup>6</sup> Corpus orationum, SL 160G, n° 5346.

## SERMON 72

Nativité de la Vierge.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 165ra-166vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 14vb-16ra.

F. 165ra : *Maria mater Ihesu* in Mat. (1, 18).

Tota die uentilatur questio inter theologos utrum magistris uel doctoribus conferatur aliquod spirituale lumen altius lumine fidei quo communiter illuminantur fideles, et sine dubio si uerum esset quod conferatur<sup>1</sup> eis aliquod tale lumen, uerissimile est quod tunc infunderetur, quando ipsi primo incipiunt magistrari. Unde quia magistri in theologia communiter Parysius incipiunt in aula beate Virginis, si aliquod eis tale lumen infunditur, probabile est quod infunditur in principio illo quod tenetur in aula. Ante natiuitatem Ihesu Christi in utero Virginis numquam fuerat aliquod principium in theologia. Logos enim uel uerbum Dei numquam habuerat principium sue durationis, set primo fuit principium theologie, quando in aula uteri uirginalis Deus incepit esse homo et homo incepit esse Deus, Ysa. XLIII (44, 6) : *ego primus et ego nouissimus et absque me non est Deus*. Potest dicere Christus quod numquam aliquis magister in theologia nec alias incipiet nisi ipse. *Magister uester unus est Christus* (Mt. 23, 10). Si ergo queritur utrum in hoc principio fuerit infusum aliquod nouum lumen ultra cursum communem, respondeo quod<sup>2</sup> sollempniter hanc questionem inuenio determinatam a multis doctoribus theologis antiquis et nouis, ueteris etiam et noue legis. Sapientissimus ille doctor Salomon, Sap. VI (6, 24), expresse<sup>3</sup> posuit illud lumen ab initio Natiuitatis dicens sic : *ponam in lucem scientiam illius*. Ecce bene nouum et alias inauditum que ab initio Natiuitatis sue Christus habuit lumen scientie plenissime et perfecte. Iterum hanc questionem determinat alius doctor antiquus Daudid propheta qui dicit (Ps. 109, 3) : *tecum principium in die uirtutis tue in splendoribus sanctorum*. Splendores sanctorum sunt splendor luminis et gratie in uia et splendor glorie in patria quorum utroque fuit Christus illustratus a principio Natiuitatis sue. Illud fuit etiam bene nouum. Set ultimo inuenio hanc questionem determinatam expresse a nouo doctore theologo euangelista Matheo qui expresse innuit in euangelio hodierno quod principium theologie, quo Ihesus incepit in aula uteri materni, fuit priuilegiatum quodam lumine singulari, quia *mater eius fuit Maria* (Mat. 1, 18) illuminatrix uel illuminata<sup>4</sup> et uidetur doctor iste in determinatione sua ponere triplex lumen. Primo lumen inclusum, *mater*, lumen diffusum, *Ihesu*, lumen infusum, *Maria* illuminata.

Primo ponit lumen inclusum, *mater*. Ratio positionis sue est ista : diffinitum numquam est sine diffinitione sua. Modo figura sic diffinitur. Figura est que termino uel terminis |165va| clauditur.

<sup>1</sup> conferatur] conferetur B.

<sup>2</sup> respondeo quod] et B.

<sup>3</sup> expresse] expresso B.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

Numquam ergo est figura nisi sit terminis inclusa. Adhuc igitur ut *splendor glorie sit figura substantie eius* (Hebr. 1, 3), ut lumen diuinitatis figuraretur seu poneretur in figura nostre humanitatis, oportuit in figura terminos uel limites materni termini claudere. Hoc factum est uirgo Dei genitrix. Quando ille quem totus orbis « non capit, intra se clausit uiscera factus homo<sup>1</sup> ». Ecce ratio quare ponit lumen inclusum et exemplum sensibile est ad hoc quia lumen radii solaris inclusum in domo, utpote transiens per fenestram usque ad parietem, accepit eandem figuram cum figura fenestre per quam transiit, ita quod si fenestra fuerit triangularis, quadrata uel circularis, lumen radii solaris figuram eandem uel similem habebit. Radius precedens a sole intrans domum est filius Dei qui dicit de se<sup>2</sup> ipso (Io. 16, 28) : *exiui a patre et ueni in mundum*. De quo dicit Apostolus ad Hebr. (3, 6) : *Christus<sup>3</sup> in domo sua tamquam filius que domus sumus nos*. Fenestra uel porta per quam radius iste intrauit domum que sumus nos, domum humane habitationis, fuit uterus uirginalis, ista est porta sanctuarii de qua dicitur Eze. XIII (44, 2) : *porta hac clausa erit et non aperietur et uir non transiet per eam* quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam et radius solis transiens per hanc portam similem figuram, formam scilicet humanam, assumpsit. Sap. VII (1) dicitur : *sum [165vb] quidem et ego mortalis homo similis omnibus et in uentre matris figuratus sum caro*. Figuratus, non certe figura angulari quia ueritas que Deus est non querit angulos, set figura circulari in qua coniungitur finis principio, creatura Deo. Vultis ergo scire cuius figure et habitus est uir ille qui occurrit uobis ? Ecce quid dicitur in Can. (3, 11) : *egredimini et uidete filie Syon regem Salomonem in dyademate qua coronauit eum mater sua*. Ista est mater in cuius persona dicitur (Eccli. 24, 24) : *ego mater pulcre dilectionis et timoris et agnitionis et sancte spei*. Dilectio et agnitio pertinent ad partem anime rationalem<sup>4</sup> que continet intellectum et affectum. Ipsa ergo fuit simul *mater pulcre dilectionis et agnitionis*, retrahens affectum a turpi amore mundanorum et abstrahens intellectum in contemplatione diuinorum. *Egredimini et uidete filie Syon* (Can. 3, 11), mater timoris terrenis et concutiens<sup>5</sup> irascibilem ad metum iudiciorum. *Regem Salomonem*. Salomon interpretatur retribuens iniquis<sup>6</sup>, *mater sancte spei* (Eccli. 24, 24), mouens et alliciens concupiscibilem ad appetitum premiorum. *Indyademate* etc. Spes respicit premium sicut timor iudicium. Fuit ergo *mater pulcre dilectionis*. Ad litteram narratur de ea quod quia ipsa erat lucerna in qua fuerat clausum lumen diuinitatis, relucebat in facie eius quedam pulcritudo tanta et tante uirtutis quod quicumque temptatus de aliquo turpi [166ra] et uili peccato aspiciebat in eam, et multo magis in faciem Christi filii sui, solo aspectu faciei sue turpis affectio, turpis temptatio recedat ab eo. Ergo bene *mater pulcre dilectionis*. *Tota pulcra es amica mea* (Can. 4, 7). Iterum quod tunc fiebat aspicientibus eum uel eam oculo<sup>7</sup> corporali adhuc hodie fit aspicientibus in eos oculo

<sup>1</sup> Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Assumptione beatae Mariae*, 1, 3 (SBO, V, p. 230).

<sup>2</sup> *se om. P.*

<sup>3</sup> Christus] psalmus P, B.

<sup>4</sup> rationalem] rationem P.

<sup>5</sup> concutiens] concusciens P.

<sup>6</sup> *Non inueni.*

<sup>7</sup> oculo] uel *exp. P.*

mentali, ut ergo a uicio reuocetur affectus, debet in eius contemplatione eleuari noster aspectus. *Egredimini ergo* ab exteriori occupatione mundanorum, *et uidete filie Syon*. Contemplamini seu speculamini altitudinem diuinorum sicut specula. Specula que ponuntur in superiori parte domus uel castris significant rationem que est superior pars hominis, et rationem non inferiorem que intendit temporalibus<sup>1</sup> administrandis, set superiorem que consulit leges eternas et intendit diuinis inspiciendis. Filii ergo Syon sunt uiri contemplatiui, precipue religiosi, et ibi uocantur filii Syon uel filie, non serui uel ancille. Legimus enim in Gen. XVII (15) quod Abraham et Sara matrimonio coniuncti quandoque uocati sunt Abraham et Saray, sicut habes in sermone<sup>2</sup> beati Benedicti et concludas sic, ut *non scitis* ancille filii set libere *que sursum sunt sapite non que super terram* (Col. 3, 1). *Illa enim que sursum est libera est que est mater nostra* (Gal. 4, 26). Inter alios religiosos predicatorum quadam singulari prerogatiua gloriantur se esse filios beate Virginis et merito, quia ipsa fuit mater Christi [166rb] dando sibi habitum nostre humanitatis. Ita est mater ordinis dans nobis habitum nostre religionis et itaque *fratres non sumus ancille filii set libere* (Gal. 4, 31). Vere quamdiu habundauit Abraham in littera et aspiratione et defecit Sara in littera, tamdiu habundauit ordo in deuotione et litteratura<sup>3</sup> quantum ad intellectum, tamdiu sunt filii obedientie, tamdiu sumus filii libere. Potuit dici : *liberi facti sunt filii* (Mt. 17, 25). Set heu timeo quod hodie sit uerificatus pro nobis planctus Ieremie dicentis : *egressus sum a filia Syon, omnis decor eius* (Lam. 1, 6). Ordinis fuit studium et iam me Syon, id est scolares lugent, eo quod non sit qui ueniat. *Filii Syon incliti et amicti auro primo quomodo reputati sunt in uasa testea opus manuum figuli* (Lam. 4, 2). Expone : non sic hominum, set sumus tales quod cuilibet nostrum et de quolibet possit dici illud Io. (19, 26) : *mulier dicatur beate Virgini, ecce filius tuus*, deinde discipulo, *ecce mater tua*.

Secundo fuit mater timoris terrens etc. : *Regem Salomonem*. Salomon interpretatur retribuens iniquis uel pacificus<sup>4</sup>. Nota quod legitur de quodam animali panthera quod propter pulcritudinem suam alia animalia libentissime conuersantur cum eo, set propter bonum odorem fugiunt eum animalia uenenosa. Habet tamen caput ita terribile quod alia animalia nimis timent nec audent eum respicere. Unde quando uult cum aliis conuersari, inclinatur et abscondit aliquantulum [166va] caput suum. Nota quod facies Christi adeo plene est gratiarum quod cuncti *reges terre desiderabant uidere faciem Salomonis* (2 Paral. 9, 23), *et ecce plus quam Salomon hic* (Mt. 12, 42), set ante natiuitatem ipse habuit caput adeo terribile quod *non uidebit me homo et uiuet* (Ex. 33, 20). Nunc autem conuersaretur ipse : adeo inclinatur et humiliatur caput sue maiestatis *quod exinaniuit semet ipsum* etc. in natiuitate sua. Ergo ostendit se tamquam Salomonem pacificum. *In terra pax hominibus bone uoluntatis* (Luc. 2, 14). Set in finali resurrectione ad terrendum in malos eriget caput suum, tunc ostendet se iudicem et capitaneum. Nullus ergo tamen presumat de misericordia uel clementia Salomonis pacifici

<sup>1</sup> temporalibus] temporibus P.

<sup>2</sup> Sermon 49.

<sup>3</sup> litteratura] litteramur P.

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 138.



quin tamen homo timeat potentiam regis Salomonis, iustitiam Salomonis retribuētis iniquis. *Qui enim timet Deum faciet bona et qui continens est iustitiae apprehendet illam et obuiabit illi quasi mater honorificata* (Eccli. 15, 1-2).

Tertio fuit *mater sancte spei*. Spes enim respicit celsitudinem et certitudinem premiorum. *In dyademate* etc. Ante incarnationem filii Dei corona glorie nondum adhuc fuerat fabricata. *In omnibus istis nemo portabat dyadema*, primo Mach. VIII (14). Dyadema enim uel corona non est circulus mathematicus set est circulus talis materie, puta auro uel argento applicatus. Modo circulus mathematicus numquam nisi in sensibili materia reperitur. Ante incarnationem uerbi [166vb] Deus erat circulus mathematicus cuius centrum ubique et circumferentia... Numquam enim numerus mathematicus uocatur numerus numerans. Numerus autem numeratus est numerus, non sensibili applicatus. Sic figura mathematica est figura figurans, figura figurata est materie applicata. Deus erat figura figurans cuilibet rei formam et figuram tribuens, circulus omnia circuens<sup>1</sup>. Set tunc fuit ille primo circulus figuratus quando in utero matris fuit nostre nature humane unitus, in figura humana protractus. *In uentre matris figuratus sum caro*, Sap. VIII (7, 1). Dyadema regni seu corona glorie primo fuit fabricata in utero uirginis gloriose. *In die illa erit Dominus exercituum corona glorie et sertum exultationis residuo populi sui*, Ysa. XXVIII (5). *Omnis corona glorie in manu Domini et dyadema regni in manu Dei tui*, Ysa. (62, 3). In signum huius in die natiuitatis dominice apparuit circa solem circulus aureus uel corona, in medio circuli uirgo pulcherrima tenens puerum in gremio. Nota totum ; nec mirum quia sicut circa solem materialem, ubi omnes radii conueniunt et concurrunt, apparet quedam claritas ad modum corone uel circuli luminosi, non sic ubi radii solis sunt diuisi et dispersi. Sic applica etc.

---

<sup>1</sup> circuens] tribuens B.

## SERMON 73

Nativité de la Vierge.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 166vb-168rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 57vb-59ra ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 187r.

F. 166vb : *Noua lux oriri uisa est*, Hest. VIII (16).

Consuetudo est altera a natura, sicut ab homine faciliter auferri non potest quod habet ex [167ra] inclinatione nature : quod natura dedit, tollere nemo potest. Sic nec potest ab eo faciliter tolli quod habet ex consuetudine, a coustume de longe teneure. *Si potest Ethiops mutare* etc. (Jer. 13, 23). Propter hoc pape et patres antiqui<sup>1</sup>, uidentes quod malas consuetudines a tempore infidelitatis introductas in populo iam fideli totaliter auferre non possent, subtiliabant se qualiter durante consuetudine possent eam in bonum conuertere, uerbi gratia de festo quod sollempnizat ecclesia prima die augusti in honore principis apostolorum Petri in uinculis<sup>2</sup>, quod prius fiebat in honorem imperatoris gentilis dampnati. Narra hystoriam sicut uis. Hoc ergo documentum habemus a patris<sup>3</sup> antiquis quod consuetudo mala, que non potest auferri, debet in bonum conuerti. Hoc ideo dixi quia mala consuetudo aliquorum ex infidelitate primitus introducta est ista quod quando est noua luna, quando uident le cressaunt, flectunt genua, salutant, adorant, petunt auxilium ab ea. Illud ex infidelitate illorum processit, de quibus Sap. XIII (2) dicit : *solem aut lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt*. Hanc malam consuetudinem possumus hodie in bonum conuertere. Scriptura enim et sancti beatam Virginem comparant lune, *pulcra ut luna*, Can. (6, 9). Si ipsa est luna, secure possum dicere quod est hodie noua luna. Possum bene dicere quod hodie uideamus nun pas le cressaunt mes le nessaunt Virginis Marie que [167rb] luna uocatur. *Noua lux oriri uisa est*. Ergo malam consuetudinem conuertamus in bonum. Indigemus nunc auxilio, non petamus a luna<sup>4</sup> que non potest dare set a Maria illuminata et illuminatrix<sup>5</sup>. Salutemus nun pas le cressaunt, set uirginem Mariam in die de soun nesaunt et qualiter salutabimus eam, eque libenter uel libentius respiciunt homines le cressaunt et equale uel maius festum faciunt sicut de plena luna. Ergo salutabimus Mariam eque sollempniter et eodem modo in die nouilunii sicut salutauit eam angelus in die Annuntiationis, quando fuit luna plena et dicamus cum angelo : *auē* etc.

*Noua lux* etc. Nota quod Deus, quando primo mundum creauit, *fecit duo magna luminaria*, Gen. I (16), quorum officium fuit diuidere noctem a die et e contrario. *Fiant luminaria in firmamento celi ut diuidant diem et noctem* (Gen. 1, 14). Set numquam legitur pro tempore illo quod fecit aliquod

<sup>1</sup> Exemplum 16.

<sup>2</sup> in uinculis] et Pauli P, B.

<sup>3</sup> patris] patribus P.

<sup>4</sup> luna] mali add. P.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

luminare quod posset noctem diei reunire. Illud esset bene nouum et mirabile ualde. Tale tamen luminare futurum predixerat, Ysa. (58, 10) : *orietur in tenebris lux tua et tenebre tue erunt sicut meridies*. Antiqua duo magna luminaria fuerunt Adam et Eua quibus Deus a principio tantam habundantiam luminis gratie contulit quod bene poterant luminaria magna dici. *Fecit Deus duo magna*, Gen. I (16). Illi duo posuerunt diuisionem et dissensionem propter peccatum suum [167va] inter diem et noctem, claritatem scilicet diurnitatis et obscuritatem nostre humanitatis, inter Deum et hominem. *Iniquitates nostre diuiserunt inter uos et Deum nostrum* (Is. 59, 2). Hic nota quomodo multi bene de facto ostendunt quod sint filii Ade et Eue quia totum studium eorum est renouare<sup>1</sup> discordias et diuisiones facere, precipue si sunt duo magna luminaria, due persone magne et nobiles in uno collegio uel communitate, quia quilibet uult preesse. Ipsi ponunt totum collegium in dissensione et ad litteram officium luminarium fuit<sup>2</sup>, *ut preessent diei et nocti et diuiderent lucem ac tenebras*, Gen. III (1, 18). Nusquam legitur quod pro toto tempore Veteris Testamenti Deus fecerit aliquod luminare quantumcumque magnum, siue fuerit patriarcha siue propheta, quod potuerit predictam dissensionem inter Deum et hominem cedare, diem nocti reunire neque ad natiuitatem beate Marie, set in ipsa completum est uaticinium, Ysa. (58, 10) : *orietur* etc. Ipsa enim Maria que interpretatur illuminatrix uel illuminata<sup>3</sup>, licet in tenebris peccati originalis fuerit concepta, tamen ortu suo, ymmo diu ante ortum fuit sanctificata et illuminata ut dicamus de ea : *lux in tenebris lucet*, Io. (1, 5). Ideo per eam fuit uox Dei reunita, quia in eius utero humanitas diuinitati coniuncta, due nature in una persona. Iterum ipsa est per quam nox diei reunitur, per quam scilicet peccatores Deo reconciliantur. Ad differentiam ergo antiquorum luminarium que fuerunt facta a principio [167vb] creationis et causa diuisionis, Maria in uerbo thematis clamat<sup>4</sup> anticum Ysaie uaticinium hodie adimpletum cum dicit : *noua lux oriri uisa est*. Et uidete enim sicut mundus gaudet et festum facit de luna noua, iactat se quilibet et dicit : ego uidi le cressaunt. Ita ecclesia festiuat hodie de luce nouiter orta, iactat se et clamat in uerbo proposito quod uidit nun<sup>5</sup> pas le cressaunt mes la nouele lumiere en soun nessaunt. *Noua luna* etc. et uide tres mirabiles nouitates in natiuitate Marie. Primo clarté de iour per nuit et en temps descourre, *quia lux* fuit etiam antequam oriretur<sup>6</sup>; secundo noviau bourionere<sup>7</sup> en temps demeure, *noua oriri*, et tamen de matre que iam debuisset fecisse se portare uires que protulit ceo noviau bouriou<sup>8</sup> erat iam matura. Tertio en temps de desperacioun sertyne seurté, *uisa est*. Hec est preuisa sua natiuitas a parentibus pro tempore illo quo erant in maiori desperatione et deconsolatione.

<sup>1</sup> renouare] renuare P.

<sup>2</sup> luminarium fuit] fuit luminarium B.

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

<sup>4</sup> clamat] et add. P.

<sup>5</sup> nun] non B.

<sup>6</sup> oriretur] orietur B.

<sup>7</sup> bourionere] burgonere B.

<sup>8</sup> bouriou] buriou B.

Nota quomodo angelus post obprobrium sterilitatis eis obiectum utrique apparuit et de prole futura eos assecuravit.

De primo nota quando sic dies primo perpenditur uersus orientem, si nullum lumen in oriente appareat, signum est infallibile quod nondum adhuc est<sup>1</sup> dies, ymmo nox est. Esset ergo bene nouum, si antequam lux appareret in oriente, iam esset claritas [168ra] diei tanta sicut est in meridie. Hanc tamen nouitatem futuram predixerant prophete. *Nox sicut dies illuminabitur* etc., Ps. (138, 12). *Tenebre tue erunt sicut meridies* (Is. 58, 10). Hec nouitas, ista prophetia impleta fuit in Maria secundum communem cursum, antequam homo ueniat ad punctum orientis, id est natiuitatis sue. Totum tempus precedens est tempus noctis, toto illo fuit in nocte originalis peccati discensurus, si sic decederet in tenebras exteriores inferni. Set hanc nouitatem inuenimus nos in Maria quia ipsa procul dubio sancta fuit antequam nata, antequam appareret in oriente et ante fuerit lux et ita perfecte illuminata. Quod si comparemus claritatem gratie, quam ipsa tunc habuit, claritati et sanctitati aliorum sanctorum, etiam qui fuerunt sanctificati in utero sicut Ieremias et Iohannes Baptista, erit quasi lux meridiana respectu lucis matutine<sup>2</sup>. Ysa. XVIII (4) : *quiescam et considerabo in loco meo sicut lux meridiana clara est*. Si enim omnes sancti et sancte cum adhuc uiuerent interrogati fuissent, *si dixerimus quod peccatum non habemus* etc. (I Io. 1, 8). Verba sunt Augustini<sup>3</sup>. Ecce quod alii sancti sunt in meridie in medio uite, non habuerunt tantam claritatem luminis gratie que preseruaret eos saltem quin peccarent uenialiter, set de beata Virgine dicit Bernardus in epistula ad canonicos Lugduni<sup>4</sup> : « Ego puto quod copiosior sanctificationis benedictio quam in aliis sanctis ab utero sanctificatis in eam descendit que non solum ipsius ortum sanctificaret set et uitam ipsius deinceps ab omni peccato [168rb] immunem conseruaret. » Ecce ergo clarté de jour per nuit et en temps descource quia fuit lux meridiana antequam appareret in oriente. Item nota quod non solum hanc prerogatiuam habuit pre aliis in utero sanctificatis quia fuit habundantius illuminata, ymmo etiam quod citius sanctificata, que duo tangebatur Ysa. (58, 8) cum dicebat : *sanitas tua citius orietur*, et sequitur : *tenebre tue erunt sicut meridies*. Bene congrue datur ipsa intelligi per illam lucem de qua in Actibus (22, 6) dicitur : *media nocte subito de celo circumfulsit lux*. Expone sicut uis.

<sup>1</sup> adhuc est] est adhuc B.

<sup>2</sup> matutine] mutatine P.

<sup>3</sup> Non inueni.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Maria AG (Bernardus in sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 174 (ad canonicos lugdunenses), 5 (SBO, VII, p. 390).

## SERMON 74

Saint Michel et saints anges.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 168rb-169vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 9vb-11ra ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 187rv.

F. 168rb : *Angelis suis mandauit de te ut custodiant te*, Ps. (90, 11).

Auantagium magnum est ei qui habet aliquid mittere uel mandare ad curiam, quando inuenit paratum nuntium et precipue nuntium talem qui nouerit patriam et loquitur linguagium<sup>1</sup>. Fatuus esset si committeret nuntium suum portandum qui patriam nesciret et linguagium<sup>2</sup> ignoraret. *Claudus pedibus et iniquitatem bibens qui mittit uerba per nuntium stultum*, Prou. (29, 6). Iterum ille non est prudens qui differt mittere ad curiam quando habet ibi aliquid facere, ex quo inuenit nuntium conuenientem. Hoc ideo dixi quia deuota oratio non est aliud quam nuntius quidam quem mittimus ad curiam celestem. Modo uidetur mihi [quod] pro nuntio isto portando habemus modo messagiers davantage<sup>3</sup>, non unum tantum set totum collegium angelorum qui omnes sciunt patriam [168va]. Nec mirum quia in ea nati et nutriti [sunt]. *Angeli eorum in celis semper uident faciem patris mei* (Mt. 18, 10). Omnes sciunt linguam. Nec mirum quia bene didicerunt portare talem nuntium. Angeli enim nuntii sunt et est officium eorum portare coram Domino nuntium orationum nostrarum. *Habentes phyalas aureas plenas odorum que sunt orationes sanctorum* (Apoc. 5, 8) quas supplete offerunt in conspectu Dei. *Dirigatur oratio mea* etc. (Ps. 140, 2). Ex quo ergo habemus nuntios de auantagio et nuntios tales sicut angeli qui nouerunt patriam et locuntur linguam. Job XXXIII (23) : *si fuerit pro eo angelus loquens ut anuntiet hominis equitatem, miserebitur eius*. Fatui essemus si amplius differemus mittere ad curiam. *Hec dies boni nuntii est* (IV Reg. 7, 9). Angeli nuntii. Si tacuerimus et non anuntiauerimus sceleris arguemur. Ideo in principio sermonis per nuntios istos ad curiam regine mittemus<sup>4</sup> et presentabimus illud xenium<sup>5</sup> gratiosum quod portauit sibi nuntius regis celestis, quando ingressus ad eam angelus dixit *Aue*<sup>6</sup> etc.

*Angelis suis* etc. Jura uolunt et consuetudo hoc habet quod puero patre orbato orphano<sup>7</sup> quamdiu est minor annis soun saage princeps uel iudex prouidet de tutore, de tutour<sup>8</sup> et de garde. Quando enim puer minor annis non habet discretionem ad seipsum regendum nec est in statu terram suam tenendi, idcirco princeps prouidet sibi de tutore et rectore seu custode. Hoc ideo dixi quia

<sup>1</sup> linguagium] languagium B.

<sup>2</sup> linguagium] languagium B.

<sup>3</sup> davantage] devantage B.

<sup>4</sup> mittemus] Marie B.

<sup>5</sup> xenium] eusenium P.

<sup>6</sup> Aue] Maria ideo quilibet dicet Aue Maria *add. B.*

<sup>7</sup> orphano] orphanus P.

<sup>8</sup> tutour] tutur B.

[168vb] uidetur mihi quod quilibet nostrum, quamdiu uiuit in hac uita mortali, est puer orphanus et puer minor annis. Utrumque ostendo, primo quia puer minor annis. Quamuis enim puer mortuo patre statim sic habeat<sup>1</sup> et ius habeat in paterna hereditate, ius tamen uel consuetudo statuerunt terram infra tempus statutum quam et non ante puer debet ad tenendam terram uenire toto tempore preterito puer fuit minor annis. Modo sic est quod omnia bona mundi sunt mobilia, in hoc mundo nichil possidemus<sup>2</sup> proprie iure hereditarie. *Non habemus hic manentem ciuitatem* (Hebr. 13, 14). Adeo sunt mobilia bone uite presentis quod nulla stabilitas est in eis. Modo est homo diues, statim efficitur pauper ; modo sanus, statim infirmus ; modo uiuus, statim mortuus. Hodie est rex, cras morietur. Breuiter nichil iure hereditario possidemus. Iterum in hereditate celesti nullum<sup>3</sup> ius habebamus ante mortem Christi patris nostri, set mortuo patre nostro statim sumus heredes regni celestis. *Heredes quidem Dei* etc. (Rom. 8, 17) et quamuis ex nunc sumus heredes tempus tamen statutum, antequam hereditatem tenere non possumus, scilicet finem uite presentis quia *non uidebit me homo et uiuet* (Ex. 33, 20). Si ergo puer est minor annis, quousque uenerit tempus quo debet terram tenere, possum bene dicere quod quilibet nostrum in hac uita presenti est puer minor annis. *Puer ego sum* (Jer. 1, 6).

Dixi secundo quod quilibet nostrum est orphanus, quod ostendo dupliciter. Primo quia ex quo mater remanet uidua, scilicet post [169ra] mortem mariti, restat ut pueri remaneant orphani. Mater nostra Ecclesia est, sponsus eius Christus. Qui habet sponsam sponsus est. Mortuo ergo Christo ecclesia remansit uidua et nos omnes filii eius manemus orphani. *Fiant filii eius orphani et uxor eius uidua* (Ps. 108, 9). Secundo quia hec est differentia inter puerum qui diu fuit orphanus et illum qui fuit semper sub cura et obedientia patris, quia ille qui fuit semper sub cura parentum, quando uenit ad hereditatem et ad terram tenendam, inuenit hereditatem suam in optimo statu, inuenit agros et uineas bene cultos, horrea et cellaria plena, maneria integra. Econtra ille qui diu fuit orphanus, quia bona sua tractauerunt extranei, inuenit bona sua dissipata et maneria destructa. Sic spiritualiter si homo in statu innocentie perstitisset sub cura et obedientia Dei patris, quando uenisset ad tenendam terram in finem uite huius mortalis, non inuenisset manerium suum, corpus terrenum, dissipatum ; ymmo translatus fuisset ad immortalitatem glorie sine corporali morte, set postquam per peccatum desinit esse sub obedientia patris, factus est orphanus. Unde quando uenit ad terram tenendam, inuenit bona sua dissipata, tam bona fortune quam bona nature, inuenit etiam domum suam luteam dissipatam et destructam. Ps. (140, 7) : *dissipata sunt ossa mea secus infernum*. Ysa. XLIX (8) : *ut possideres hereditates dissipatas*. Sic patet utrumque, prius scilicet quod quilibet nostrum in hac uita mortali est puer orphanus et puer minor annis. Ideo [169rb] supremus iudex et princeps Deus cuilibet nostrum prouidet de tutore. Deputauit enim unum angelum ad custodiam cuilibet nostrum, *custodiuit me*

---

<sup>1</sup> habeat] habet P.

<sup>2</sup> possidemus] possumus P.

<sup>3</sup> nullum] ullum P.

*angelus eius* etc. Judith XIII (20). Jeronimus<sup>1</sup> : « Magna dignitas animarum, ut unaqueque ab exordio sue natiuitatis habeat angelum ad sui custodiam delegatum. » Ubi nota quod in mundo inueniuntur multi operarii, multi scissores qui sciunt facere gardecorps. Non est magnum magisterium, quilibet intromittit se de hoc, set magisterium esset pulcrum qui sciret facere unum gardelame. Videtur mihi quod omnes nos sumus scissores, quilibet intromittit se de fere gardecorps, set quasi nullus intromittit se de fere gardelame<sup>2</sup>, nullus curat nisi solus summus artifex Deus qui fecit cuilibet nostrum non solum gardecorps, non solum dedit nobis illa que ordinantur ad custodiam corporis, ymmo cuilibet dedit une gardelame, unum custodem anime et tutorem. Hoc dicit uerbum primo propositum : *angelis suis mandauit* etc. Ubi tria nominantur. Primo Dieu les a fez ses comisseres pour porter ses messages : *angelis suis*. Il sount<sup>3</sup> ses secreteres et l'en dit soun corage : *mandauit*. Plus il sount ses vicares sus tout le humayn lignage : *ut custodiant te*.

Circa primum nota quod papa sciens duos uicinos discordes<sup>4</sup> in guerra solet mittere legatos pro pace inter eos formanda uel si concordare non possunt, ad fouendam [169va] partem que habet iustitia<sup>5</sup> pro se et partem oppositam condampnandum. Unde si papa sit certitudinaliter informatus de iustitia unius partis et iustitia alterius, optime cauet sibi ne mittet legatos infauorabiles reos, utpote qui sunt de ipsius genere, set eligit legatos tales qui sunt fauorabiles ei qui habet iustitiam pro se et reum condempnent et innocentem absoluant. Summus pontifex Christus est. *Christus assistens pontifex* etc. (Hebr. 9, 11). Duo principes uicini discordes tantum sunt caro et spiritus, quorum unus uult super alium principari. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum* etc. (Gal. 5, 17). Guerra talis est quod caro nititur spiritum interficere morte culpe. *Si enim secundum carnem uixeritis moriemini* (Rom. 8, 13). Spiritus nititur mortificare carnem per opera penitentie. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis* (Rom. 8, 13). Guerra est tanta quod nec legatus nec papa qui possit eam perfecte cedere in hac uita, et ideo non ad concordandum set condampnandum partem ream et aliam fouendam mittit papa legatos angelos<sup>6</sup> qui sunt spiritus ut sint spiritui fauorabiles et carni contrarii. Spiritus enim habet iustitiam pro se quia habet rationem de parte sua, caro non. De hoc exponas illud Ps. (Hebr. 1, 17) : *facit angelos suos spiritus*, ut sint spiritui nostro fauorabiles, et *ministros suos flammam ignis* (Heb. 1, 7) ut aduersantur et noceant carni.

De primo nota quomodo nuntii pape bene recipiuntur ubique, nullus audet hospicium eis refutare, set non recipiuntur omnes qui dicunt se nuntios pape [169vb] nisi probentur primo et uideatur utrum portent bullam uel signum aliquod papale. Spiritualiter nuntius pape uenit ad nos quando Deus inspirat aliquid. Statim debet sibi aperiri cordis hospicium per consensum. Fatuus est qui refutat sibi

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Angelus C (Hieronymus super Mattheum libro 3) ; Petrus Lombardus, *Sententiae*, II, dist. 11, 1, 1 (Grottaferrata, 1971, p. 380).

<sup>2</sup> gardelame] gardelaume B.

<sup>3</sup> sount] sunt B.

<sup>4</sup> discordes] et *add. P.*

<sup>5</sup> iustitia] iustitiam B.

<sup>6</sup> angelos] scilicet *add. B.*

hospicium, set quia non omnes spiritus angeli sunt a Deo missi, quia quidam sunt angeli mali, *immissiones sunt quedam per angelos malos* (Ps. 77, 49), ideo primo probandi sunt spiritus an ex Deo sunt, antequam per consensum recipiantur in hospicio cordis. *Nolite*, dicit Apostolus (I Jo. 4, 1), *omni spiritui credere set probate spiritus an ex Deo sunt*. Qualiter autem probari possent ? Nota quod naute tunc dicunt se habere uentum propicium quando bene concordat gubernaculo. Dicas sicut scis de materia ista. Finaliter adducas figuram de Apoc. (7, 2) ubi Johannes uidit tantum unum *angelum habentem signum Dei uiui*, habentem signum summi pontificis et tamen uidit quatuor quibus datum est nocere terre et mari. Expone. Dicitur secundo (Hebr. 1, 7) : *ministros suos flammam ignis*. Ubi nota de citationibus diuersis que procedunt de curia iudicis, sicut habes in sermone<sup>1</sup> *Venite ad nuptias ibi* etc. Habes figuram quomodo Absolon fecit segetes Joab igne succendi (II Reg. 14, 30-31). Finaliter adducas figuram de Gen. (3, 24) : *cherubim collocauit Dominus et flammeum gladium* etc. Expone.

---

<sup>1</sup> Sermon 102.



## SERMON 75

Saint Michel et saints anges.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 169vb-171va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 29ra-30rb.

Plan :

Thème – Le rôle des anges auprès de l’homme.

I – Leur rôle d’envoyé

II – L’ordre donné par Dieu

III – Le devoir de garde

F. 169vb : *Angelis suis mandauit*<sup>1</sup> etc. Ps. (90, 11).

[Thème] Ut ex uisibilibus ad inuisibilia attingamus, notandum quod sicut iudex temporalis ex officio tenetur puero nondum [170ra] annos discretionis habenti ante etatem longissimam de custode qui eum dirigat prouidere, qui etiam fructus et prouentus hereditatis congregat et colligat et in tuto reponat insuper illum ab aduersariis defendat, sic iudex eternus cui cura est de omnibus, uidens homines nondum perfectos in cognitione sui et Dei, *nunc cognosco ex parte*, (I) Cor. XI (13, 12). Omnis custodia angelorum adhibuit qui eos dirigant. *Ecce mitto angelum meum qui preparauit uiam tuam ante te* (Mt. 11, 10), qui bona que agunt coram Deo presentant, *habentes phyalas aureas plenas odoramentorum que sunt orationes sanctorum* (Apoc. 5, 8) quas offerrunt in conspectu Dei, quos etiam ab inimicis eripiunt. *Immittet angelos Domini in circuitu timentium te et eripiet eos* (Ps. 33, 8) et eos in bono custodiant. Jeronimus<sup>2</sup> : « Magna dignitas<sup>3</sup>, ut unaquaeque anima ab exordio natiuitatis habeat angelum ad sui custodiam delegatum. » Et hoc est quod dicitur in hiis uerbis. In quibus tanguntur tria. Psalmus illos tangit quibus officium est commissum : *angelis suis*, quod stricte iniungit ne aliud sit obmissum : *mandauit de te*, ex quo mandatum est, oportet quod fiat, curam submergit ne quid sit amissum : *ut custodiant te*.

[I] Circa primum nota quod diligens tabellarius scribit unumquodque ad illud officium ad quod est magis aptum. Deus autem maximam diligentiam uult adhibere ad procuracionem salutis. Unde et filius Dei fuit principalis huius actor, secundum quod Deus excellens ut homo, unde decens [170rb] est ut illi qui prope ipsum sunt procurandi habeant officium. Ad hoc enim agendum<sup>4</sup> apti sunt, nam sciunt, possunt et uolunt. Sciunt, quia uigent acumine sciencie magis quam mali, quia non solum uident in lumine naturali quod non sufficit nec in lumine fidei quod deficit set in lumine glorie quod totum conspicit. *Angeli eorum in celis semper uident faciem Patris*, Mt. XVIII (10). Possunt quia

<sup>1</sup> mandauit] de te ut custodiant te *add. B.*

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Angelus C (Hieronymus super Mattheum libro 3) ; Petrus Lombardus, *Sententiae*, II, dist. 11, 1, 1 (Grottaferrata, 1971, p. 380).

<sup>3</sup> dignitas] dignitatis *B.*

<sup>4</sup> agendum] agendi *P.*

*potentes uirtute*, Ps. (102, 20). Volunt, quia *gaudium est angelis super uno peccatore penitentiam agente* (Luc. 15, 10). Hanc aptitudinem habent ab eo *qui facit angelos suos spiritus* (Heb. 1, 7). Gregorius<sup>1</sup> : « Angelus nomen est officii ; non nature ». Officium eorum [est] nuntiare et reuelare spiritualia, corporalia non indigent nuntiis, quia se mergunt sensibus, qui nesciunt cauere set nuntiant ea cordi, nam uisus nuntius est pulcritudinis, gustus dulcedinis, tactus delectationis. Set eo ipso quo se offerunt et mergunt debent contempni quia reddunt se suspectos<sup>2</sup> quod utique prouidentia diuina disposuit quia de eis parum curauit. Ideo eo in publico<sup>3</sup> exposuit set spiritualia tamquam pretiosa, quibus aspectus mundi non est dignus, in occulto esse uoluit et per nuntios spirituales cordi humano nuntiare uoluit, ita tamen quod angeli nuntiant minora, archangeli maiora quod congrue fit ut sicut sunt spiritus<sup>4</sup>, sic spiritualia sunt eorum officia. *Omnes sunt administratorii spiritus*, Heb. I (14), et quia secundum iudicem *populi ita<sup>5</sup> et ministri eius* (Eccli. 10, 2). Spiritus autem est Deus. Ideo congruum est ut istos spiritus faciat sibi ministros et hoc quod sequitur : *et ministros suos flammam* [170va] *ignis*, ad Heb. II (1, 7), quod officium ministri possit bene fieri, oportet quod habeat contradictorem, et quia *caro concupiscit aduersus spiritum* (Gal. 5, 17), ideo uult suos ministros esse spirituales. Unde etsi ministri sui uiuent in carne, habent tamen uotum continentie annexum, ut sic « in carne preter carnem uiuant », quod est uita angelica secundum Jeronimum<sup>6</sup>. Qui enim diuisus est ad plura, minor est ad singula. Caro que diuidit se ad plura quia carnales multa querunt, ideo caro in suis officiis parum prodest. Caro non prodest quicquam set spiritus<sup>7</sup> est qui uiuat. Ideo ydoneos suos fecit ministros Noui Testamenti non littera set spiritu. Ideo *accesserunt angeli et ministrabant ei*, Mt. III (11). Et quia non sufficit ministrare proficua nisi arceantur aduersa, ideo fecit eos inflammantes<sup>8</sup> et ignitos. Sicut enim princeps terrenus habet incendiarios suos quorum officio regnum aduersariorum destruit et eos fugere compellit, sic princeps<sup>9</sup> angelorum eos flammeos et ignitos facit. Unde *cherubim collocauit et gladium flammeum atque uersatilem* (Gen. 3, 24). Claritas flamme signat claritatem sciencie qua nos illuminant per ignem qui habet uim purgatiuam. Notatur quod nos purgant et calefaciant<sup>10</sup> qua nos ad caritatem perficiunt et inflammant, ut sic cogitantes peccata purgemus nos et ad caritatem preparemus, cuius flamma fugat demones. Secundum enim doctores et Dyonisium<sup>11</sup> hoc facit ordo in spiritibus quod situs in corporibus. Ideo sicut lumen magnum iuxta ipsum maius reddit et [170vb] magnus ignis iuxta modicum similiter amplius accendit, sic ad nos ordinantes lumen

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Angelus K (Gregorius in homelia : *erant appropinquantes* etc.) ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Evangelia libri duo*, II, 34, 8 (PL 76, 1250C).

<sup>2</sup> suspectos] suspecta P, B.

<sup>3</sup> publico] pupplico B.

<sup>4</sup> spiritus] spiritus add. P.

<sup>5</sup> ita] iste B.

<sup>6</sup> Petrus Chrysologus, *Collectio sermonum*, 143, 3 (A. Olivar, SL 24B, 1982, p. 872).

<sup>7</sup> spiritus] sicut exp. B et corr. in marg.

<sup>8</sup> inflammantes] flammantes B.

<sup>9</sup> princeps] militie add. B.

<sup>10</sup> calefaciant] calefaciam P.

<sup>11</sup> *Non inueni*.

sue sciencie et feruorem dulcedinis sue nos illuminant et<sup>1</sup> purgant et proficiunt et inflammant amplius quam essemus prius. In signum huius *angelus Domini descendit cum Azaria et sociis eius in fornacem*<sup>2</sup> etc. in Daniel (3, 49). Azarias, qui adiutus interpretatur<sup>3</sup>, significat quemlibet quem Deus adiuuat prouidendo ei adiutorium angelorum. Quod quia facit omnibus, ideo habet socios cum quibus descendit angelus ad fornacem<sup>4</sup> feruoris, scilicet ad cor ubi est ignis amoris et *facit medium fornacis quasi uentum roris flantem* (Dan. 3, 50), quando inspirat bona, ad quorum inspirationem sequitur ros deuotionis, quo, dum aspergitur fornax ardens, amplius inardescit, et diffunditur flamma per splendorem honesti operis et succenduntur ministri regis tacta rei, quia percipientes hoc interius intenduntur igne inuidie qui dum temptant amplius, faciunt homines bonos feruore, propter quod qui sic succendunt amplius incenduntur.

[II] Circa secundum nota quod persone se mutuo diligentes sibi inuicem mandant salutes. Sic facit nobis Deus per istos nuntios. Ymmo in principio littere ponitur salutatio, sicut hoc est maximum et primum mandatum quod accipit angelus scilicet nuntiare salutem. Multum sunt ingrati qui tales rumores contempnunt. Cuiusmodi sunt qui spiritibus inspirantibus bonorum angelorum consentiunt malis suggestionibus malorum angelorum ? Malum est ergo quod tantam negleximus |171ra| salutem tam diligenter nobis nuntiatam quia *memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea* (Ps. 102, 18). Memoria mandatorum sine opere est sciencia que inflat ; de hac non exit nisi uentus superborum qui faciet edificia ruere, quia audientes uerba et inuidentes opera scandalizantur et corruunt. Ideo esset faciendum opus uelut signum quoddam<sup>5</sup> sensibile quasi memorale. Sicut qui nodant corrigam faciunt, ideo cum memoria<sup>6</sup> necessaria est dilectio cuius signum et effectus est operis exhibitio. Nam *qui habet mandata mea et seruat ea, ille est qui diligit me* (Jo. 14, 21). Ideo propter hoc *signauit Deus quod oportet fieri cito* (Apoc. 1, 1) loquens per angelum suum seruo suo. Jo. (21, 7) : *qui erat discipulus quem diligebat Jhesus*. Qui habet memoriam et dilectionem mandatorum habet radicem operum, et sicut qui habet radicem arboris habet totam arborem et fructum eius tamquam suum, sic in proposito, et quia Deus ibi uult esse ubi obeditur eius mandatis, ideo sequitur (Ps. 102, 19) : *Dominus in celo parauit sedem suam*. Indignum est tamen Dominum sedere ad terram : in celestibus residet. Item qui uolunt indulgentiam impetrare aut beneficia, oportet eos adire sedem, sic hoc oportet hominem recurrere ad sedem Dei quam utique facere in se ipso non potest, et sic impetrare quod ultra numquam talem sedem ministrant angeli ; et quia omnes peccauerunt, ideo omnes indigent ista indulgentia, indigent quam impetrant isti cursores et nuntii, ideo sequitur (Ps. 102, 19) : *regnum ipsius omnibus dominabitur*, quia qui minor est in regno celorum maior est maiore qui |171rb| sit in regno mundi. Unde sicut ubi est plus de elemento predominante ut pote de igne ibi est, sic ubi plus de Deo

<sup>1</sup> et om. B.

<sup>2</sup> fornacem] fornacum B.

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 109.

<sup>4</sup> fornacem] fornacum B.

<sup>5</sup> quoddam] quidem B.

<sup>6</sup> cum memoria] commemorata B.

ibi est plus de dominio. Unde quia peccatores Deum non habent per gratiam, ideo serui sunt. Ubi etiam est plus de conditione celesti, ibi plus est de dominio. Hinc est quod uiri celestes dominantur temptationibus quod utique congruum est, nam ministri Dei opera seruilia exercere non debent sicut patet de ministris altaris. Ymmo reges eorum eis genua flectunt dum sunt in executione sui officii. Sunt enim a seruitute exempti sicut angeli, nisi habeant aliunde quod serui sunt. Totum autem quod exhibent Deo est in recognitione Domini ipsum laudando, unde sequitur (Ps. 102, 20) : *benedicite Dominum omnes angeli eius, omnes potentes uirtute*. Mali enim angeli potentes sunt set non uirtute. *Non enim est potestas super terram que eis ualeat comparari*, Job XLII (41, 24).

Circa tertium nota quod pedes, [id est] affectiones, habebimus liberos quamdiu erimus in hac uita. Ideo indigemus custodia, propter quod angeli boni dirigunt nos portando lucernam coram nobis ne inceptus pedes ponamus, ideo (Luc. 2, 9) *angelus Domini stetit iuxta illos et claritas Dei circumfulsit illos*. Ideo ab Apostolo angelus lucerna uocatur et sic disponunt ad uisionem ne cadamus. Unde angelus Tobie restituit uisum. O quam necesse est nobis ista illuminatio ! Nam uia peccatorum tenebre et lubricum et angelus Domini persequens ei set dum erat Petrus dormiens inter duos milites uinctis cathenis duabus, *Christi angelus Domini astitit et lumen refulsit etc.* (Act. 12, 7). Et sic eripuit eum et custodiuit, unde Judith dicebat (13, 20) : *Custodiuit me angelus eius*.

## SERMON 76

Saint François.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 171va-175va.

Plan :

Thème – L'homme est parfois comme un étudiant, le Christ est son maître. Comportement des mauvais étudiants.

A. Saint François est aussi un maître. Points communs avec le Christ.

I – La grâce de sa conversation. Les sept dons accordés à saint François.

- a. Thyatire = sagesse
- b. Accidia = intelligence
- c. Ephèse = conseil
- d. Philadelphia = force
- e. Sardis = conscience
- f. Pargami = piété
- g. Sinirus = crainte

II – Sa grandeur semblable à celle du Christ

III – Sa charité

IV – Chasteté et beauté

B. Le Christ n'a pas abandonné François.

C. Le danger de la déviation.

F. 171va : *Similem sibi reliquit post se*, Ecc. 30 (Eccli. 30, 4).

[Thème] Scholares qui habuerunt doctorem qui nouas et subtiles opinionones inuenit, si ab eis recederet, multum gauderent si possent inuenire sibi similem qui eum in suis opinionibus uellet sequi et eas defendere et tenere. Figura 4 Reg. 2 (15) post recessum Helye filii prophetarum uidentes quod Helyseus aquas Jordanis dimisisset sicut Helyas dixit : *requireuit spiritus Helye super Helyseum*. Nos omnes sumus scholares positi in studio consciencie ad procurandum salutem nostram. Cuius ratio est scolaris : qui non habet librum proprium in quo studeat set nunc respicit in libro istius, nunc in libro alterius non potest bene aduertere. Sic illi qui in conscienciis suis non student set de factis aliorum loquuntur et sua non considerant, parum aut nichil in consciencia salutis proficiunt. 2 Thy. 3 (7) : *semper discentes et numquam ad scienciam ueritatis peruenientes*. Unde uidetur esse de quibusdam sicut est de quibusdam scolaribus, qui licet habeant libros proprios, tamen eos raro aut numquam aperiunt ad studendum set sunt uagi et discurrunt hinc inde et in friuolis se occupant. Unde libri eorum sunt ita pleni puluere quod in eis possent describi cyfre algorismales. Set aliqui totum tempus suum consumunt in friuolis [171vb] et otiosis et tamen consciencie eorum sic sunt plene puluere

negligentie quod in eis cyfre peccatorum frequenter describuntur. Figura Judic. 12 (5) Effratei, qui interpretantur puluerulenti<sup>1</sup>, non potuerunt dicere Seboleth, quod interpretatur germinatio<sup>2</sup>, set bene dicebant *Theboleth*, quod interpretatur spica palee, et ideo fuerunt iugulati. Sic aliqui nesciunt loqui de conscientiis suis quod per germen gratie germinaret in eis et tantum de inutilibus et friuolis optime loquuntur. 2 Thy. 4 (4) : *a ueritate quidem auditum auertent ad fabulas conuertentur*, et ideo a dyabolo iugulantur. Sic ergo nos sumus quasi scolares. Nunc est ita quod nos habuimus unum magnum magistrum, scilicet Christum, qui opiniones subtiles, nouas et utiles suscitauit. Mt. V (3) : *beati pauperes spiritu* etc. Ita sunt in solide quod quasi a nemine approbantur saltem facto. *Ymmo benedixerunt populum cui hoc sunt*, scilicet bona temporalia. Unde *positus fuit in signum cui contradicetur*, Luc. 2 (34). Doctor recessit a nobis. Jo. 16 (28) : *relinquo mundum et uado ad patrem*. Modo sic est quod nos inuenimus unum magistrum qui uult in omnibus eum sequi, beatum scilicet Franciscum, qui in principio sui ordinis sibi et suis simplicibus scripsit formulam uite in qua sancti euangelii obseruantiam pro fundamento indissolubili collocauit, et sicut excellens doctor incepit a difficilioribus questionibus. Unde ipse et frater Gerardus primus de ordine [172ra] post ipsum intrantes ecclesiam Nicholai<sup>3</sup> super modo uiuendi consilium a Domino petiuerunt et oratione premissa Franciscus ter aperuit librum euangeliorum. In prima apparitione occurrit sibi illud, Mt. 19 (21) : *si uis perfectus esse, uade et uende omnia que habes et da pauperibus* ; in secunda illud, Luc. 9 (3) : *nichil tuleritis in uia* ; in tertia illud, Mt. 19 (16, 24) : *qui uult uenire post me* etc. « Hoc est », ait<sup>4</sup> uir sanctus, « in uita et regula nostra omnium qui nostre uoluerunt societati coniungi », et idcirco multum debemus gaudere quia inuenimus talem magistrum quod possumus dicere de eo uerbum preassumptum, scilicet quod Christus in uita et doctrina *similem sibi reliquit post se*, et tanguntur tria.

[ A. I] Primo acceptatio gratie conuersationis, *similem sibi*. Nota : uexillarius alicuius exercitus debet portare signum ita euidens quod omnes de exercitu ad eius aspectum dirigi possunt. Figura Ex. 19 (14, 19) dicitur de angelo *qui precedebat castra Israel quod abiit post eos et cum eo pariter columpna nubis*. Franciscus fuit uexillarius Christi. Nota quod dixit<sup>5</sup> latronibus : « Ego sum preco Dei. » Proiecerunt eum in foueam plenam niuibus dicentes : « Jace, rustice preco Dei », et ideo debuit habere signum ita euidens quod ad eius aspectum omnes dirigentur, et hoc signum fuit sua honesta conuersatio que fuit clarissima et pulcherrima, quod per hoc quod dicitur esse similis Christo, quia simul pulchre eo quod pulcher est pulcher et de Christo dicitur speciosus etc. Et ideo non immerito in [172rb] hoc quod dicitur similis esse Christo, non incongrue tangitur sua graciosa conuersatio, de quo exponi potest illud Apoc. I (12-13) : *uidi septem candelabra aurea in medio VII candelabrorum aureorum similem aurea*. Et nota quod in ista auctoritate tanguntur quatuor puncta in

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 5.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> Nicholai] Michaeli P.

<sup>4</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, III, 3 (*Fontes franciscani*, p. 796-797).

<sup>5</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, II, 5 (*Fontes franciscani*, p. 790-791).

quibus Franciscus fuit talis Christo : primo in donorum plenitudine. *Vidi septem candelabra*. Nota : princeps edificans castrum uel ciuitatem in medio inimicorum quod scit impugnandam ab aduersariis, erigit in ea turres et propugnacula quibus protegi ualeat et defendi. Figura I Mach. 4 (60) : *edificauerunt in tempore illo montem Syon et per circuitum muros altos et turres firmas*. Christus fundauit ciuitatem, id est religionem fratrum minorum, in medio inimicorum que per detractiones et aduersitates continue impungnatur, et ideo muniuit eam turribus et propugnaculis donis Spiritus Sancti, in quibus repleuit Franciscus et ordinem suum et ista dona intelleguntur per VII candelabra VII ecclesiarum.

[a] Unde primo per candelabrum Thyatire que interpretatur<sup>1</sup> illuminans uel illuminata, intelligitur donum sapientie. Nota : uolens capere pisces de nocte uitreo ad cuius aspectum pisces congregantur et capiuntur. Vas uitreum et purum et lucidum significat Franciscum qui fuit purus per castitatem et lucidus per honestatem. In hoc ergo uase sic lucido Christus accendit lucerna sapientie celestis ut peccatores qui in aqua uoluntatis erant submersi, conuertentur [172va] et ad Christum adducentur. Ecc. 16 (Eccle. 15, 5) : *in medio ecclesie aperiet os eius et impleuit eum spiritu sapientie*. Set nota quod differentia est inter lumen stelle et lumen candele quia lumen candele lucendo consumit candelam set lumen stelle non consumit eam. Sic sapientia huius mundi consumit illum in quo est. Nota : sapientia usurarii filii mercatoris et huiusmodi consumit ipsum, figura Luc. XII (20) de illo qui tot sapientiam congregauerat ut posset fructus suos recipere cum dictum est : *stulte hac nocte* etc. quia *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi*, I Cor. 1 (20). Set lumen sapientie diuine non consumit set conseruat qualem habuit Franciscus. Nota quomodo lumen prophetie in multis et quomodo semel hospitatus in suburbio iuxta Aretium, uidit multos demones super ciuitatem<sup>2</sup> commouentes ciues ad seditionem, sed misso socio et clamante<sup>3</sup> ualenter : « Recedite in nomine Christi et serui sui Francisci », protinus recesserunt et ciues ad pacem et tranquillitatem redierunt.

[b] Secundo per candelabrum Laodicee<sup>4</sup>, que interpretatur fuit in uomitu uel tribus amata a Domino, intelligitur donum intellectus quia euomere temporalia bona facit personam amabilem et intelligere spiritualia. Nota : quedam animalia preter lumen diei habent lumen quodam intrinsecum sicut catus et talia optime uident de nocte, male autem de die. Animalia enim que non habent lumen proprium unde uident de die, sicut usurarii et alii mundani qui habent quamdam astuciam propriam per quam optime uident de nocte [172vb] in contractibus et obligationibus et aliis contractibus, sed nichil uident in die consciencie et salutis, Mt. 8 (6, 23) : *si ergo lumen quod in te est tenebre sunt ipse tenebre quante erunt*. Set illi qui mundum et omnem eius astutiam euomunt sicut Franciscus, qui coram episcopo omnibus etiam femoralibus renuntiauit<sup>5</sup>, in tantum quod episcopus compassus ei dedit

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 72.

<sup>2</sup> ciuitatem] ciuitate P.

<sup>3</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VI, 9 (*Fontes franciscani*, p. 829-830).

<sup>4</sup> Laodicee] accidie P.

<sup>5</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, II, 4 (*Fontes franciscani*, p. 789-790).

mantellum cuiusdam agricolae clare uidens in spiritualibus, quia tales Deus *illuminauit et intellectum dat paruulis* (Ps. 118, 130). Nota<sup>1</sup> quomodo iuxta Paduam ambulans et esset multum tarde, lux de celo descendit, ipsum et socium illuminans donec essent in hospitio recepti.

[c] Tertio per candelabrum Ephesi, quod interpretatur consilium meum<sup>2</sup>, interpretatur proprie consilii donum. Nota in acie contra aduersarios nimis ualet bonum consilium. Figura 2 Mach. 2 : confortans enim Mathathias filios suos pugnatuos dixit eis : *ecce Symon frater uester, scio quod consilii est*. Franciscus discrete et ualde consulte ordinauit exercitum fratrum suorum contra inimicos crucis et peccatores, quod sic patet. In exercitu sunt aliqui qui male armati sunt, semper uolunt currere ante alios ad rapiendum spolia et isti sepiissime occiduntur. Figura Ex. 3 (15, 8) : *dixit inimicus et comprehendam diuidam spolia*. Submersi sunt sicut plumbum in aquis uehementibus. Sic in ecclesia, qui peius sunt armati armis uirtutum uolunt alios precedere ad habendum bona temporalia et isti spiritualiter occiduntur et a [173ra] Domino reprobantur. Figura Gen. 4 (15) : Caym, qui interpretatur<sup>3</sup> possessio siue acquisitio, fuit a Domino reprobatus, et ideo Franciscus sicut bonus consiliarius fratres suos muniuit armis uirtutum et docuit fugere et spernere spolia mundi. Unde in Marchia Anconitana<sup>4</sup> cuidam uolenti intrare ordinem suum dixit : *uade et uende omnia que habes et da pauperibus et sequere me* (Matth. 19, 21). At ille iuit et omnia que habebat dedit parentibus cui redeunti dixit Franciscus : « Vade, frater musca, nondum existi de cognatione tua, non es dignus pauperibus sanctis », et sic repulit eum quia non credidit consilio suo. Unde poterat cuilibet fratri suo dicere illud Ex. 19 (18, 19) : *audi uerba mea et consilia mea et erit Dominus tecum*.

[d] Quarto per candelabrum Philadelphie, que interpretatur saluans adhesionem Domini<sup>5</sup>, intellegitur donum fortitudinis per quam saluantur adherentes Domino. Nota : qui uult se protegere et fortiter et secure pugnare super equum debet eum armare per totum, nisi in lateribus ubi possit pungi calcaribus. Equus hominis est caro. Ysa. 31 (3) : *equi eorum caro*, et ideo qui in carne secure et fortiter uult pugnare, debet eam armis bonorum operum armare et frequenter aculeis penitentie pungere. Sic fecit Franciscus qui undique armis uirtutum armatus, carnem suam sic affligebat quod si comedebat cinerem uel aquam<sup>6</sup>, sic miscebat quod saporem reddebat insipidam. Aquam etiam in magna siti quantum [173rb] poterat non bibebat, et ideo inuenit carnem suam in pugna contra uitia ualde fortem. Unde fuit alter Judas de quo dicitur, I Paral. V (2), quod *erat fortissimus inter fratres suos*.

<sup>1</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, V, 12 (*Fontes franciscani*, p. 822).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 160.

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 63.

<sup>4</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VII, 3 (*Fontes franciscani*, p. 834).  
Marchia Anconitana] Mathia Aucheritana P.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 160.

<sup>6</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, V, 1 (*Fontes franciscani*, p. 813).



[e] Quinto per candelabrum Sardis, quod interpretatur princeps pulcritudinis<sup>1</sup>, intellegitur donum consciencie. Nota : pulcra sciencia est in loco ruinoso et merso et certa continue mobili super gracile et modicum fundamentum fundare edificium fortissimum quod, quamcumque inpugnetur, destrui non potest. Franciscus bene debet dici princeps pulcritudinis, qui religionem suam, que est pulcherrima, coram Deo fundavit super fundamentum gracilimum, ymmo super nichil quia super paupertatem habent nec in communi nec in spirituali, et licet a multis et magnis continue impugnetur, semper tamen sana et incolumis perseuerat. Nec mirum quia habet alium defensorem. Dum enim Franciscus semel oraret Dominum, per alium rursus huius a Domino reportavit<sup>2</sup> : « An ego religionem meam sic pastorem institui ut me principalem nescias esse patronum ? Ego uocaui seruabo et pascam et aliis excidentibus alios subrogabo, et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hic concussa<sup>3</sup> religio salua, semper meo munere permanebit. » Unde Franciscus habuit pulcram conscienciam ut de ipso dicatur illud Sap. 6 (24) : *ponam in lucem scienciam illius* quia sicut lux impediri potest, maculari uero non potest. Sic et eius religio.

[f] Sexto per candelabrum Pergami, quod |173va| interpretatur diuidens cor, intellegitur donum pietatis, per quod cor diuiditur ad compassionem proximorum. Istud autem donum habuit excellentissime Franciscus, nam quando non haberet quin daret pauperibus, uestes suas dissuebat diuidebat et eis dabat. Semel Rome<sup>4</sup> cuidam pauperi indigenti uestem suam dedit et per totum diem cum pauperibus aliis sedit, leprosis seruibat, eos osculabatur, putredinem extrahebat de eorum ulceribus. Semel equitans iuxta asinum<sup>5</sup>, uidit leprosum quem primo abhorruit, deinde descendens osculatus est eum qui statim disparuit et infinita similis fecit ; ex quibus apparet eum habuisse excellentissime donum pietatis, quod fuit necessarium. Nota : nauta uolens in mare descendere ad euellendum anchoram in fundo maris affixam, portat oleum uirtute cuius respirat in mari et anchoram euellit. Sic peccator qui debet descendere ad mare mundi ut peccatores affixos terrenis eradicet et euellat, debet habere oleum pietatis et compassionis. Nota quomodo per lac quod ponitur in ore hominis, extrahitur serpens de uentre eius et illud oleum habuit Franciscus. Unde fuit Samaritanus qui sauciato infudit *uinum et oleum*, Luc. X (34). Nota<sup>6</sup> quomodo fratrem mortuum Cruciferorum grauiter infirmum per miras tunicas in oleo quod accepit ante altare beate Virginis sibi missas curauit ; qui postmodum factum frater in una tunica siue pane siue uino cum |173vb| solis ligamentibus in ordine diu uixit de oleo pietatis istius. Potest dici illud Ecc. 9 (Eccle. 9, 8) : *oleum capiti tuo non deficiat*.

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 160.

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VIII, 3 (*Fontes franciscani*, p. 844).

<sup>3</sup> concussa] percussa *exp. P.*

<sup>4</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, II, 6 (*Fontes franciscani*, p. 791).

<sup>5</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, I, 5 (*Fontes franciscani*, p. 784-785).

<sup>6</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, IV, 8 (*Fontes franciscani*, p. 808-809).

[g] VII<sup>o</sup> per candelabrum Smirne<sup>1</sup>, quod interpretatur<sup>2</sup> consumptio amaritudinis, intellegitur donum timoris, per quod omnis amaritudo peccati consumatur in nobis, Prou. 16 (6) : *per timorem Domini declinat omnis a malo*. Nota : inter inimicos non est tantum equitare equum pigrum sine calcaribus. Nos sumus inter inimicos, corpus nostrum est equus piger. Ymmo Franciscus uocabat corpus suum fratrem asinum et ideo, inquam, hora mortis dixit fratribus<sup>3</sup> : « Valete, filii omnes in timore Domini et permanete in eo » semper quia non est inopia timentibus eum. Set nota : quidam non timent se exponere periculis mortis in bellis et guerris, et tamen in modico timent tantum quod quando debent minui, non potest ex eis exire gutta sanguinis. Sic multi non timent se exponere mortibus diuersorum peccatorum mortalium, et quando debent tamen minorari uel humiliari, uel penitentiam uel austeritatem tantum timent quod non potest gutta humilitatis uel penitentiae inueniri. Istum timorem non habuit beatus Franciscus quia super omnes uolebat humiliari. Unde et fratres suos uocari uoluit fratres minores. Quando laudabatur, faciebat se uituperari. Quando inueniebat pauperem pauperiorem se, dicebat suo socio quod ille confundebat eos quia pro magnis diuitiis |174ra| eligerant paupertatem et alius eos excedebat. Nota quomodo nuntii Assisi reducebant eum semel ad ciuitatem Assisii et dum essent in quadam parua uilla, non inuenerunt uictualia uenalia, quod referentes Francisco dixit<sup>4</sup> : « Nichil inuenistis quia plus in muscis uestris quam in Deo confidistis. » De uarios nempe muscas uocabat et hoc rationabiliter : si musca ueniens super hominem statim expellatur, non nocet, set si ibi dimittatur, sic infigit aculeum quod eligit sanguinem. Sic pecunia si autem per elemosinas dispersa non nocet, ymmo iuuat, set si diu teneatur, inducit sanguinem peccati et ideo nummos uocat muscas, set hodie non reputantur musce quia musce cum flagello expelluntur et denariis totis uiribus attrahuntur. Tunc Franciscus remisit illos nuntios ad illam uillam quod amorem Dei pro precio offerent et quererent pro Deo elemosinas, quod et fecerunt et inuenerunt pro Deo quod pro pecunia non potuerunt inuenire. Igitur per VII candelabra aurea, intelleguntur VII dona Spiritus Sancti, in quorum participatione Franciscus fuit similis Christo ut de eo dicatur illud Ysa. I (11, 2-3) : *requiescet super eum spiritus sapientie et intellectu spiritus consilii et fortitudinis spiritus scientie et pietatis replebit eum spiritus timoris Domini*.

[II] Secundo fuit Christo similis in signorum magnitudine similem filio hominis. Nota : tunc moneta dicitur esse similis alteri quando habet similem inscriptionem, quando scilicet fabricata est et percussa in |174rb| similibus figuris. Franciscus habuit similes inscriptiones cum Christo scilicet stigmata. Nota miraculum de stigmatibus<sup>5</sup>, quomodo clauis de carne apparebant in pedibus et manibus, habentes capita rotunda eleuata super reliquam carnem et acuties ex alia parte recuruas et quasi repercussas ad modum quo clauis ne expellant, repercussuntur et recuruat. Nec mirum si talia stigmata

<sup>1</sup> Smirne] Sinirus P.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 59 (sub nomine Themora).

<sup>3</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, XIV, 5 (*Fontes franciscani*, p. 903).

<sup>4</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VII, 10 (*Fontes franciscani*, p. 840).

<sup>5</sup> stigmatibus] scismatibus P.

Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, XIII (*Fontes franciscani*, p. 889 sqq).

fuerunt corpori suo impressa quia impossibile est ceram mollem bene coniungi sigillo quin importetur impressionem sigilli. Franciscus fuit coniunctus Christo sicut cera mollis in deuotione et ideo retinuit similem impressionem. Nota quod Gregorius nonus<sup>1</sup> de istis stigmatibus aliquantulum hesitans, uidit in sompnis beatum Franciscum habere stigmata. Tunc summus pontifex uidens fluere sanguinem de latere eius extendit ut sibi uidebatur phialam que statim illo sanguine est repleta, qui ex tunc credit et credendum mandauit. Item fuit sibi similis quia uolens instruere proximos discipulos suos imperfectione uite ascendit montem. Mt. 6 (5, 1) : sic enim uolens regulam scribere et dictare, *ascendit in montem* et tabule quibus erant confracte, Ex. 32 (19), et iterum in aliis tabulis fuit scripta in monte, postea per negligentiam uicarii sui perdita, deinde Spiritu Sancto dictante in eodem monte de uerbo ad uerbum rescripta, unde nichil ibi posuit nisi secundum quod ibi fieret [174va] diuinitus reuelatum. Jo. 12 (50) : *que ego loquor sicut dixit mihi Pater*. Et sicut post secundam dationem legis apparuit facies Moysi cornuta et splendida, sic frater Pacificus<sup>2</sup> primus minister Francie uidit signum thau in fronte suo colorum uarietate distinctum. Ideo sicut signum frequenter ponebat in lectis suis, sicut Johannes uidit Christum de cuius ore gladius ex utraque parte acutus exibat, sic idem Pacificus in castro Seuerini uidit eum ibi predicantem signatum duobus ensibus ualde fulgentibus, quorum unus a capite usque ad pedes, alius a manu usque ad manum per pectus transuersabiliter tendebantur. Hic hoc uiso, cum numquam alias eum uidisset, omnibus dimissis beato Francisco per confessionem adhesit. Ex omnibus istis apparet Franciscus in multis et magnis signis similis fuisse Christo, ut de ipso dicatur illud Dan. 3 (93) ubi dicitur quod uisus est in medio fornacis quidam similis filio Dei, id est Franciscus, in medio fornacis caritatis et hoc est.

[III] Tertium in quo fuit similis Christo, scilicet in caritatis latitudine, *uestium podere*<sup>3</sup>. Per uestem poderis signatur eius caritas seu paupertas, quia signum est magni caloris interioris quando homo sola tunica est contentus. Unde cum quereretur ab eo qualiter in hyeme cum una<sup>4</sup> tunica posset transire, respondit<sup>5</sup> : « Si superne patrie flamma contingeremur interius, istud frigus exterius facile portarem. » [174vb] Hac flamma fuit ipse accensus. Nota quando nubes scinditur et diuiditur, signum est caloris interioris. Sic aperitio lateris, manuum et pedum Francisci signum fuit maxime caritatis, unde uersus : « Sic transformatur cor amantis in id quod amatur, sic per signa foris erumpit amoris ». Et hic calor caritatis per uestem poderis designatur que erat de duabus peciis consuta habens loco feribriarum, LXXII tintinabula et totidem mala punica, et signat caritatem Dei et proximi in Francisco coniunctus qui in feribriis sue societatis habuit multos fratres tenentes locum LXXII discipulorum qui fuerunt et adhuc sunt tintinabula<sup>6</sup> ad predicandum et mala punita id est fructum

<sup>1</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci, Miracula*, I, 2 (*Fontes franciscani*, p. 913-914).

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, IV, 9 (*Fontes franciscani*, p. 810).

<sup>3</sup> podere] pondere *exp. P.*

<sup>4</sup> una] unica *exp. P.*

<sup>5</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, V, 2 (*Fontes franciscani*, p. 814).

<sup>6</sup> tintinabula] tintunabula *P.*

animarum reportandum, Jo. XV (16) : *elegi uos ut eatis et fructum afferatis* etc. Dicatur ergo ei illud Ecc. 4 (Eccli. 27, 8) apprehendens illam, scilicet caritatem, et *indues quasi poderem honoris*.

[IV] Quarto fuit Christo similis in castitatis et puritatis pulcritudine precinctum ad mamillas zona aurea per corrigiam in Sacra Scriptura intellegitur castitas. Luc. 12 (35) : *sint lumbi uestri precincti*. Set nota quod in Scriptura inuenimus duplicem zonam, unam pelliceam qua erat *accinctus renes* Helyas, 4 Reg. I (2 Esdr. 4, 18). Et ista significat castitatem corporis quam frequenter timore pellis multi seruant, et multi sunt in mundo qui nisi timerent confusionem mundi exponerent. Alia est [175ra] zona aurea qua Christus erat accinctus circa mamillas, Apoc. primo (13), et hoc significat caritatem que propter solum amorem diuinum custoditur. Hanc autem duplicem castitatem habuit Franciscus qui significat per hoc quod erat accinctus zona aurea ad mamillas, id est circa cor, quia cor eius erat totaliter accinctum zona castitatis, ut de ipso dicatur illud Ps. (108, 19) : *fiat ei sicut uestimentum quo operitur et sicut zona qua semper precingitur*.

[B] Secundo principaliter tangitur : est<sup>1</sup> nulla ratio calumpniose accusationis quia Christus eum reliquit, supple ut doctorem nostrum. Nota : filius non dicitur habere aliquam suspicionem de hiis que sibi traduntur a patre uel a matre, set omnia que sibi traduntur ab initio debet habere suspecta de intoxicatione. Mundus demon et caro nobis inimicantur, et ideo que nobis offeruntur, debemus habere suspecta et debemus timere quod uelint uos intoxicare, et ideo debemus facere sicut faciunt magni domini qui de nullo cibo sumunt nisi aliquis in quo confidunt prius gustauerit. Mundus offert tibi delicias, demon honores et inimicitias, caro delicias, omnia tibi sint suspecta nisi ea que Christus, in quo debet esse tota confidentia nostra, assumpsit de talibus, quia inimici qui hoc tibi offerunt forte ut te intoxicent, set illud quod a patre nostro Christo et a matre nostra beata Virgine nobis datur non est suspectum. Qualis fuit Franciscus qui a Christo et a matre sua nobis est traditus et idcirco per hoc quod dicit quod Christus eum [175rb] reliquit, omnis suspicio tollitur. De hoc potest exponi illud Ecc. 30 (Eccli. 30, 6) : *reliquit defensorem domus sue, contra inimicos, scilicet Franciscus, et amicis reddentem gratiam*. Nota quod dicit *defensorem domus*. In religionibus bene ordinatis semper fiunt uisitatores de alienis nationibus, quia si uisitator esset de eadem natione cum illis quos uisitat, timetur de aliqua partiali affectione. Idem facit rex communiter qui facit balliuos et senescallos in diuersis partibus. Sic predicator qui mittitur ad uisitandum mundum et corrigendum, non debet esse de mundo, nihil debet habere commune cum mundo ne partialis affectio eum moueat. Jo. 19 (15, 19) : dicebat Christus discipulis : *si de mundo fuissetis mundus quod suum erat diligeret*. Et talis fuit Franciscus de quo dicitur<sup>2</sup> quod « uidebatur esse homo alterius seculi, quippe qui in mente et facie in celum semper intendens sursum trahere conabatur » et ideo fuit optimus ad defendendum et uisitandum ecclesiam.

[C] Tertio tangitur declinatio periculose deuiationis. Ipse fugit totam periculosam declinationem deuiatio post se qui sequitur conductorem suum in omnibus, si conductor non errat nec

<sup>1</sup> est] ad P.

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, IV, 5 (*Fontes franciscani*, p. 806-807).

ille qui conducitur. Christus fuit conductor Francisci quem secutus est in omnibus, quod patet. Tunc dicitur homo sequi alterum quando ponit pedes in passibus Christi, sicut patet per stigmata, et quia Christus errare non potest. Ideo in hoc quod dicitur Franciscus post Christum iuit, apparet quod omnem deuiationem declinavit [175va], ideo potest sibi dicere Christus Illud Jer. 3 (19) : *patrem uocabis me et post me ingredi non cessabis*. Nota illud quod dicit *ingredi non cessabis*. Illud quod facit ferrum sequi adamantem est confricatio eius cum adamante. Unde quandoque est tanta confricatio quod non solum unum ferrum alteri coniungitur per modum cuiusdem cathene, sicut patet de acubus. Franciscus fuit sic confricatus cum Christo, qui est lapis adamantinus, quod non solum secutus est eum dum uiueret, ymmo multos traxit secum et adhuc non cessat continue trahere unam magnam cathenam fratrum, illos uidelicet qui eum in uita et in moribus insequuntur. Nota<sup>1</sup> quomodo in hora mortis, dum anima eius sanctissima de corpore recederet, frater Augustinus uir iustus et sanctus minister in terra laboris, in ultima hora ponitus, cum iamdiu amisisset loquelam, subito multis audientibus dixit : « Exspecta me, pater, exspecta, ecce iam uenio tecum ». Mirantibus fratribus et querentibus cui sic loquebatur, respondit : « Nonne uidetis patrem nostrum beatum Franciscum qui uadit ad celum ? » Quo dicto anima ipsius emigrans de corpore secuta est patrem suum, beatum scilicet Franciscum, euntem ad celum ad quod eius meritis nos perducatur Christus etc.

---

<sup>1</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, XIV, 6 (*Fontes franciscani*, p. 903-904).

## SERMON 77

Saint François.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 175va-178ra ; Upsalla, Univ. Bibl. C 276, f. 130r.

Plan :

Thème – La raison doit diriger la chair, et non le contraire. L’humilité est nécessaire pour atteindre la gloire.

I – Voir sermon précédent.

II – L’esprit doit s’élever.

Division 2 (Jer. 49, 22) : comment se manifestent les progrès de l’esprit.

- a. mépris des biens terrestres
- b. contemplation des biens célestes
- c. supporter le manque

F. 175va : *Amice ascende superius* (Luc. 14, 10).

[Thème] Dicunt logici quod locus ab inferiori ad superius tenet constructiue et est consequentia ualde bona, set qui econtrario arguit non est bona consequentia, ymmo decipitur talis per fallaciam consequentis. Processus [175vb] autem huius uite presentis est quasi quidam processus sillogisticus tendens ad unam conclusionem finalem. Finalis autem conclusio omnium uiuentium est mors. Ps. (77, 50) : *non pepercit in morte animas eorum et uitam eorum in morte conclusit*. In hoc processu decipiuntur multi per fallaciam consequentis. Tunc est fallacia consequentis quando fit de consequente antecedens et econtrario, nisi in uno casu, quando scilicet arguitur a determinatione consequentis, tunc enim non est fallacia set bona consequentia. Iterum fallacia consequentis est, ut dixi, quando argumentum a superiori ad inferius affirmando. Spiritualiter et moraliter in homine sunt duo, scilicet sensualitas et ratio, quorum unum debet esse antecedens et aliud consequens, ratio debet antecedere et dirigere sensualitatem, sensualitas sequi uel consequi rationem. Figura Mt. 30 (2, 9) ubi dicitur quod *stella quam uiderant in oriente antecedebat eos usque ubi erat puer*. Stella apparens in oriente et antecedens et ducens ad puerum Jhesum directe est lumen rationis communicatum homini et collatum ab oriente Natiuitatis sue, ut antecedit sensualitatem et dirigat omnes actus hominis ad Deum et ad suam salutem. Hoc antecedens gloriatur se habere sapiens cum dicebat (Sap. 7, 12) : *letatus sum in omnibus quoniam antecedebat me* etc. Et certe tunc decipitur homo per fallaciam consequentis quando fit de antecedente consequens, quando scilicet ratio que debet antecedere sequitur sensualitatem. Tunc est consequentia ualde mala quia *si secundum carnem uixeritis moriemini* (Rom. 8, 13). Ecce pessima consequentia nisi in uno casu, quando scilicet arguitur [176ra] a destructione consequentis uel negatione, scilicet quando ratio arguit sensualitatem, destruit desideria carnis per opera penitentie, negat sensualitati delicias quas petit et appetit. Tunc arguitur a

destruione consequentis et est consequentia ualde bona quia *si Spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis* (Rom. 8, 13). Figura ad hoc Numerorum ubi dictum est Moysi (Ex. 17, 5) : *antecede populum et uirgam sume in manu tua*. Moyses ascendens est ratio dirigens que debet tenere uirgam correctionis cum qua destruit desideria carnis. Sic arguit a destructione consequentis nec erat fallacia, set legimus (Exo. 7, 10) quod Moyses semel uirgam suam proiecit ad terram et uersa est in serpentem. Sic recte quando ratio negligit et dimittit uirgam directionis cum qua destruat desideria carnis, sic arguit a destructione consequentis, uirga correctionis mutatur in serpentem fallacie et deceptionis. *Serpens decepit me* in Gen. (3, 13). Iterum secundo decipitur per fallaciam consequentis. Qui procedit a superioribus ad inferius affirmando non est econtrario, ab inferiori ad superius procedit superbus quia *qui se exaltat humiliabitur*. Ecce mala consequentia et fallacia. Je. 49 (16) : *arrogantia tua decepit te et superbia cordis tui*. Set ab inferiori ad superius procedit uerus humilis quia *qui se humiliat exaltabitur*. Ecce bona consequentia, scilicet honor et gloria, quod ita sit, non oportet longe ex natura querere. Expresse docet hoc Dominus in euangelio hodierno ubi dicebat ad inuitatos parabolam illam (Luc. 14, 8) : *cum inui|176rb|tatus fueris ad nuptias non recumbas in primo loco*. Non incipias a superiori ne forte honorabilior te sit inuitatus et dicat tibi qui te inuitauit (Luc. 14, 9) : *da huic locum et incipias cum rubore nouissimum locum tenere*. Ecce processus a superiore ad inferius ubi est consequentia mala. *Set cum inuitatus etc. recube in nouissimo loco*. Incipias ab inferiori ut, qui cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi : *amice ascende superius*. Ecce ab inferiori ad superius est ne bona consequentia certe sit, quod statim subdit (Luc. 14, 10) : *et erit tibi gloria etc.*

[I] Si uis uitare fallaciam et habere bonam consequentiam, scilicet consequi gloriam, procedas per uiam humilitatis ab inferiore ad superius, hoc est quod ibi dicitur : *amice ascende*. Ubi tria tanguntur ut supra.

[II] Quantum ergo ad secundum, nunc excitatur animus ad profectum uigoris, ibi *ascende*. Aquila uidens<sup>1</sup> pullos suos potentes uolare nihilominus torpentes in nido ut eos excitet et prouocet ad uolandum duo facit : quia primo subtrahit eis cibum, et secundo uerberat eos alis et sic eos ad uolandum excitat et compellit. Sic uere facit nobis Dominus Deus temporibus istis ut nos potentes et prompti in malo et torpentes in bono, excitet ad cognoscendum spiritualem et profectum ad Deum et primo subtrahit nobis cibum. Videtis quanta caristia, quanta penuria est hodie uictualium. Renouati sunt dies antiqui de quibus dicitur in Gen. (41, 54) quod *in uniuerso orbe* |176va| *deerat et oppresserat fames terram maxime Egypti*. Egyptus tenebra peccatum significat<sup>2</sup>, et uera et patria tam et precipua huius fame peccata nostra in cuius figuram dicitur quod *terra erat inanis et uacua et tenebre erant super faciem abyssi*. Secundo Dominus uerberat nos alis suis, id est malis multiplicibus, persecutionibus, guerris, infirmitatibus mortalibus quibus totus mundus est hodie plenus. *Inuenerunt nos multa mala*, I Mach. I (12). Hoc ideo anima facit uel fieri permittit ut nos excitet sicut aquila ad

<sup>1</sup> Exemplum 18.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 66.

ascensionem animi et profectum uigoris. *Sicut aquila prouocans* etc., Ps. (Deut. 32, 11). Non ergo torpeamus amplius in nido peccati set faciat quilibet iuxta uerbum Jeremie figuratiue loquentis 49 (22) : *ecce sicut aquila ascendet et uolabit et expandet alas suas super Bosram*. In qua auctoritate tria tanguntur in quibus profectus spiritualis manifestatur. Primum est despectus et subpeditatio terrenorum ibi : *ecce ascendet*. Secundum est aspectus et contemplatio supernorum ibi : *et sicut aquila uolabit*. Tertium est respectus et sustentatio egenorum ibi : *et expandet alas suas super Bosram*, que interpretatur in angustia<sup>1</sup> uel in tribulatione.

[a] De primo nota quod quanto aliquis plus ponit de terra sub pedibus suis, tanto altius ascendit. Sic quanto amplius terrena subpeditat et contempnit, tanto plus in spiritualibus proficit et altius ad Deum ascendit. Ps. (17, 10) : *caligo sub pedibus eius et ascendit super* |176vb| *cherubin et uolauit*. Cherubin interpretatur plenitudo scientie<sup>2</sup>, et sunt clerici et uere simplices et ydiote aliqui qui terrena subpeditant et contempnunt, super cherubin ascendunt. Augustinus<sup>3</sup> : « Ecce ydiote rapiunt celum, nos autem cum litteris nostris demergimur in infernum. » De isto spirituali profectu et ascensu per contemptum et abiectioem terrenorum habebamus in natura familiare exemplum quod est certum experimentum. Accipiatur ouum unum et per modicum foramen in testa factum, euacuetur tota sua medulla naturali, postea obturetur et impleatur rore et modica cera et aliquo tali claudatur, et tunc ponatur ad pedem haste eleuate in tali tamen dispositione et situ quod radius solis directe percussiat super testam. Videbis quod uirtute solis rorem calefacientem testa ascendit usque ad summitatem baculi uel haste. Sic spiritualiter cor humanum ad litteram quasi figure oualis, si euacuetur tota sua naturali medulla, id est omni carnali affectione et terreno amore, ut impleatur rore gratie, obturetur etiam cera et desiderio ceteris dulcedinis uel aliquo alio scilicet timore inferni, tunc ponatur per profundam meditationem et situetur in pede baculi crucis ubi potissime radius solis incidit, ubi feruor diuini amoris maxime apparuit. Cor sic calefactum usque ad summitatem baculi siue haste ascendet usque ad diuinitatem que fuit supprima |177ra| uel usque ad gloriam que terminauit Christi Passionem. De hoc ascensu cordis ad Deum per euacuationem terreni amoris dicitur in Ps. (23, 3-4) : *quis ascendet in montem Domini etc. innocens manibus et mundo corde*.

[b] Secundo est aspectus et contemplatio eternorum. Sicut aquila uolabit, contemplatio uolatus dicitur pro tanto quia sicut auis uolans aerem uerberat et subintrat. Nec tamen aer in aliquo leditur, ymmo remanet integer ut uidetur propter quod inter difficilia ad cognoscendum enumerat sapiens (Prou. 30, 19) : *uiam aquile in celo*. Sic cor humanum, quando de re aliqua cogitat, rem aliquam subintrat nec res ipsa in aliquo leditur nec alicui patet uia per quam ingreditur, et ideo contemplatio uolatus dicitur. Iterum illud quod facit auem uolare plume sunt, que non sunt de natura auis nec pili hominis, set sunt superfluitates quedam ad uolandum ordinate que ideo uolare faciunt,

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 86 (*sub nomine Bosor*).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Meritum C (Augustinus super Mattheum 11).



quia infra se aerem continue recipiunt, cuius natura est ad locum suum tendere et corpus cui inheret sustentare et portare. Vis scire utrum plume que faciunt cor uolare species rerum intelligibilium relictæ sunt? Quando enim oculus uidet aliquam rem, statim pluma una radicatur in corde, species scilicet rei illius que non est de natura intellectus set est superaddita ut faciat cor per rem illam uolare et de re illa cogitare. Virtute enim continet rem totam et inclinat intellectum in eam. Nota autem: quecumque plume faciunt aues uolare in altum quia non ille plume |177rb| que mutantur set alie, set species rerum numerabilium secundum quas cor humanum frequenter mutatur, non faciunt cor uolare in altum set ale contemplationis. Et ideo dicitur: sicut aquila uolabis. Aquila enim inter omnes aues altius uolat et hoc ei contingit propter fortitudinem uisus in quo preeminet ceteris auibus. Videt enim solem in rota absque lesione aliqua. Set quid est rota solis radii solares? Quanto magis elongantur a sole? etc. ut habes in sermone<sup>1</sup> de Assumptione *In hac die tua* etc. Tunc applica quod quanto homo in hac mortali uita melius uidet et contemplatur perfectius rotam solis, omnes bonitates et perfectiones in Deo unitas et in creaturis diuersas, tanto plus terrena contempnit et in amore Dei amplius proficit et ideo altius uolat uel ascendit, in Job (39, 27): *eleuabitur aquila et in arduis ponet nidum suum*.

[c] Tertium est in quo attenditur spiritualis profectus scilicet respectus et sustentatio egenorum ibi (Jer. 49, 22): extendet *alas suas super Bosram* que interpretatur in angustia<sup>2</sup> uel in tribulatione. Auis enim, quamdiu tenet plumas et alas suas clausas, solum corpus suum cooperit, nulli proficit nisi sibi set quando alas expandit, tunc pulli deplumati subintrant, fouentur et calefiunt ibi. Dixi autem quod plume non sunt de natura auis set sunt superfluitates addite. Plume ergo sunt bona fortune superaddite bonis nature. Aues plumas multas et alas habentes sunt diuites in temporalibus habundantes, set |177va| pulli deplumati sunt pauperes et egeni. Set sunt diuites aliqui qui alas et plumas suas tenent ita clausas quod nullo modo uolunt eas pauperibus expandere. Narra de archydiacono<sup>3</sup> quem puer rogauit, cum cominaretur ei, quod portaret eum secum: « Domine, inquit, pro Deo non ponatis me in archa uestra », rationem subiungens: « Audiui, inquit, quod quicquid ibi ponitur in perpetuum non exhibit. » Debent diuites ergo multas plumas et alas habentes expandere ut pulli deplumati, pauperes et egeni, protegantur sub alis eorum. Juxta illud in Ps. (60, 5): *protegar in uelamento alarum tuarum* et alibi (Ps. 16, 8): *sub umbra alarum tuarum*. Protege nos. Inter autem omnes homines mundi qui magis proprie plumas habent sunt clerici. Plume, ut dixi, sunt superfluitates addite: si layci homines, diuites, milites uel mercatores habent multas diuitias, non sunt eis superflue quia debent filiis thesaurizare, set uir ecclesiasticus qui unus est et secundum non habet et tamen congregare non cessat, qui *thesaurizat et ignorat cui congregat* etc. in Ps. (38, 7), talis proprie habet plumas et alas quas debeat expandere in Bosram. Ad litteram: quicquid habet ultra uictum et uestitum totum est plume superflue. Totum est pauperibus erogandum. Figuram habemus ad hoc Ex. 26 (25,

<sup>1</sup> Sermon 65.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 86.

<sup>3</sup> Exemplum 19.

20) ubi dicitur quod cherubin *utrumque latus propitiatorii tegebant expandentes alas suas et aperientes oraculum*. Cherubin plenitudo sciencie interpretatur<sup>1</sup>, qui debent esse clerici uiri ecclesiastici, [177vb] qui debent alas suas expandere ad sustentationem pauperum, ut inueniat diem sibi propitiam et alis a quibus bona ecclesiastica habuerunt. Set notandum quod preter illa cherubin que olim fecit Moyses in tabernaculo, Salomon alia postmodum fecit in templo et in hoc conueniebat ultima cum primis quia utique expandebant alas suas set differebant, quia duo prima habebant uultus suos uersus propitiarium, duo ultima ad exteriorem domum. Sic recte est de uiris ecclesiasticis antiqui et moderni temporis : utique expandebant alas et multa expendunt set aliter et aliter quia primi habebant alas et uultus uersus ad propitiarium inexpensis quas faciebant, habebant oculos ad propitiarium, expendebant bona sua in sustentatione pauperum, set hii habent uultus uersus ad exteriorem domum quia non propter Deum set propter fauorem et honorem mundanum, propter fastum totum patrimonium crucifixi hodie expenditur in pompis et apparatu uestium, in fallatis equis, in superfluitate ciborum, in donariis meretricum, hoc non est alas expandere, scilicet in Bosram. Est ergo tertium in quo attendit spiritualis profectus, scilicet respectus et sustentatio egenorum. Ps. (Deut. 32, 11) : *expandit alas suas et assumpsit eum* etc. Set quid<sup>2</sup> facit illud ad spiritualem profectum scilicet respectus et sustentatio egenorum ? Certe multum. Nota quod debiles et impotentes qui non possunt incedere nisi [178ra] cum auxilio baculorum, qui gallice potentias uocantur, quando uident arborem multis fructibus onustam, ut deiciant ad se fructus, deponunt potentias et proiciunt eas ad arborem, et quanto plus proiciunt, tanto habundantius fructus ad se sentiunt. Potentie quibus inuituntur debiles, contracti sunt peccunie in quibus confidunt diuites auari. Unde dicitur de illo rege diuite Arphasas, Judit. 6 (1, 4), quod *gloriabatur quasi potens in potentia sua* set alii diuites qui non possunt sursum ascendere iuxta illud : *quod difficile qui peccunias habent in regnum Dei intrare*, Mt. X (23). Item quicumque uolunt habere de fructu ligni uite, quod est plantatum in medio paradysi, debent potentias suas deponere et proicere pauperibus, quia quanto plus proicient, tanto habundantius fructum recipient. « Amen dico uobis : quod uos qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et uitam eternam possidebitis<sup>3</sup> ». Quod nobis contingat.

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

<sup>2</sup> quid] quit P.

<sup>3</sup> CAO, 3, 5502, S. Pauli, Comm. Evangelistarum, Comm. Apostolorum.

## SERMON 78

Saint François.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 178ra-180vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 187v.

Plan :

Thème – Les différents degrés de parenté. Saint François fait partie des consanguins du Christ :

- a. en lignée collatérale
- b. en lignées ascendante et descendante

I – Dieu l’aime comme son semblable.

II – Dieu élève l’humble.

III – Il le conduit au ciel.

F. 178ra : *Amice ascende superius*, Luc. XIII (10).

[Thème] Gradus propinquitatis inter carnales consanguineos et amicos in triplici linea solent computari collateralium, descendendum et ascendendum, et differunt tamen quia primus gradus in linea collateralium est fratris cum sorore uel duorum fratrum ; primus in linea descendendum est patris ad filium, secundus ad nepotem et sic descendendo ; primus in linea ascendendum est filii ad patrem, secundus ad auunculum et sic ascendendo, ita quod lineae ascendendum et descendendum non sunt due [178rb] secundum rem set una tantum duplicata secundum duplicem computandi modum. Hoc ideo dixi quia sicut inter carnales consanguineos et amicos sunt gradus propinquitatis distincti, sic inter spirituales amicos de quibus Christus dicit : *uos amici mei estis* etc., Joh. XV (14). Sunt ergo gradus propinquitatis diuersi, non sunt enim omnes equaliter Deo propinqui et dilectionem graduum ipsemet annuit, Mt. XII (49-50) : quando extendens manus in discipulos dixit : *ecce mater mea et fratres mei, quicumque fecerit uoluntatem Patris mei qui in celis est, ille meus frater et soror*. Ecce linea collateralium, *et mater est*, ecce linea ascendendum et descendendum. Siue autem computemus gradu propinquitatis in linea collateralium sicut in linea ascendendum et descendendum, semper inueniemus quod beatus Franciscus inter Christi consanguineos : quantum ad [primum] tenet primum gradum.

[a] Computamus primo in linea collateralium. In hac linea beatus Franciscus quantum ad duo tenet primum gradum, primo quidem quia consanguinei dicuntur qui communicant in sanguine, unde proprie consanguinei sunt martires qui lauerunt stolas suas in sanguine agni, illi communicant in sanguine cum Christo ; pro cuius enim amore sanguinem suum fuderunt, sicut Christus econtrario : *dilexit nos et lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc. primo (5). Isti sunt bene consanguinei et amici quia *maiolem autem dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Jo. 15, 13). Set numquid inter istos beatus Franciscus martir mente et [178va] corpore desiderio tenet primum gradum ? Vere sic aliquo modo si computemus in linea collateralium, ymmo solus ipse

fuit proprie sanguineus a latere : non solum in manibus eius et pedibus apparebant stigmata clauorum, ymmo etiam in latere eius, ac si fuisset Christi lancea perforatum, uulnus quodam rubeum apparebat quod sepe sanguinem sacrum effundens, tunicam eius et femoralia respergebat. Hoc non legitur de aliquo alio sancto. Ergo in linea collateralium ipse tenet inter Christi sanguineos primum gradum ut dicatur de ipso et beato Francisco illud Heb. II (14) : *pueri a puritate dicti communicauerunt carni et sanguini*. Ecce duo sanguinei. Adhuc quantum ad aliud tenet primum gradum in hac linea beatus Franciscus. Linea enim collateralium in qua primus gradus est fratris cum sorore uel duorum fratrum, est caritas. *Caritas fraternitatis maneat in uobis*, ad Heb. XIII (1). *Caritatem fraternitatis adinuicem diligentes*, Jo. III (Rom. 12, 10). Quantum ad hoc tenuit beatus Franciscus in hac linea primum gradum et supremum quia ipse considerans quod illi qui tenent in hac linea primum gradum sunt frater et soror, qui ab eodem patre immediate originem trahunt, uidens insuper unum principium originis commune sibi et omnibus creaturis, quamlibet creaturarum quamcumque minima appellauit fratrem aut sororem, sicut patet in pluribus locis in sua legenda. Quando predicauit auibus, dicebat fratres uolucres et continue ante etiam imposuit silentium hyrundinibus suo garritu sermonem suum in [178vb] pedibus dixit<sup>1</sup> : « Sorores hyrundines, usque modo satis loquere estis etc. » Quantum ad animalia etiam bruta, ipse efficiebatur quidem caritate fraterna agnos quod ducebatur ad uictimam, ipse quandoque redemit memor illius agni immaculati qui se ipsum optulit uictimam pro peccatis nostris. Similiter etiam uice uersa, animalia bruta uidebantur ad eum affici amicitia quadam fraterna, sicut in multis factis patet in legenda sua. Si ergo frater et soror tenent gradum primum in linea collateralium, patet quod beatus Franciscus tenet in hac linea gradum supremum reputans omnem creaturam fratrem aut sororem ultra modum communem hominis, Prou. XIII (18, 24) : *uir amabilis ad societatem magis erit amicus quam frater si plus quam frater*. Ergo ultra primum gradum computemus.

[b] Secundo in linea ascendentium et descendentium. Linea est humilitas. Humilitas enim est una secundum rem, uariata secundum modum, una secundum rem quod ille idem qui descendit inferius per ueram humilitatem ascendit superius ad gloriam celestem, Eph. III (10) : quod autem ascendit quidem est nisi quia descendit primum etc. : *qui descendit ipse est et qui ascendit*, secundum modum computandi duplicem. Deus enim computatur ordine retrogrado quem computemus nos quia illi qui computant ascendendo superbos uidet qui reputatione sua super ceteris altiores. Gregorius<sup>2</sup> : « Tanto sit quilibet uilior Deo quanto pretiosior sibi ; tanto pretiosior Deo quanto propter eum [179ra] uilior sibi. » Exemplum in primo angelo qui uolens tenere primum gradum in linea ascendentium dicens (Is. 14, 13) : *ascendam super astra Dei exaltabo solium meum*. Tenet infimum gradum in linea descendentium. Exemplum econtra de beato Francisco qui, uolens tenere gradum infimum in linea

<sup>1</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, XII, 3-4 (*Fontes franciscani*, p. 882-883).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Humilitas N (Gregorius libro 18 Moralium) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XVIII, 38 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 925).

descendentium, uerecundebatur ualde quando inueniebat aliquem pauperiorem se, bene computauit ipse in linea descendentium, quando ordinem suum appellauit ordinem minorum et superiores ordinis prelatos uocauit ministros. Et ideo econtrario in linea ascendentium Deus posuit eum in gradu ualde alto, quod fuit ostensum in uisione cuidam socio suo oranti cum eo : uidit inter multas sedes in celo unam ualde nobilem mirabili gloria refulgentem et cum apud se admiraretur cuius esset sedes illa nobilissima, « audiuit uocem dicentem sibi : sedes hec unius de ruentibus et nunc seruatur Francisco humili<sup>1</sup>. » Hec uisio cum linea ascendentium et descendentium supradicta fuit optime figurata in Gen. (28, 12) ubi Jacob *uidit scalam stantem super terram cuius cacumen attingebat ad celum et angelos ascendentes et descendentes per eam. Scalam per quam angeli nunc ascendunt et descendunt et cuius culmen attingit celum est humilitas. Linee utique ascendentium et descendentium de qua Ambrosius<sup>2</sup> : « Nihil excelsius humilitate, que quasi superior nescit extolli, quia nemo illud affectat quod in se [179rb] iudicat. » In hac scala primo ascendunt angeli, postea descendunt. Set beatus Franciscus econtrario : primo descendit in tantum quod secundum compotum et reputationem suam, inter amicos et propinquos Christi tenuit infimum gradum in linea descendentium. Nunc autem de ordine retrogrado Deus computat eum inter primos ac magis propinquos in linea ascendentium unum prebens ei locum de quo cecidit angelus dicens : *amice ascende superius*. Similem suum diligit, *amice*, humilem suum erigit, *ascende*, nobilem situm porrigit illum scilicet a quo angelus cecidit, *superius*.*

[I] De primo nota quod ymago, figura seu similitudo sigilli faciliter imprimuntur cere molli necdum solum cere molli imprimitur, uerum etiam pergameno subtili seu pellicule tenui, si cere superponatur. Verum est quod non est sigillum aliquod ita autenticum quod non falsificatur quandoque set falsarii incurrunt penam grauem ualde. Spiritualiter cera mollis est cor beati Francisci (Ps. 21, 15) : *factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio uentris mei*. Sigillum autem cuius ymago debet imprimi humano cordi est sigillum crucis Crucifixi. Can. VIII (6) : *pone me ut signaculum super cor tuum*. De hoc signo dictum est Moysi in figura Num. XXI (8) : *fac serpentem eneam et pone eum pro signo*, serpens eneus quia figura serpentis tamen ueneno serpentino caret significat Christum qui uenit in similitudinem carnis peccati et tamen peccatum non fecit etc. [179va] Ad litteram ipsemet comparat se serpenti eneo : *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto* etc., Jo. III (14). Serpens iste positus est pro signo Luc. II (34) : *positus est hic* etc. et in signum cui contradicitur. Ymago et similitudo huius sigilli non solum impressa cere molli, scilicet cordi beati Francisci, quod ad modum cere mollis totum liquefiebat in amore crucifixi, uerum etiam pellicule tenui superposite cere molli. Pellicula qua tegitur cera mollis, id est mens humana, est caro nostra. Job (10, 11) : *pelle et carnibus uestisti me*. Pellicula autem beati Francisci ita erat attenuata uigiliis, ieiuniis et laboribus multis quod dicere potuit Christo (Gal. 2, 19) : *confixus sum cruci*, et ideo non

<sup>1</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VI, 6 (*Fontes franciscani*, p. 827-828).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Humilitas H (Ambrosius super Lucam libro 7) ; Ambrosius, *Expositio euangelii secundum Lucam*, VIII, 40 (M. Adriaen, SL 14, 1957, p. 312).

solum in eius mente, uerum etiam in exteriori cute fuit impressa ymago crucifixi et eius figura ut dicere posset (Gal. 6, 17) : *ego stigmata Domini Jhesu in corpore meo porto*. Cum ergo omne simile diligit sibi simile et beatus Franciscus fuit crucifixo similis, merito potest dicere Christus de eo illud Can. (5, 16) : *talis est dilectus meus et ipse est amicus meus*. Talis, inquam, sicut ego sum. Ergo suum similem diligit. Verum est quod illud sigillum quandoque fuit falsificatum, quamuis ualde autenticum. Quidam enim dubitauerunt ne negotium illud esset ficticium, set isti tamquam falsarii sigilli regis grauius sunt puniti. Narra de quodam canonico in quadam ciuitate qui, cum iuisset ad ecclesiam et uidisset ymaginem beati Francisci [179vb] depictam cum stigmatibus illis, statim cepit dubitare et hoc pro impossibili reputare, qui statim punctus adeo sentit in manu sinistra ictum percussure et sensit sonitum quasi esset spiculum egrediens in balista. Tunc deposita cyrotheca inuenit foramen in manu de quo ardor importabilis exibat nec tamen<sup>1</sup> in cyrotheta uestigium aliquod apparebat<sup>2</sup>. Cum autem hunc dolorem biduo sustineret, multis ad se uocatis narrauit quomodo propter plagam dubitatis quam habuerat in mente, fuisset sic uulneratus et plagatus in carne et petens ueniam a beato Francisco, et se firmiter credere confidens curatus etiam statim sic quod nec dolor nec uestigium aliquod postea remanserit, figuratur beatus Franciscus singularis Dei amicus et per Moysem assumptum de aquis cui Dominus loquebatur facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Ad litteram solent amicis secreta reuelari. Beatus autem Franciscus multas reuelationes diuinas habuit. Unde absentium [est] presentium secreta et futura multa cognouit, ipse est alter Abraham de quo Jac. I (2, 23) : *amicus Dei appellatus est Abraham*. Primo uocatus [est] Abram ita quod defficiebat in littera et aspiratione. Sic beatus Franciscus ante conuersionem suam non fuit homo multum litteratus set post conuersionem habuit litteras diuinitus inspiratas. Unde ipse Abraham pater uidens<sup>3</sup> et pater multarum gentium [180ra] set iste singulariter amicus Dei appellatus est, hoc de primo.

[II] De secundo nota quod quanto aliquis plus ponit de terra sub pedibus suis, tanto altius in celum ascendit. Maximus autem subpeditator et contemptor terrenorum fuit beatus Franciscus qui nihil terrenum reputauit suum set solum sibi mutuo commodatum. Narra quomodo cum semel quia infirmus fuerat, mantellum unum super tunicam portaret, inuenit pauperem nudum, tunc dicit<sup>4</sup> socio suo : « Mantellus iste huius pauperis est. Mutuo enim illum receperamus donec contingeret uos inuenire magis indigentem. » Unde mantellum exuens pauperem illum induit. Figuratus optime beatus Franciscus qui sic mundum subpeditauit per illum Jacob de quo dixit Esau qui interpretatur<sup>5</sup> uanus et significat mundum in quo nihil est nisi uanitas. Ecces. Primo (2) : *uanitas uanitatum etc. Subplantauit me inquit en altera uice* (Gen. 27, 36). Ubi notandum quod Jacob uolens secunda uice subplantare Esau fratrem suum, induit se uestibus alienis quarum fragrantiam statim cum pater sensit, dixit : *ecce*

<sup>1</sup> nec tamen] nec tamen *add. P.*

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VI, 8 (*Fontes franciscani*, p. 828).

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 61.

<sup>4</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, VIII, 5 (*Fontes franciscani*, p. 845-846).

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 65.

*odor filii mei* etc. et in Gen. (27, 27). Jacob subplantator significat<sup>1</sup> beatum Franciscum qui, ut perfecte subplantaret mundum, induit se uestibus alienis quarum fragrantiam statim cum pater sensit dixit : *ecce odor filii mei* etc. in Gen. Jacob subplantator ea perfecte abdicauit omne terrenum quod etiam uestem qua induebatur non reputabat suam, set sibi ab aliquo commodatam, et fratres [180rb] sui nihil quod habeant reputant suum. Dicunt quod totum est domini pape, totum est alienum. Iste indutus sic aliena ueste *subplantauit* mundum *en altera uice*. Primo siquidem subpeditat ipsum in sua conuersione quando coram ipso terminatis se omnibus uestimentis et femoralibus et restituens ea patri ac omnibus paternis bonis renuntians dixit<sup>2</sup> : « Usque modo uocaui te patrem in terris, amodo possum dicere : *Pater noster qui est in celis* etc. » Video legenda *subplantauit eum altera uice* indutus aliena ueste. Cum enim in iuuentute in orto nudus super terram iaceret et se omnibus indumentis etiam femoralibus spoliari fecisset, dixit fratribus astantibus : « Ego feci quod meum erat, doceat uos Deus quod uestra interest. » Quod uerbum intelligens unus de astantibus optulit ei tunicam, femoralia et cordam, dicens<sup>3</sup> fratri isti : « Tibi tamquam pauperi acomodo ea que recipias obedientie sancte mandate. » Tunc uir sanctus et gauisus est ualde uideri se subpeditasse omne terrenum quod etiam indumentum non haberet nisi ab aliquo acommodatum. Ecce ergo Jacob qui indutus alia ueste *subplantauit* Esau *en altera uice*. Iterum Jacob indutus ueste odorifera est beatus Franciscus, unde dicas de hoc, sicut habes in sermone<sup>4</sup> *Benedixi ei et erit benedictus*. Concludas quod beatus Franciscus tantum de terra posuit sub pedibus quod subpeditauit omne terrenum, ideo ascendit altius uersus celum, eleuatus a terra non solum mente [180va] set etiam corpore, quandoque propter altam contemplationem celestium, ut sibi congruat illud prius dictum (Ps. 17, 10) : *caligo sub pedibus eius*, quantum ad subpeditationem terrenam. *Et ascendit super cherubin et uolauit* (Ps. 17, 11) in contemplatione diuinorum. Cherubin, plenitudo sciencie<sup>5</sup>, significat clericum multis bonis plenum. Narra quomodo semel interrogatus a quodam doctore theologie de quadam subtili questione, ita subtiliter et clare respondit quod doctor ille pre admiratione dixit<sup>6</sup> : « Theologia istius hominis altius aquila contemplationis uolat in celis, nostra theologia pedibus graditur super terram. » Unde sibi congruit illud Job XLIX (Jer. 49, 22) : *ecce sicut aquila ascendit et uolauit et exponeret alas suas super Bosram*. Auctoritatem hanc habes exposita in collatione<sup>7</sup> que incipit *Amice* etc. et sunt ibi multa que possunt applicari ad beatum Franciscum.

[III] De tertio nota quod locus ab inferiori ad superius tenet constructiue etc. ut habes in collatione predicta, in alia que incipit *Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis* (Hebr. 1, 3), et pro

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67. significat] significat *add. P.*

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, II, 4 (*Fontes franciscani*, p. 790).

<sup>3</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, XIV, 4 (*Fontes franciscani*, p. 903-904).

<sup>4</sup> Sermon 49.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

<sup>6</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, XI, 2 (*Fontes franciscani*, p. 870).

<sup>7</sup> Sermon 77.

concordantia uel figura poteris inducere quod beatus Franciscus habuit argumentum *superius et inferius*, Job XV (19). Item potes assignare causam quare locus a superiori ad inferius tenet destructiue et non constructiue quia cito deficit, ymmo non constituitur altum edificium nisi iacietur<sup>1</sup> primo fundamentum. Ideo Cassiodorus<sup>2</sup>: « Nullo modo poterit in anima nostra uirtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerunt uere humilitatis corde nostro fundamenta, que firmissime<sup>3</sup> collocata perfectionis et caritatis |180vb| culmen ualeant sustinere. » Figura in Pe. XLI (Eze. 41, 7): *latius erit templum in superioribus et sic de inferioribus ad superiora ascendebatur*. Superbia de supernis celestibus ad yma precipitat, ab ymis ad alta leuat angelos in celo ad tartara corruit, hoc in mundo ad celum ascendit. Ubi nos perducatur.

---

<sup>1</sup> iacietur] iaciatur P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Humilitas AS (Johannes Cassianus libro 12 de spiritu superbie); Johannes Cassianus, *De institutis coenobiorum et de octo principalium uitiorum remediis*, XII, 32 (M. Petschenig, CSEL 17, nouv. ed. 2004, p. 230).

<sup>3</sup> firmissime] firissime P.



## SERMON 79

Saint François.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 180vb-183ra.

Plan :

Thème – Les chemins qui ont mené saint François à Dieu.

I – La contemplation de Dieu.

Division 2 (Ps. 54, 7-8)

- a. la fuite du monde et l'abandon des biens
- b. l'éloignement du monde
- c. l'apaisement du cœur

II – L'ordre du monde.

III – L'amour de Dieu.

F. 180vb : *Volauit ad me unus de seraphin*, Ysa. 6 (6).

[Thème] Illud quod maxime facit auis uolare ad predam est ardens desiderium circa predam, hinc est quod auceps uolens incitare auem ad uolandum debet dare sibi modicum de preda, quia talis angustia auget desiderium et ardorem. Franciscus ardebat tanto cordis desiderio circa predam suam, scilicet Christum. Luc. (24, 32) : *nonne cor nostrum ardens erat in nobis* de Jhesu. Ratio est : ignis inclusus calidior est, ideo illud [quando] continetur, facit ardens et feruens in tantum quod ipsum quem dirumpit sicut ignis inclusus infra uiscera nubis tenuis subtilem nubem diuidit et dirumpit. Suo ardore in terram illustrat suo splendore sicut patet in chorsatione. Ignis diuini amoris in Francisco fuit inclusus. Ideo fuit tanti ardoris et feruoris quod latere non potuit, ymmo nubem sui corporis, nubem uerum per penitentiae austeritatem subtiliatam et attenuatam dirrupit et fregit, et sic suo fulgore mundum illuminauit et inflammauit. Unde bene potest dicere de igne diuini amoris illud Jere. secundo (20, 9) : *factus est in corpore meo tanquam ignis estuans dansque in ossibus meis*. [181ra] Et defendere non sustinens, ignis diuini amoris inclusus in Francisco tantum fuit ardens et feruens quod non sic potuit latere in corde quin exterius appareret in corpore. Exemplum de stigmatibus<sup>1</sup>. Econtra ignis mundani amoris non solum non apparet exterius in corpore, ymmo, quod est peius, extinguitur interius in corde. Ratio est nubes : quandoque est nimis spissa et aquosa ita quod ignis latens exire prohibetur, ymmo extinguitur. Sic quando nubes corporis est nimis crassa dilatata, tunc ignem caritatis non solum permittit apparere exterius in opere set ipsum interius extinguit in corde. Sic loquitur Crisostomus<sup>2</sup>, libro de Compuactione cordis dicens : « Sicut impossibile est quod ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compuactione cordis uigere in deliciis. Contraria enim hec sibi

<sup>1</sup> stigmatibus] stantinatibus P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Delicie F (Crisostomus De reparatione lapsi).

inuicem sunt. » Unde tales uoluptuosi optime figurantur (II) Mach. I (19) per puteum, in quo tres uias in quibus Franciscus uolauit ad Christum.

[I] Prima fuit contemplatio speculationis diuine superne. Volauit auis citius et securius, consequitur predam uolando ad celum sursum quam animal terrestre peditando deorsum quod non tenet laqueum rethe. Prou. I (17) : *frustra iacitur rethe* etc. Animal uero peditans in terra frequenter impeditur et tenetur laqueo. Job 19 (18, 9) : *tenebitur planta eius laqueo*. Sic multo securius sequuntur uolantes sursum per contemptum terrenorum et contemplationem celestium quam peditans deorsum se ipsos in terrenis negotiis implicando. Job 9 (18, 10) : |181rb| *absconditum est in terra pedica eius*. Dictum est hominibus terrenis : abscondit laqueos peditam sicut uenator animalium. Quedam animalia astuta que habitant in foueis, sicut uulpes que multa mala facit uineis et segetibus uastando, quarum refugium est in ingressu fouee, unde recurrendo ad foueam putant se latere. Quod uidens uenator ante foueam abscondit laqueum a quo uulpes retinetur et capitur, non potens ad foueam peruenire. Sic quidam uulpini astuti faciunt multa mala bona pauperum deuastando. Figura per uulpes, Judit. 6 (15, 4) : Sampson *cepit uulpes* etc. que destruxerunt uineas, segetes etc. Isti ponunt refugium, spem salutis, in ingressu fouee, hoc est in statu senectutis uel deliberate mortis. Tunc proponunt penitere, totum emendare set demon ante foueam abscondit laqueum, confidentibus in fouea senectutis parat laqueum cupiditatis quo senes restringuntur, ita retinentur quod nihil omnino possunt emendare nec dare. Seneca<sup>1</sup> : « Cum cuncta uicia senescunt in homine, sola cupiditas iuuenescit. » Confidentibus in morte deliberata paratur laqueus et mors subita improuisa te sanus percutitur. Hac animaduersione peccator ut modo obliuiscitur sui qui uiuens oblitus est Dei. Beatus Franciscus omnia terrena contempsit. Exemplum<sup>2</sup> quia coram episcopo renuntiauit omnibus et patri carnali restituit, ideo |181va| secure et libere uolauit ad Christum secundum consilium : Ps. d (54, 7-8) : *uolabo et requiescam. Ecce elongaui fugiens*. Ubi commendatur a tribus que debet habere : purum contemplatiuum mundi statum formidare fugiens.

[a] Oculus clarus maxime debet cauere puncturam quia ipsum uulnerat et execat. Status mundi est clauus pungens, oculum cordis ledens. Figura Num. 33 (55) : *erunt in uobis quasi clauis in oculis et lancee in lateribus*. Dictum est de habitatoribus terre, unde mundus temptando pungit sicut clauus, lancea in qua punctione se ipsos interimuntur quasi balena<sup>3</sup>, de qua legitur quod uenator eam pungit exterius, dimittens lanceam intra uulnus, quod ipsa sentiens non laborat excutere lanceam, ymmo descendens ad profundum maris confricat se ad terram et lanceam sibi infigit, in tantum quod se ipsum interficit. Sic mundus per temptationem corpus exterius pungit et uulnerat. Dan. 13 (10) : *erunt ambo uulnerati amore eius*. Modo licet mundus possit exterius uulnerare, in nobis non est assensum prebere uel negare. [Bernardus] 23 : « Potest inimicus excitare temptationis motum set in te

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Auaritia R (Hieronymus in quodam sermone).

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, II, 4 (*Fontes franciscani*, p. 790).

<sup>3</sup> Exemplum 20.

dare uel negare consensum<sup>1</sup>. » Modo sunt quidam fatui qui sentientes temptationis puncturam, non excutiunt eam nec fugiunt, ymmo in ea se profundant et immergunt in tantum quod se ipsos consentiendo interimunt, figurati per armigerum Saul de quo I Reg. 31 (I Paral. 10, 5) dicitur : *irruit hic in gladium suum et mortuus est*. [181vb] Franciscus puncturas mundi et temptationes fugit, id est fugiens mundus latuit. Nota : Franciscus de mundo fugit nudus, nihil secum mundanum portans, ideo fugit perfecte quia numquam retro respexit nec mundo potuit ipsum retinere. Figuratur per Joseph, dicitur Gen. 39 (12) quod *relicto in manu eius scilicet Egyptie pallio fugit et egressus est foras*. Sic multi fugiunt de mundo sicut dicitur de latrone de mercato qui, portans secum furtum, frequenter retro respicit, ex quo suspectus habetur propter hoc proponi Christum frequenter mundano retro se cogitando appetendo et tunc talis non fugit nudus set portat secum furtum aliquod. Mundanum furtum figuratur per Rachel (Gen. 31, 19) : *furata est ydola patris sui*. Ideo talis persona merito habetur suspecta, detinetur, capitur, occiditur. Sic Achor furatus est de anathemate, fuit precepto Domini lapidatus, Josue I<sup>2</sup> ; debet ergo statum mundi formidare et perfecte fugere. Exemplo Dauid I Reg. 19 (18) : *Dauid fugiens saluatus est*.

[b] Secundo oportet mundum formidatum declinare, *elongari*. Volens superna contemplari necesse habet a terrenis elongari. Gregorius<sup>3</sup> V Moral. : « Mens ad contemplandum superna non perducitur nisi ab eis que exterius implicant studiose retrahatur. » In figura huius, quando Christus uoluit se, ab apostolis se elongauit. Luc. 22 (41) : *ipse auulsus est ab eis* etc. Ratio huius est : res licet sit modica, quando tamen est oculo nimis propinqua, impedit uisum [182ra] a uisione maioris rei, sicut digitus positus super oculum impedit uideri maius quam nullum angulum occupat in oculo, quando uero impedit a perfecta uisione, quia licet non occupat, tamen eius partem sic mundus licet sit et retardat, I Jo. 3 (11) : *qui malefacit non uidet Deum*. In quibusdam autem, licet mundus cor suum non totum occupat, tamen perfecte per negatiuam et secundum quod mundus in corde eorum occupat maiorem angulum, secundum hoc maius uel minus perfecte suum clare. Unde Thy. dicitur illud, Ex. 33 (20) : *non poteris uidere faciem meam*, id est habere contemplationem perfectam et claram. *Non uidebit me homo et uiuet* (Ex. 33, 20), uita scilicet mortali. Franciscus uidit Deum perfecta contemplatione. Nota exemplum quod Deus amicitiam omnium mundanorum ita ab eo fugauit quod nihil mundanum in corde eius et minimum angulum occupat, super quo Domino regnantur in Ps. (87, 19) dicens : *elongasti a me amicum et proximum*. Set non quidam elongant se a mundo non ut uere mundum fugiunt set simulatione, ut ipsum sequente melius accipiant, sicut homo quandoque simulat quod fugiat ut hostem sequentem postea capiat. Figura Judic. secundo (20, 32) quod filii Israel uolentes aduersarios superare et capere, *fugam arte similes inierunt consilium* ut sic eos ad sequelam sui traherent. Unde statim habita oportunitate, qui prius fugam assimilauerant uersa uice

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Temptatio AD (Bernardus sermone 39).

<sup>2</sup> *Non inueni*.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Contemplatio E (Gregorius libro 5 Moralium).

ipsos qui fugauerant, sequebantur et ca|182rb|piebant. Sic multi ypocrite elongant se a mundo non ueraciter quod mundum respuant, set simulatorie ut ipsum sequentem melius capiant, probatio quod habita oportunitate, facta oblatione, mundum quem respuere uel fugere uidebantur, uersa uice amplexantur, unde eorum cursus exitus ad mundum iudicat quod sic est. Fugiebant ut melius caperent. Unde Hugo de Sancto Victore<sup>1</sup> : « Quidam honores fugiunt ut honores obuiant, subesse eligunt ut preesse possunt. Sepe enim ut gloria acquiratur, contempnitur, et mundus ut optineatur relinquitur. »

[c] Tertio illud quod perturbat cor sedare, *requiescam*. Impossibile est cor nostrum diuina contemplari, nisi sedetur et requiescat a perturbationibus mundi. In figuram huius Apostolis ad contemplationem uocatis dixit Christus (Marc. 6, 31) : *uenite seorsum in desertum locum requiescite*. Ratio huius est : aere et commoto et nubibus obscuratis impossibile est solem et celum clare uideri. Unde ad uidendum ad celum clare oportet quietum et serenum esse aerem. Sic ad contemplandum diuina oportet quod mens nostra sit serena a mundi turbationibus, quietata ista est ratio, Gregorius V Moral. d<sup>2</sup> : « Numquam contemplationem commotio iungitur nec preualet mens nostra turbata conspicitur ad quod uis usque tranquilla inheare. » Ergo oportet ad contemplationem cor habere serenum. Quomodo hoc possit fieri ? Patet sic. Aer propinquus terre uix potest esse serenus et quietus quia uentus illic |182va| flans nebulas eleuat, aerem commouet et perturbat. Set aer in tantum eleuatus a terra quod uentus non potest illic attingere, aer est quietus et serenus. Sic cor adeo terre propinquum quod uentus mundani honoris etc. Et illic flat per appetitum inordinatum, frequenter turbatur nec Deum contemplari potest. Jere. 4 (19) : *sensus cordis nostri turbati sunt*. Cor Francisci fuit ab omni terreno bono elongatum in tantum quod nullus uentus mundanus ad ipsum contingere poterat nec flare. Ideo quietum et serenum diuine contemplationi erat ydoneum ut merito dicatur de ipso illud 4 Reg. 4 (11) : *diuertit in cenaculum et quieuit ibi*, in cenaculum scilicet sue sciencie religionis. Nota exemplum de eius contemplatione.

[II] Secunda ratio siue uia qua Franciscus uolauit ad Deum [est] regulatio ordinationis eterne, *unus*. In omni multitudine ordinata est dare unum primum quod est mensura et regula aliorum. Sanctus ordo fratrum minorum est multitudo ad Franciscum ordinata<sup>3</sup> et cum ipso. Luc. 2 (13) : *facta est cum angelo multitudo militie*, et iste ordo cum angelo Francisco ducente uitam angelicam est militia celestis. Probatio : militie terrene dantur terrena stipendia, sicut militibus regum principum et baronum ; militie uero celesti sicut sunt milites qui solum amore Dei et proximi militant, dant ecclesie stipendia spiritualia sicut sunt arma uirtutum in quibus armantur. 2 Cor. 4 (10, 4) : *arma militie uestre non sunt corporalia* etc. Nam fortior militia |182vb| requiritur ad capiendum castrum quod hostis iam intrauit et ocupauit ad destruendum, auferendum munitionem quam ibi fecit, quam ad edificandum solum uel custodiendum iam edificatum. Militia huius ordinis non solum Christus habet edificare, id

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Honor Q (Hugo).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Contemplatio F (Gregorius libro 5 Moralium).

<sup>3</sup> ordinata] ordinato P.

est parare corda exemplis eius predicationibus et doctrinis, non solum seruare iam edificata, set habet corda peccatorum que demon iam occupauit capere omnem munitionem penarum cogitationum, suggestionum destruere et auferre. Unde fratres huius ordinis sunt de quibus consulitur, I Thy. I (18) : *milites in illis militiam bonam*. In ista multitudine et militia Franciscus est unus princeps et magister. Mt. 23 (8) : *unus est magister uester*. Magister carpentarius uolens lignum tortuosum gibbosum dolare et rectificare, applicat sibi funiculum, uolens lapidem grauem sursum trahere alligat enim funiculum. Sic corda in numero peccatorum primo gibbosa tortuosa dolata sunt et retificata per funiculum Francisci aut fratrum suorum, Jac. 2 (1) : *in manu eius funiculum mensorum*. Tunc mediante funiculo Francisci, murus, id est ordo fratrum minorum, exaltatus et infiniti peccatores tracti et eleuati apud Deum. *In funiculis Adam traham eos in uinculis caritatis*, Osee 11 (4).

[III] Tertio uia qua Franciscus uolauit ad Christum est scintilla dilectionis interne, *de seraphin* (Is. 6, 6) ardentis interpretatur<sup>1</sup>. Scintilla ardens naturaliter mouetur et uolat sursum, uerum est quod impeditur a perfecto |183ra| uolatu quamdiu aliquid terrestre admixtum, Deut. 4 (39) dicitur : *Dominus ipse est Deus in celo sursum* etc. quousque contingant et stent cum Deo. Figura Ysa. 2 (6, 1) : *uidi Dominum sedentem super solium excelsum* et sequitur (Is. 6, 2) : *seraphin stabat super illud*. Unde beatus Franciscus totus ardens in Deum merito super omnia mundana uolauit quousque ad Deum uenit, Ps. (17, 11) : *Cherubin et uolauit* etc.

---

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 122.

## SERMON 80

Saint Denis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 183ra-184ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 11ra-12ra ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 187v-188r.

F. 183ra : *Merces uestra multa est in celo*, Luc. (6, 23).

Mercatio que modo currit est talis quod mercatores qui uendunt ad credenciam multo plus lucentur et carius uendunt merces suas quam illi qui statim uolunt habere solutionem suam, et tamen sic uendere non est mercatio pura, set est ibi usura. Hoc ideo dixi quia sanctus Job dat intelligere quod nos omnes in hoc mundo sumus mercatores. Loquens enim de homine pro statu uite istius dicit : *sicut dies mercenarii dies eius*, Job VII (1). Secundum ueritatem quilibet hic mercatur et per mercationes suas, id est merita sua, lucentur uitam consciencie uel mortem gehenne. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (I Cor. 3, 8). Finita presenti uita, nundine sunt finite, Ecc. (Eccle. 9, 5) : *mortui nichil nouerunt amplius nec habent ultra mercedem*. Tunc enim non est tempus mercandi uel merendi, set est tempus recipiendi solutionem suam. Tunc dicitur (Mt. 20, 8) : *uoca operarios et redde illis mercedem*. Mundus ergo est nundine quedam mercatoribus plene et sunt nundine iste ita bone quod quilibet uolens potest ibi lucrari. Sola enim uoluntate ubi [183rb] facultas deest, homo potest uitam eternam mereri fortiori ratione ubi est uoluntas cum opere. II Paral. XV (7) : *confortamini et non dissoluantur manus uestre erit enim merces operi uestro*. Item nullus nisi uolens potest hic perdere. Vita enim eterna non amittitur nisi per peccatum mortale. « Peccatum autem adeo est uoluntarium etc...<sup>1</sup> » Item nundine sunt ita bone quod quicumque perdit ibi aliquid in fine recuperat et plus satis lucentur recuperando quam prius perdiderat. *Qui enim perdiderat animam suam in hoc mundo in uitam eternam custodit eam* (Jo. 12, 25). Nota si uis de illo qui perdidit denarium paruum, ut habes in sermone<sup>2</sup> *Petite* etc. Nundine huius mundi sunt talis conditionis quod mercatores qui uendunt ad credenciam lucentur ualde multum. Econtra modicum uel nichil lucentur illi qui statim uolunt habere solutionem suam<sup>3</sup>, qui bona que faciunt non faciunt propter Deum nec propter premium futurum set principaliter propter mundi gloriam, illi non uendunt ad credenciam. *Amen dico uobis receperunt mercedem suam* (Mt. 6, 2). Exemplum de militibus qui tot patiuntur in torneamentis, de diuitibus qui tot expendunt in pompis et uanitibus mundi : nichil lucentur isti. Set econtra illi uendunt ad credenciam qui bona opera faciunt pure propter Deum et propter futurum premium quod exspectant. Hoc modo docet mercari Augustinus<sup>4</sup> qui dicit : « Si uis esse mercator optimus, fenerator egregius, da quod non potes retinere ut accipias quod non [183va] poteris amittere. Da modicum ut

<sup>1</sup> Cf. Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, XIV, 27 (PL 34, 133).

<sup>2</sup> Sermons 24 et 25.

<sup>3</sup> suam] illi statim uolunt habere solutionem suam *add. B*

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Elemosina K (Augustinus in epistula).

accipias centuplum. Da temporalem possessionem ut accipias hereditatem eternam. » Vere uidetur quod nos non perdimus illud lucrum hodie nisi propter<sup>1</sup> defectum credencie. Si enim crederemus lucrum esse tantum sicut scripture et sancti predicant, libenter et audacter exponeremus mercationi omnia que habemus. Bona fortune *mercabimur et lucrum faciemus*, Ja. III (13). Sic fecerunt mercatores illi, martires Christi, Dyonisius et eius socii. Ideo dicitur eis : *merces uestra multa est in celo*, ubi notantur tria. Primo il ount paradis achaté, ore il sunt en possessioun, quia *merces uestra est* ; il n’ount garde de poureor<sup>2</sup> chescun ad bone porcioun, quia *merces uestra est* ; il sount venuz a sauueté et a seure mansioun, *in celo*.

Circa primum nota quod inter uenditorem et emptorem forum semper est nullum quousque denarius Dei sit traditus et receptus. Quandoque<sup>3</sup> enim emptor pluries offert denarium Dei antequam uenditor uelit eum recipere. Set ex quo denarius Dei traditus est et receptus, oportet de cetero quod for teneat et quod emptor rei empte possessionem habeat. Hoc ideo dixi quia secundum Augustinum<sup>4</sup>, « regnum celorum modo est uenale ». Venditor est Christus. Quilibet nostrum potest esse emptor. Unde<sup>5</sup> Augustinus<sup>6</sup> loquens in persona Christi dicit : « Venalem habeo etc. » Nota quod habes in sermone *Habundat ministerium iustitie* (II Cor. 3, 9). Postea |183vb| concludas quod for non tenet inter hominem et Deum nec homo habet possessionem regni celorum quam erit donec denarius Dei sit traditus Deo et ab eo receptus. Denarius Dei est anima Dei ymagine insignita, sicut in denario est ymago regia. *Ostenderunt ei denarium* (Luc. 20, 24). Sequitur : *cuius est ymago etc.* Homo non est in possessione firma regni celorum donec anima in morte est Deo tradita et ab ipso recepta. Non semper autem anima in manu uenditoris, hoc est in eius gloria, recipitur statim cum ab emptore traditur uel offertur. Ymmo diu stat in purgatorio, set hoc priuilegium spirituale habent martires quod denarius eorum<sup>7</sup> statim recipitur cum offertur. *Iustorum anime in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt etc.* (Sap. 3, 1-2). Et alibi : *iusti autem in perpetuum uiuent et apud Dominum est merces eorum*. Sequitur (Sap. 5, 16-17) : *et accipient regnum decoris et dyadema speciei de manu Domini*. Hoc de primo.

De secundo autem quomodo quilibet habet bonam porcionem, dicas sicut habes in sermone<sup>8</sup> *Quicumque spiritu Dei aguntur etc.* ubi oportet alias concordancias querere<sup>9</sup>, ultima concordancia potest esse : *anima mea, multa bona habes reposita in annos plurimos* (Luc. 12, 19).

De tertio nota quod mercator, quantumcumque habeat multas merces preciosas, numquam est in tuto : non est certus an debeat perdere uel lucrari, quamdiu merces sue et ipse sunt in mari. Sapiens

<sup>1</sup> propter] per B.

<sup>2</sup> poureor ] pourete B.

<sup>3</sup> quandoque] quoniam P.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Elemosina K (Augustinus in epistula).

<sup>5</sup> unde om. B.

<sup>6</sup> Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, 93, 24 (E. Dekkers et J. Fraipont, SL 39, 1956, p. 1325).

<sup>7</sup> eorum] eis B.

<sup>8</sup> Sermon 63 bis.

<sup>9</sup> querere] conuertere B.

comparat uitam hominis in hoc mundo uie nauis |184ra| in medio mari. *Viam nauis in medio mari uiam uite* (Prou. 30, 19 ; Jer. 21, 8). Ratio est quia super terram uie faciliter cognoscuntur etc. ut in prothemat<sup>1</sup> *Vidimus stellam eius*. Homo igitur, quamdiu est in mari huius mundi, quantumcumque habeat multas preciosas merces, multa et magna merita, numquam est in tuto nec est certus de finali dampno uel lucro, de dampnatione uel premio. *Nemo enim scit utrum odio uel amore dignus sit* (Eccle. 9, 1). Ideo in hac uita presenti nullus debet de se presumere nec confidere de propriis meritis. Exemplum in illis duobus *qui ascenderunt in templum ut orarent* etc. (Luc. 18, 10). Set postquam sancti applicauerunt ad portum salutis ad celum. De cetero sunt in tuto : nichil amittere possunt. In celo enim neque erugo neque tinea demollitur ubi fures non effodiunt nec furantur. Ad illum portum applicauerunt hodie martyres gloriosi, Dyonisius et eius socii, ut dicant cum apostolis (Phil. 3, 20) : *nostra conuersatio in celis est*, et dicatur eis illud Mt. (5, 12) : *gaudete etc. quantum merces uestra copiosa est in celis*. Ad illum portum nos perducat etc.

---

<sup>1</sup> Sermon 44.



## SERMON 81

Omnibus sanctis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 184ra-185vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 23rb-24vb.

Plan :

Prothème – Le Christ et le Saint Esprit sont comme un fleuve dans lequel le prédicateur peut puiser.

Thème – Le Saint Esprit permet de se tenir éloigné des tentations de la chair.

I – L’esprit de l’homme est irrigué.

II – Il exulte dans la joie.

III – Il se rassemble.

F. 184ra : *Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei*, Ps. (45, 5).

[Prothème] Aliquando oritur fons in loco inaccessibili et ideo non possunt homines in ipso fonte haurire immediate. Aliquando riuulus uel conductus emanat in quo hauriunt eiusdem nature aquam cum ea que est in fonte, et tali riuulo multum gaudent quoniam si retrahat se, tristantur. Deus pater fons est non solum creature set etiam Trinitatis et in isto fonte, quam|184rb|diu sumus in hac uita, immediate haurire non possumus. Ideo misit riuulum, scilicet filium, qui irrigauit ecclesiam et potauit dicens (Jo. 4, 13-14) : *qui biberit ex aqua quam ego do, fiet in eo fons aque salientis in uitam eternam*. Et iste retraxisse se uidetur in Ascensione, unde *tristitia impleuit corda* apostolorum (Jo. 16, 6). Set hodie deriuatus est alius riuulus a patre et filio qui sui roris intima aspersione corda eorum irrigauit et fecundauit, in tantum quod per eos quasi per quedam canalia, totam ecclesiam irrigauit set ne congelaretur ignis, ostensus est in quo Spiritus Sanctus riuulus est, qui est fons uiuus ignis caritas et sic totam ciuitatem ecclesie letificauit. In hoc oportet predicatorem haurire, ecce emanatio copiosa, *fluuius impetus*, quar il descendi a grant bruit, congratulatio populosa, *letificat ciuitatem Dei*, ici e i poit puiser touz non solum unus set tota ciuitas.

Circa primum nota quod sicut de rebus que sunt ultra mare, non possum loqui nisi ad similitudinem earum que sunt hic de quibus consueui loqui, sic nec de rebus diuinis. Sicut autem aqua ratione frigiditatis habet extinguere ardorem, ratione humiditatis lauare maculam, iniuncta cum arbore dare fecunditatem, sic spiritualiter<sup>1</sup> mitigat ardorem uoluntatis inflammantem ad peccandum, mundat culpam, fecundat ad bonam operationem, quod debet facere uerbum predicatoris, ideo necesse est<sup>2</sup> cum apostolis set ecce *flumen Dei repletum est* |184va| *aquis*, Ps. (64, 10).

Circa secundum nota quod non est usus ita communis sicut est usus aque. Sic Spiritus Sanctus hodie communicatur a Christo. Ideo *ite in ciuitate* ad quemdam et *occurrit uobis homo lagenam aque*

<sup>1</sup> spiritualiter] gratia Spiritus Sancti *add. B.*

<sup>2</sup> est] habet participare *B.*

*baiulans* in Mc. (14, 13). Set quis hauriet nisi ancilla ? Ideo illam rogabimus que dixit (Luc. 1, 38) : *ecce ancilla Domini*, que et hodie hausit cum apostolis.

*Fluminis impetus* etc., Ps. (45, 5). Inter personas diuinas proprium fuit officium filii habere curam de homine quia ipse est ymago que in diuinis sit generatio perfecta, ex qua filius est patris ymago et homo est ad ymaginationem, ut sic filius habeat respectum ad hominem. Hic autem medicus ueniens subtraxit illis, id est apostolis, ea que eis erant occasio infirmitatis, scilicet temporalia, auertens corda eorum ab hiis, per hunc modum radicem curans. Set sicut in absentia medici aliquando curatus cadit in infirmitatem, sic recedente isto per mortem infirmati sunt et ceciderunt ; quos post Resurrectionem ab infirmitate curauit, confirmans eos in fide et sanitatem, id est anime sanitatem, que est eius sanitas eis tribuit dicens (Jo. 20, 22) : *accipite Spiritum Sanctum*. Volens autem eos perfecte sanctos efficere et confirmare in sanitate, subtraxit eis quod eis erat occasio imperfectionis. Quamdiu eum corporaliter uidebant, carnali et corporali amore bono tamen eum diligebant nec erant dispositi ad tantam spiritualem sanctitatem<sup>1</sup>. Ideo sicut medicus subtrahit infirmo illud quod est licitum ut melius sit ei, sic Christus eis subtraxit suam presenciam corporalem, ut dispositi essent ad maiorem spiritualitatem et amorem, et sicut ecclesia pro procuratione animarum subtrahit carnes et exponit flumina, sic in proposito. Set quia iam erant corda eorum ignita, propter hoc quod iam Spiritum Sanctum receperant, ideo ueniens illud flumen et reflagrauit et exiuit ignis. Similitudo : sicut faber accendit ignem, aquam infundens [in] isto flumine, sic fuerunt perfusi quod totam ecclesiam irrigarunt. Unde Augustinus<sup>2</sup> de Johanne euangelista : « Quasi unus de paradisi fluminibus etc. » Nota quod sicut de loco uoluptatis egrediebatur ad irrigandum paradysum, sic a Deo processit Spiritus Sanctus qui omnes sitientes<sup>3</sup> salutem per quatuor capita, id est quatuor euangelista, per apostolos predicata in quatuor mundi partibus irrigauit. Hic docemur non diligere carnem, si uolumus Spiritum Sanctum recipere set eam nobis subtrahere. Quanto plus carnalia a nobis subtrahimus, tanto plus ad spiritualia dispositi sumus, quia Spiritus Sanctus numquam consuleret nos dimittere carnalia que licent nisi melius uacarent. Ecce irrigatio currens et influens, ut *fluminis impetus* exultatio gaudio affluens, *letificat*, congregatio ad unum confluens, *ciuitatem Dei*. Luy seynt esprit descendi cum une fleume que les cuers tient en joie et fet les cuers tut<sup>4</sup> un et aller une voye. Hec tria competunt ei quia est bonitas que se diffundit quo ad primum, caritas<sup>5</sup> |185ra| quo ad secundum, nexus quo ad tertium.

[I] Circa primum nota quod manens iuxta flumen per conductum deducat aquam ad domum et feces congregat ut lauentur. Sic homo debet omnes culpas colligere, nullam debet adherere set omnes commouere per contritionem et Spiritum Sanctum inuocare dicens : « Laua quod est sordidum<sup>6</sup> ». Set tunc est signum munditie uasis quando aqua ita munda exit sicut intrauit. Sic homo mundus est

<sup>1</sup> sanctitatem] sani *exp. P.*

<sup>2</sup> *Non inueni.*

<sup>3</sup> sitientes] scitientes *B.*

<sup>4</sup> tut] tot *B.*

<sup>5</sup> caritas] cari *exp. P.*

<sup>6</sup> AH, vol. 54, n° 153, p. 235.

quando exterius sicut interius ostendit Spiritus Sancti munditiam, ad hoc uocabat Christus, Jo. VII (37) : ultimo die festiuitatis sibi gaudebant<sup>1</sup> quando a seruitute liberabantur et possessiones eius restituebantur. Multo magis debent hodie Christiani gaudere quia in tertio die a Pascha datur remissio peccatorum, restitutio eternorum. Hoc non est donum seruorum. Ideo de statu seruitutis oportet ascendere ad statum libertatis. *Vos ascendite festum huc* in Jo. (7, 8). Sequitur (Jo. 7, 37) : *stabat Jhesus*. Isto domino stante non debet seruus iacere in luto peccati, in terrenis uel carnalibus per delectationem, set stare coram eo. Ideo ad exemplum *stetit Jhesus in medio* discipulorum (Luc. 24, 10), stabat etiam ut ab omnibus uideatur. Sic debet homo stare ut sit in exemplum dignum quod ponitur in stationario. Cor enim hominis sicut lampas non potest iacere set uel cadit quod sursum eleuetur, sequitur (Jo. 7, 37) : *et clamabat*, ostendens desiderium, clamat ipse per inspiramentum. Hic clamor non ledit set ungit, nam spiritualis unctio [est]. Unctus autem homo debet cito trahi, non potest ergo se excusare. *Jhesus clamans uoce magna emisit* |185rb| *spiritum* (Mt. 27, 50). Sequitur (Jo. 7, 37) : *si quis sitit ueniat et bibat*. Non uocat nisi desiderantem quia recreatio non est contra uoluntatem recipere, et quia uult quod iste amor delectabiliter recipiatur, ideo soli sitientes uocantur. *Omnes sitientes uenite ad aquas* (Is. 55, 1). Item aqua potus indigentium. Sequitur : *amen dico uobis qui credit in me* sicut dicit Scriptura (Jo. 6, 47). *Flumina que de uentre eius fluent aque uiue* (Jo. 7, 38). Non uult Deus quod Spiritus Sanctus celetur, set cum sit amor Dei « operatur magna si est<sup>2</sup> ». Ideo debet fluere per sanctam conuersionem et alii tali fluxu debent uiuificari. *Quoniam apud te est fons uite* (Ps. 35, 10), aqua fluens trahit secum leuia, sic Spiritus Sanctus corda sine macula. Sequitur (Jo. 7, 39) : *hoc autem dico de Spiritu quem accepturi erant* etc. Non est homo sicut brute<sup>3</sup> que alimentum recipiunt a terra et in terram uadunt, set a Deo secundum mentem que ad Deum tendit. Nam quantum descendit aqua, tantum ascendit. *Accipietis uirtutem superuenientis Spiritus Sanctus in uos*, Act. I (8).

[II] Circa secundum nota quod sapientia que omnia suauiter<sup>4</sup> disponit, sciens quod generosus est animus hominis, facilius ducitur quam trahatur. Seneca<sup>5</sup> : « Voluit hominem per amorem letificantem attrahere, multum debet homo letus fieri qui eundem amorem quem habet pater ad filium et econtrario recipit. » *Qui conuertit mare in aridam*, Ps. (65, 6). Quando cor hominis plenum est affectionibus mundi, tunc est mare plenum. Set quando Spiritu Sancto flante extra mundum educitur, uenit ad aridam, et sicut terra non potuit facere fructum nisi prius discooperiretur aquis, sic cor humanum |185va| nisi immediate in Deum tendat, secundum quod patet in uita hac : *uocauit Deus aridam terram congregationes aquarum appellauit Maria* (Gen. 1, 10), quia ubi plures diuitie congregantur, plures sunt amaritudines, et sicut aqua dulcis cadens in mare fit salsa, sic Spiritus paraclitus non esset ei dulcis qui imbutus esset mundanis. Ideo oportet quod arreat, set quia

<sup>1</sup> gaudebant] in rudeleo add. P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Opus F et Otiositas F (Gregorius in omelia); Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 30, 2 (PL 76, 1221B).

<sup>3</sup> brute] bruta P.

<sup>4</sup> suauiter] sua leuiter B.

<sup>5</sup> *Non inueni*.

cantamus<sup>1</sup> : « Riga quod est ardiū », ideo sequitur (Ps. 65, 6) : *in flumine pertransibunt pede*, quia Spiritus Sanctus, qui est amor, ducit pedem affectionis. « Ductore sic te preuio<sup>2</sup> » etc. Qui pedibus<sup>3</sup> uadit incedit humiliter et secure. Ideo humiles receperunt Spiritum Sanctum, econtrario superbi. In terris Babilonis edificatione, facta est confusio linguarum ut unus alium non intelligeret, hic humilitas meruit ut quilibet omnem linguam loqueretur et ab omnibus intelligeretur. Tales secure incedunt quia illi de celo audiunt uoces eorum, transierunt in affectum cordis. *Pedes eorum pedes recti*, Eze. I (7). Ibi letabimini in ipso, non in mundo, ymmo *super fluuia Babilonis illis sedimus et fleuimus dum recordaremur tui Syon* (Ps. 136, 1). Glosa<sup>4</sup> : in hostili enim terra dulcis est recordatio patrie. Set sicut qui cogitat primo de fine omnia ordinat in finem, sic qui cogitat de gaudio celi omnia etiam<sup>5</sup>. Tristitias in gaudium conuertit. Ideo sequitur (Ps. 136, 6) : *adhereat lingua mea faucibus meis si non meminero tui, si non preposuero Hierusalem in principio letitie mee*. Nam sicut in aqua inuenit homo fessus et sitibundus saporem, sic in tribulatione [185vb] homo sitit salutem suam.

[III] Circa tertium nota quod cum omnis artifex Spiritus Sanctus ymitatur naturam in suo opere, unde sicut natura unit omnia membra ut, ab uno capite, per conductus naturales, recipiunt cibum et potum, sic a Christo cui datus est Spiritus ut ad mensuram recipiant membra ecclesie fluxit et fluxum huius fluminis, et sicut per pretiosa differuntur, sic per Spiritum Sanctum, Apo. XXI (21) : *platee ciuitatis aurum mundum tamquam uitrum perlucidum*, quia corda lata per caritatem in tribulationis igne posita pretiosa fuit penitentia etiam sunt ut lux Spiritus Sanctus intrat et quod est intus bonum exterius appareat. Sequitur (Apoc. 22, 1) : *ostendit mihi flumen uel flumina aque uiue splendidum tamquam cristallum* quia corda talia oriuntur in uita spiritali surgendo et in Spiritu Sancto sicut in cristallo uident ueritatem uite. Sequitur (Apoc. 22, 2) : *et ex utraque parte fluminis lignum uite* quia Spiritus Sanctus nexus est diuinitatis et humanitatis Christi qui est lignum uite. Sequitur (Apoc. 22, 2) : *afferens fructum XII*, quibus scilicet XII apostoli sunt impleti.

<sup>1</sup> AH, vol. 54, n° 153, p. 235.

<sup>2</sup> AH, vol. 54, n° 153, p. 235.

<sup>3</sup> pedibus] pedes P.

<sup>4</sup> Glossa, II, p. 635.

<sup>5</sup> etiam] etc P.

## SERMON 82

Omnibus sanctis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 185vb-188rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 188r.

Plan :

Prothème – Comment obtenir une grâce.

Thème – Dieu règne sur le ciel et la terre :

- a. En l'absence de Dieu, l'homme vit modestement sur terre.
- b. Toute joie y est limitée.
- c. Il se passe le contraire au ciel.

I – Tout le ciel est réuni en présence de Dieu.

II – Le mal est mis de côté.

III – Sa présence garantie la sûreté.

F. 185vb : *Omnis multitudo sanctorum est, in ipsis est Dominus*, Num. XVI (3).

[Prothème] Ille qui uult aliquam gratiam impetrare a rectore uniuersitatis proponit uel proponi facit petitionem suam in congregatione generali, in qua congregatione omnes magistri regentes conueniunt una cum rectore. Si igitur que petit possit |186ra| impetrare per congregationem generalem, rector non habet refutare, quin teneatur signo sigillare omnia. Congregatio autem generalis non omni die fit, ymmo contingit quandoque quod est tantum semel in mense. Hoc ideo dixi quia rector uniuersitatis Deus est, Dominus uniuersorum tu es, et de hoc rectore uniuersitatis dicitur in Ecclesiastico (Eccle. 5, 8) : *uniuerse terre rex imperat seruienti*. Magistri ac regentes sunt sancti cum Christo regnantes, Dan. (7, 22) : *regnum optinuerunt sancti*. Modo congregatio generalis non est apud nos omni die, ymmo nec semel in mense set tantum semel scilicet ista die. In festo enim omnium sanctorum omnes magistri regentes conueniunt, quoniam *ecce reges terre congregati sunt conueniunt in unum* (Ps. 47, 5), rector presens cum ipsis omnibus quia *multitudo sanctorum est et in ipsis est Dominus*. Ergo qui uult actiue gratiam impetrare debet in hac generali congregatione proponere petitionem suam, debet sanctos omnes in suum<sup>1</sup> auxilium inuocare, quia ubi omnes magistri consentiunt, rector nescit eis aliquid refutare, quia *non derelinquit sanctos suos* dicitur in Ps. (36, 28). Pro gratia igitur rectoris habenda proponatis petitionem toti generali congregationi et dicat quilibet illum uersiculum : « Orate pro nobis omnes sancti Dei<sup>2</sup> » etc.

[Thème] *Omnis multitudo* etc. Vulgaliter dicitur quod dominus ille miserabilis est de cuius presencia domus minus ualet. Communiter enim in presencia domini familia melius habet, in absentia autem domini familia parce uiuit nec umquam in |186rb| hospicio tenet aliquod magnum festum,

---

<sup>1</sup> suum] sui P.

<sup>2</sup> Non inueni.

quando dominus non est. Hoc ideo dixi quia Dominus noster Christus habet et tenet duo hospicia quorum uni semper presens est, alteri autem non. *In domo patris mei mansiones multe sunt* (Jo. 14, 2). Primum hospicium cui Dominus non est presens est mundus, in Jo. (17, 11) : *iam non sum in mundo et hii in mundo sunt*. Pessimam familiam habet istud hospicium quia *multitudo hec pessima*, Num. XIII (27). Secundum hospicium cuius familia optima etc. semper presens est Dominus, est celum. *Omnis multitudo sanctorum*, ecce familia optima, *et in ipsis est Dominus*, ecce Domini presencia. In primo hospicio propter absenciam Domini familia uiuit parce et paupere nec umquam est ibi aliquod festum grande.

[a] Declaro utrumque : primo quidem quod familia parce et paupere uiuit in primo hospicio patet. Ille diceretur parce uiuere qui numquam comederet ad satietatem et qui semper plus esuriret in fine quam in principio mense. Sic recte uiuit familia huius mundi. Nam hii mundani numquam comedunt ad satietatem, numquam satiantur temporalibus bonis insatiabiles. Item in fine mense, hoc est in senectute, homines mundani plus esuriunt, magis sunt cupidi quam in iuuentute. Cum cetera uicia in nobis senescant, sola auaritia in senibus iuuenescit. Recte uidetur mihi de mundanis hominibus sicut de sompniantibus quibus uidetur quod panem uel cyphum in manu teneant quam optime comedant et bibant, [186va] et licet in hoc aliquam talem delectentur, plus tamen cruciantur, quia quanto plus bibunt, tanto plus appetunt. Finaliter quando expergefiunt, nihil habent in manibus et uenter eorum remanet uacuuus. Sic mundani homines, incorporantes sibi bona fortuna, credunt ea optime tenere in manibus suis et quod nullus possit auferre ab eis, et licet in hoc medio delectentur, plus tamen incomparabiliter cruciantur quia continue congregant et non satiantur. Unde in Ecclesiastico (Eccle. 4, 8) : *congregare non cessat nec satiantur oculi eius diuitiis*. Finaliter autem expergefiunt in morte, inueniunt manus uacuas bonis temporalibus. Ps. (75, 6) : *dormierunt sompnum suum* etc. Inueniunt etiam animam uacuum bonis spiritualibus. Ysa. (29, 8) : *sompniat esuriens et comedit, cum autem expergefactus fuerit, uacua est anima eius*. Patet ergo quod familia primi hospitii uiuit parce et paupere. Tho. III (23) : *pauperem uitam gerimus*. Causa huius est absentia Domini. Sicut enim dolium capax unius modii repleri non potest mensura minori, sicut homo cum sit capax Dei nullo sub Deo potest satiari. Augustinus<sup>1</sup> : « Animam Dei capacem nihil minus Deo repleri potest. »

[b] Dixi secundo quod in hospicio mundi numquam tenetur aliquod magnum festum, omne enim gaudium mundi breue est et momentaneum. Job (20, 5) : *gaudium ypocrite ad instar puncti*. Nec mirum quod communiter omne grande festum precedet uigilia, postea prepos[186vb]ceraret, habet uigiliam precedentem, unde qui faceret debitum ordinem festum omnium sanctorum in ecclesia triumphante, scilicet Ps. (86, 7) : *letantium omnium habitantium est in te*. Vigilia illud festum precedens est uita presens. Et ideo illi qui uolunt facere festum in uita presenti, qui uiuunt in letitia et edia, ipsi preposcerant ordinem debitum, indubitanter facient uigiliam postea. Finaliter enim erunt in

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Anima M (Bernardus in sermone dedicationis).

miseria et tristitia, Amos VIII (10) : *conuertam festiuitates uestras in luctum et omnia cantica uestra in planctum*. Hoc habetur diffusius in sermone<sup>1</sup> *Nunc clamemus*. In signum huius quod tempus presentis uite non est tempus festi set uigilie, ecclesia de nullo sancto festiuat, quamdiu est in presenti uita. Ps. (73, 8) : *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*. Ecce quod in hospicio mundi numquam est aliquod grande festum et hoc totum propter absentiam Domini, quia sola presentia Dei plenum et perfectum gaudium affert humano cordi. Bernardus<sup>2</sup> : « Illud est uerum et summum gaudium quod non de creatura et de Creatore concipitur, quod cum acceperis nemo tollet a te, cui aliunde comparata omnis suauitas dolor est, omnis iocunditas meror est, omne dulce amarum est, omne decor fedum est, omne postremo quod delectari potest molestum est. »

[c] In secundo hospicio, hoc est in celo, est totaliter econtrario. Ubi enim familia uiuit |187ra| habunde, in Ecc. (Deut. 11, 29) : *introduxit te Dominus in terram optimam, ubi absque penuria comedes panem tuum et rerum omnium*, Heb. (Deut. 8, 9), ubi est continue festum grande, ibi enim est multitudo celestis exercitus laudantium et dicentium : *gloria in excelsis Deo*, in Luca (19, 38). Cantamus<sup>3</sup> enim : « O quam felix illa ciuitas in qua iugis sollempnitas. » Ratio est quia Deo hospicii semper est presens ibi. *In plenitudine sanctorum detentio mea* (Eccli. 24, 16). *Non possunt filii sponsi lugere quamdiu sponsus est cum eis*, in Mt. (9, 15) et in Luca, toti familie huius hospicii et Domino ibi presenti. Mater ecclesia facit hodie festum grande de quo festo thema propositum loquitur cum dicit : *omnis multitudo sanctorum est*. Ecce tota familia huius hospicii, *et in ipsis est Dominus*, ecce presencia Domini ubi hoc festum apparet sollempne et precisum propter tria, propter totum celi collegium ibi congregamini, *omnis multitudo*, propter cunctum mali contagium ibi segregamini, *sanctorum est*, propter tutum Dei consortium eis aggregamini, *in ipsis est Dominus*.

[I] De primo nota quod totum collegium seu totus conuentus religiosorum congregari solet spiritualiter in duobus locis. Primo in capitulo, ubi est locus penitentie et purgationis, secundo in refectorio, ubi est locus pictancie et refectionis. Et contingit frequenter quod propter defectum capituli frater priuatur pictancia refectorii. Hoc ideo dixi quia totus numerus electorum est sicut quidam conuentus religiosorum, cuius pater abbas Christus est. Ipse enim *est in quo clamamus abba pater* (Rom. 8, 15) in multitudine electorum. |187rb| Heb. (Eccli. 24, 4) : *laudem et inter benedictos benedicetur*. Quod numerus electorum sit quidam conuentus religiosorum patet sic. Fratres unius conuentus unius ordinis habent unum spiritualem habitum per quem distinguuntur ab aliis. Item in conuentu religiosorum, non licet cuiquam habere proprium Christi proprietarii in religione, puniuntur hoc modo quod non sepeliuntur in cimiterio benedicto. Sic spiritualiter electi distinguuntur a reprobis per spiritualem habitum caritatis. Omnes enim habentes caritatem sunt fratres unius religionis. Caritas feruitatis maneat in nobis que est proprius habitus religiosorum, quibus non licet habere aliquid

<sup>1</sup> Sermon 105.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Gaudium N (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 114, 1 (SBO, VII, p. 292).

<sup>3</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

proprium. Caritas enim facit omnia communia. Augustinus<sup>1</sup>: « Non dicatis aliquid proprium set sint uobis omnia communia. » Sequitur quod caritas de qua scriptum est non querit que sua sunt etc. Propter hoc diues ille proprietarius, qui caritate uoluit communicare micam mense sue pauperi Lazaro, in morte non est sepultus in cimiterio benedicto, ymmo *mortuus est diues et sepultus in inferno* (Luc. 16, 22). Significatur habitus caritatis per istam uestem inconsutilem que in morte Saluatoris diuisa non fuit. Hoc est caritas que non est uis diuisiua set unitiua propter caritatem. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* in Act. (4, 32). Et adeo est unitiua quod caritate coniuncti, nec gladio nec morte possunt disiungi. Apostolus (Rom. 8, 35 ; 38) : *quis nos separabit a caritate Christi* etc. *Certus sum quod neque mors neque uita* etc. Patet ergo quod numerus electorum est sicut conuentus religiosorum sub abbate Domino [187va]. *Multi unum corpus sumus in Christo*, Apostolus (Rom. 12, 5).

Conuentus iste congregatur in duobus locis, in capitulo primo et in refectorio secundo. Capitulum locus penitentiae et purgationis est, locus purgatorii figuratur per illam piscinam probaticam in qua iacebat multitudo magna languentium, cecorum, claudorum, aridorum, exspectantium aque motum. Multitudo magna languentium in piscina probatica est multitudo electorum in loco purgatorii, probantur in igne sicut uasa figuli probat fornax hii uariis langoribus decenti, exspectant continue motum aque, motum diuine misericordiae, clamantes cum propheta : *ubi est zelus tuus et fortitudo tua multitudo uiscerum et miserationum tuarum continuerunt se super me* (Is. 63, 15). Timere debent quicumque capitulum illud exspectant et ideo sancti uiri uolentes illud capitulum euadere, faciunt recte sicut prudentes religiosi. Prudens religiosus uolens euadere capitulum uisitatoris etc. ut habes in sermone *Hunc uidebunt Filium hominis* etc.

Secundus locus in quo congregatur conuentus religiosorum est refectorium, celum uidelicet, in quo reficitur habunde totum collegium bonorum, *letaberis et reficieris coram Domino Deo in cunctis* (Deut. 12, 18). Nullus admittitur ad pictanciam illius refectorii communiter, nisi primo fuerit in capitulo et nisi transierit per purgatorium uel nisi capitulauerit seipsum in uita presenti peccata sua corrigendo et labores penitentiae sustinendo, set isti qui fuerunt in capitulo in[187vb]uitantur ad refectorium. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam uos* (Mt. 11, 28). De hoc refectorio ubi congregatur totum collegium bonorum dicitur sub alio nomine in Actibus Apostolorum (18, 10) : *in hac ciuitate multus est mihi populus*. Ciuitas dicitur illud refectorium, quia ibi est ciuium unitas, uite omnis multitudo quod uir unus non sit in mundo, ibi enim rixantur continue homines sicut canes in aula uel refectorio unum os rodentes. De hoc habes in sermone<sup>2</sup> *Jhesu fili Dauid*. Ps. (54, 10) : *uidi iniquitatem et contradictionem in ciuitate*. Secundo dicitur ciuitas ad diuisionem uille campestris in qua non inueniuntur omnia ad nutum necessaria, set in ciuitate

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Religio B (Augustinus de communi uita et regula clericorum) ; Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, epist. 211, par. 5 (A. Goldbacher, CSEL 57, 1911, p. 359).

<sup>2</sup> Sermon 14.



inuenitur quicquid desiderat appetitus. Sic in mundo mens non inuenitur unde satiatur set in Deo inuenitur quicquid desideratur. *Quam magna multitudo dulcedinis tue Domine* (Ps. 30, 20). Hoc de primo.

[II] De secundo nota quod quamdiu granum iacet in grangia, commixta sunt et ideo discerni non potest, de quo sit ibi plus cum quodlibet granum paleam suam habeat, set in horreo granum non ponitur, nisi prius a palea segregetur, palea proficitur in funo uel igne comburitur, quando granum in horreo collocatur. Recte est de mundo sicut de grangia in qua iacent simul granum cum paleis : commixti sunt boni cum malis nec est aliquod granum quod non habeat unam uel duas paleas, scilicet maculam culpe et reatum pene. De istis paleis habemus figuram, Ex. V (7), ubi filii Israel colligerunt paleas [188ra] in Egypto *ad conficiendos lateres*. Later est corpus humanum a principio de terra formatum quod ad modum lateris : quando igne aduersitatis decoquetur, ad opera spiritualia fortificatur. Apostolus (II Cor. 12, 10) : *cum infirmior fortior sum et potens*. Econtrario quando plus in aqua lauatur, tanto plus sordidatur, hoc est quando plus nutritur in deliciis, tanto plures sordes peccatorum contrahit. Filii Israel adhuc in Egypto exeuntes, nondum terram promissionis intrantes, sunt electi in mundo, repromissam beatitudinem exspectantes. Tho. (Tob 2, 18): *filii sanctorum sumus et uitam illam exspectamus quam Deus daturus est* etc. Isti pro conficiendis lateribus compelluntur paleas colligere, quia pro corporibus nutriendis in deliciis incurrunt maculam culpe et reatum pene. Ysa. XIII (16, 7) : *huc qui gloriantur super muros toti lateris loquimur plagas suas*, id est culpas quas incurrunt et penas quas passuri sunt in gloria et deliciis carnis uixerunt. Patet ergo quod in mundo latent<sup>1</sup> simul granum et palea, nec est granum aliquod quod paleam suam non habeat. Set sicut in horreo est purum granum ab omni palea segregatum, sic enim celum dicitur quasi sine terra et sine palea terrene affectionis, in quo nullus est nisi sanctus quia *omnis multitudo sanctorum ibi sunt et in eis<sup>2</sup> sanctorum est Dominus* (Num. 16, 3). Sicut enim palee, id est mali, proiciuntur in igne inferni, iuxta illud (Mt. 3, 12) : *paleas combutite igne inextinguibili*, sicut sancti cum Deo collocantur<sup>3</sup> in horreo paradysi : [188rb] *sanctos applicabit sibi*. Possunt dicere sancti cum Apostolo (Eph. 1, 4) : *elegit uos Deus ante mundi constitutionem et essemus sancti et immaculati in conspectu eius*. Hoc de secundo.

[III] De tertio nota quod sine Dei consortio impossibile est hominem esse in tuto. *Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem* etc. (Ps. 126, 1). Set homo qui habet Deum secum nihil timet aduersum. *Dominus illuminatio mea et salus mea quem timebo Dominus protector uite mee* (Ps. 26, 1), et alibi (Ps. 117, 6) : *Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat*. Set perfectum Dei consortium nullus habet in hac presenti uita. Jeronimus<sup>4</sup> : « Nullus est hic tutus de salute sua set in celo sunt

<sup>1</sup> latent] latet P.

<sup>2</sup> et in eis] ciues P ; est] et P.

<sup>3</sup> collocantur] collocauit P.

<sup>4</sup> Non inueni.

sancti in tuto quia numquam carent Dei consortio. » In cuius figura dicitur II Paral. XX (7) : *dictum est illis timentibus ad pugnam : egredi ad eos ad se currandum cras egrediemini.*

### SERMON 83

Omnibus sanctis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 188rb-190vb.

Plan :

Thème – Dans le champ de Dieu, nous devons moissonner l'exemple des saints.

I – Différentes sources de joie.

- a. la bonté de Dieu
- b. la proximité de Dieu
- c. la douceur

Division 2 (Abac. 3, 18) : la joie des saints :

- a. sa durée
- b. sa perfection

F. 188rb : *Gaudete et exultate quoniam merces uestra copiosa est in celis*, Mt. V (12).

[Thème] Quamuis tempus agrum colendi et seminandi sit tempus laboris et afflictionis, tamen tempus merendi et fructum percipiendi est gaudii et exultationis. Ita dicit Ps. (125, 6) : *euntes ibant* etc. Loquendo spiritualiter per agrum potest intelligi ecclesia militans. Ratio est : scitis quod in agro simul cum herba salutifera crescit herba mortifera et nociua, cum herba odorifera crescit herba fetida et immunda ; ymmo frequenter contingit quod quanto herba est minoris ualoris, tanto crescit in agro in loco pinguiori et fertiliori. Sic in agro Domini simul sunt boni et mali, [188va] dicente beato Gregorio<sup>1</sup> in omelia quod in ecclesia « nec mali sine bonis nec boni sine malis esse possunt ». Ymmo frequenter contingit quod quando aliqui sunt peiores, tanto sunt in agro Domini pinguiores. *Quare uia impiorum prosperatur* etc., Jer. 12 (1). Sic etiam legimus in figura Mt. 13 (25) quod in agro patrisfamilias simul cum bono semine fuerunt *zizannia* seminata set neccessarie [est] quod, quamuis simul fuerint seminata, fuerint tamen processu temporis separata. *Colligite*, inquit, *primum zizannia* etc. (Mt. 13, 30). Sic in agro Domini quamuis modo sint similes boni et mali, finaliter tamen diuidentur. *Exibunt enim angeli* etc. (Mt. 13, 49). Ecce alia ratio quare ecclesia agro comparatur, est ista : scitis quod in agris frequenter reperiuntur fontes irrigantes, herbe uirentes, flores redolentes, fructus recreantes. Fons irrigans est uirtus pietatis et misericordie, herba uirens est puritas et munditia consciencie, flos redolens est honestas conuersationis, fructus reficiens est exhibitio bone operationis, et ista debent in agro Domini, precipue in uiris ecclesiasticis, reperiri. Sic enim erit ecclesia ager ille de quo dixit Ysaac Jacob filio suo : *ecce odor filii mei* etc., Gen. XXIII (27, 27). Est igitur ecclesia ager illius *figuli*, de quo habetur Mt. XXVII (10), emptus et rigatus pretioso sanguine Jhesu in quem cum Ruth debemus ingredi, ut spicas post terga metentium colligamus. *Vadam*, [188vb] inquit, *in agrum et*

<sup>1</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 38, 7 (PL 76, 1286B).

*colligam spicas que metentium fugerit manus*, Ruth II (2). Spice fugientes manus metentium sunt exempla uirtutum, exempla bonorum morum nobis debita ex actibus sanctorum patrum predecessorum nostrorum. Ista spicas debemus colligere. Ex istis spicis discurrentes per agrum Domini, sanctorum sequentes uestigia, debemus componere messem nostram. Est ergo ecclesia ager, huius agri cultores et seminatores fuerunt isti gloriosi sancti de quibus hodie ecclesia sollempnizat. Alii enim plantauerunt in agro Domini oliuam pietatis et misericordie, sicut beata Virgo que de misericordia precipue commendatur. Unde cantamus<sup>1</sup> de ea : « O oliua fructifera, tu pietatis ubera nulli claudis hominum. » Hec est enim illa oliua fructifera in agro Domini de qua dicitur Jere. XI (16) : *oliuam uberem pulcram fructiferam speciosam uocat Dominus nomen tuum*. Alii seminauerunt in agro Domini granum synapis fidei christiane, sicut patriarche et prophete qui primordia nostre fidei proiecerunt, de quibus dicit Apostolus Heb. XI (39) : *hii omnes testimonii fidei probati inuenti sunt*. Istud est enim granum synapis de quo dicit Saluator in Mt. (13, 32) quod quamuis in principio fuerit minimum, tamen tantum creuit hodie quod est arbor et *uolucres celi ueniunt et habitant in ramis eius*. Alii clausuerunt agrum Domini spinis paupertatis et |189ra| penitentie, sicut apostoli qui per uiam paupertatis Christum pauperem sunt secuti. *Ecce nos relinquimus omnia et secuti simus te*, Mt. 19 (27). Alii plantauerunt ibi rubum ardentem caritatis et amicitie, sicut martires gloriosi<sup>2</sup> : « Maiorem et caritatem » etc. Alii plantauerunt in agro Domini cedrum altissimum contemplationis diuine, sicut doctores et confessores, qui fuerunt contemplatione precipui, de quorum quolibet potest dici : *altitudo cedrorum altitudo eius*, Amos II (9). Alii plantauerunt in agro Domini liliu castitatis et munditie, sicut uirgines gloriose de quibus spiritualiter potest dici illud Mt. VI (28-29) : *considerate lilia agri quomodo crescunt. Dico autem uobis quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis*. Fuerunt ergo isti gloriosi sancti agri Domini cultores et seminatores. Et ideo totum tempus eorum quo fuerunt in hac uita mortali, fuit tempus laboris et afflictionis. Alii enim distenti sunt, non sustinentes redemptionem filii<sup>3</sup>. Set certe modo non sic. Modo enim metunt fructum sui seminis. Modo recipiunt mercedem sui laboris et ideo tempus modernum est eis tempus gaudii et exultationis, sic enim dicit Ps. (125, 5) : *qui seminant in lacrimis in exultatione metent*. Dicamus ergo eis : *gaudete et exultate* etc.

[I] Tria tanguntur |189rb|. †† Dico primo quod euadentes locum periculi etc. Ideo debent gaudere et exultare : *gaudete et exultate*. Scitis quod nauigantes per mare, quamdiu sunt in mari, non possunt perfecte gaudere set postquam cum rebus suis feliciter peruenerunt ad portum etc., tunc exultant, tunc ostendunt signa letitie. Sic enim filii Israel, postquam transierunt mare rubrum, tetinerunt Domino carmen letitie et dixerunt (Ex. 15, 1) : *cantemus Domino* etc. Mare periculosum est mundus iste. Dicit enim Bernardus<sup>4</sup> quod « periculum probat transeuntium raritas, pereuntium multitudo. In mari Marsilie de quatuor nauibus non perit una, in mari huius mundi de quatuor

<sup>1</sup> AH, vol. 54, n° 278, p. 419 (Dominikaner, De beata Maria).

<sup>2</sup> CAO, 3, 3685, Comm. Apostolorum.

<sup>3</sup> filii] laudabilia et uerbum exper in sum et unct et cant lar sunt septi sunt testimonium sunt etc. Heb. XI *add. P.*

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Mundus U (Bernardus).

animabus uix euadit. » Ubi sciendum quod inter alia pericula maris narratur unum periculum de syrenis. Dicitur enim quod in mari sunt tres syrene<sup>1</sup> ita dulciter et melodiose cantantes quod suo dulci cantu attrahunt et faciunt obdormire nauigantes quos, cum uiderint consopitos, unguibus lacerant et occidunt. Tres syrene maris sunt tria que reperiuntur in mundo, scilicet deliciae, diuitie et honores, que ita dulciter cantant in auribus hominum mundanorum quod faciunt eos obdormire. Non sinunt [189va] eos de uia sua et salute sua cogitare et sic dormientes uulnerant et occidunt. Unde de gaudio mundanorum dicitur Job 21 (11-12) : *infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum et cytharam gaudent ad sonitum organi* etc. Et ideo mundus iste non est locus gaudii et exultationis set doloris et afflictionis. « In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari impossibile est », Bernardus<sup>2</sup>. Set isti gloriosi sancti habent materiam gaudii et exultationis, sicut illi qui euaserunt periculum, sicut illi qui feliciter peruenerunt ad portum, ut quilibet eorum possit dicere illud quod scribitur Ysa. LXI (10) : *gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima in Deo meo*. Si enim nauta gaudet euadens periculum, si auis gaudet euadens laqueum, multo magis debent gaudere anime bonorum, sicut de ipsis cantamus<sup>3</sup> : « Gaudent in celis anime sanctorum ». Et notate quod isti gloriosi sancti habent materiam gaudii ex omni parte, a parte superiori ex refulgentia diuine bonitatis, a parte media ex confederatione sue societatis, a parte inferiori ex loco perpetue sanitatis.

[a] Dico primo quod habent materiam gaudii a parte superiori ex refulgentia diuine bonitatis. Si enim esset unum speculum in quo reluceret omnis pulcritudo et bonitas creature absque deformitate quacumque, illud speculum inspicere esset summe gaudiosum et delectabile. Tale speculum est facies [189vb] maiestatis diuine, ideo faciem Dei uidere est eis summe gaudiosum et delectabile, unde Ysa. LXVI (14) : *uidebitis et gaudebit cor uestrum*. Exemplum in natura. Scitis quod in uere, quando uiola liliu[m] et alii flores et herbe uirentes incipiunt apparere et natura congaudet, corporalis oculus delectatur uidendo. Si ergo oculus corporalis delectatur uidendo species creature, multo magis debet delectari oculus mentalis uidendo speciem Creatoris, cum omnis bonitas creature perfectius sit in suo Creatore propter quod dicitur in Luc. (6, 23) : *gaudete in illa die et exultate*. Et bene dicitur *in illa die* : si enim auicule cantant et exultant uidentes diem temporalem et transitorium, in multo magis debent gaudere sancti habentes diem perpetuum et diuinum. *Hec est enim dies quam fecit Dominus* etc. (Ps. 117, 24). Ista est dies quam iste auicule exspectauerunt cum magno desiderio toto tempore uite sue. Unde dicebat Saluator Judeis (Jo. 8, 56) : *Abraham pater uester exultauit ut uideret enim diem meum uidit et gauisus est*. Habent ergo materiam gaudii a parte superiori uidendo Deum supra se, ita prophetauerat Ysa. (35, 2) : *ipsi uidebunt gloriam Domini decorem Dei nostri*. Sequitur (Is. 51, 11) : *letitia sempiterna super capita eorum gaudium et letitiam optinebunt*.

<sup>1</sup> Exemplum 21.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Mundus B (Augustinus ad Diascorum) ; Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, epist. 203, salutatio (A. Goldbacher, CSEL 57, 1911, p. 316).

<sup>3</sup> CAO, 3, 2927, S. Hippolyti, Omnium sanctorum.

[b] Secundo dico quod habent materiam gaudii a parte media ex confederatione sue societatis. Naturaliter enim uidemus quod propter colligantiam et uicinitatem quam membra unius corporis habent adinuicem, bonum unius |190ra| redundat in membra alterius, I Cor. 12 (12) : omnes sancti et sancte sunt *membra* unius *corporis* coniuncta et unita uinculo caritatis, et ideo gaudium unius est gaudium omnium. Et econtrario *meum gaudium omnium uestrum est*, 2 Cor. 2 (3). Ex quo sequitur quod gaudium beatorum est maximum, quod quanto maior multitudo gaudium, tanto est maius gaudium singulorum. Unde Augustinus<sup>1</sup> in Encheridion : « Que lingua uel quis intellectus capere sufficit illius superne ciuitatis quanta sint gaudia angelorum et chorus interesse, cum beatissimis spiritibus assistere glorie conditoris. » Dicit autem Rabanus<sup>2</sup> : « Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum ? »

[c] Habent etiam materiam gaudii a parte inferiori ex loco perpetue suauitatis ; si enim loquamur de suauitate, audiamus Bernardum<sup>3</sup> dicentem : « O beata regio paradysi ! O beata regio deliciarum ! Ad quam suspirio de ualle lacrimarum, ibi sapientia sine ignorantia, ibi memoria sine obliuione, ibi intellectus sine errore, ibi ratio sine obscuritate fulgebit. Beati qui habitant ibi et laudabunt Deum in secula seculorum. » Si uero loquamur de sanitate corporis, audiamus Augustinum<sup>4</sup> dicentem : « Facilius possumus dicere quid ibi non sit quam quid ibi sit. Non ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est ibi infirmitas, nulla fames, nulla sitis etc. »

[Division 2] Potest igitur quilibet eorum dicere illud Abacuc 3 (18) : *ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jhesu meo* |190rb|. Ubi tanguntur duo de gaudio beatorum. Primum est permanentia sue durationis, *in Domino gaudebo*, secundum est excellentia sue perfectionis, *exultabo in Domino*, id est meo.

[a] Circa primum sciendum quod differentia est inter lumen candele et lumen solis, quia lumen candele, eo quod materia in qua est, est corruptibilis, necessario est corruptibile. Ymmo frequenter contingit quod, post absentiam luminis, nihil remanet nisi fetor, set lumen solis, quia habet materiam incorruptibilem, est incorruptibile. Talis est differentia inter gaudium quod habetur de mundo et gaudium quod habetur de Deo in rebus diuinis. Gaudium enim mundanum, sicut mundus mutabilis et transitorius, ita est mutabile et transitorium. *Gaudium ypocrite ad instar puncti*, Job IX (20, 5). Mundus uocatur ypocrita quia exterius pretendit sufficientiam set interius habet deffectum et indigentiam, et ideo gaudium mundanum est ad instar puncti quia transitorium et quasi momentaneum. Ymmo contingit quod post gaudium, nihil remanet nisi dolor. *Extrema gaudii luctus*

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Gloria eterna S (Augustinus in Encheridion uel Gregorius in homelia) ; Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 37, 1 (PL 76, 1275B).

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Solemnitas D (Gregorius homelia 23 super euangelia) ; Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 26, 10 (PL 76, 1204-1205).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Gloria eterna AN (Bernardus in sermone) ; cf. Bernardus Clareuallensis, *Sermones de diuersis*, 42, 7 (SBO, VI/1, p. 260).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Gloria eterna C (Augustinus de simbolo libro 3) ; Quodultdeus, *Sermones III de simbolo*, II, 12 (R. Braun, SL 60, 1976, p. 348).

*occupat*, Prou. 14 (13). Set gaudium quod habent sancti de Deo est perpetuum et incorruptibile. *Gaudebit cor uestrum et gaudium uestrum nemo tollet a uobis*, Jo. 16 (22). Propter quod dicit Apostolus, Phil. III (4, 4) : *gaudete in Domino semper iterum dico gaudete*. Set hodie uidetur esse uerificatum uerbum Ysa. (22, 13) : *ecce gaudium et letitia occidere uitulos iugulare arietes comedere carnes et bibere uinum*. Set certe [190va] istud non est gaudium spirituale et diuinum set corporale et transitorium. *Non enim est regnum Dei in esca potus set iustus iustitia pax et gaudium in Spiritu Sancto*, Ro. IX (14, 17). Ergo gaudete in Domino, quasi dicat : cum enim gaudium proueniat ex coniunctione boni conuenientis que conuenientior est quam anima tamen suo creatore, propter quod dicit Bernardus<sup>1</sup> : « Illud est uerum ac summum gaudium quod non de creatura set de Creatore concipitur quod cum acceperis nemo tollet a te cui aliunde comparata omnis iocunditas meror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decor fedum est, omne postremo quod delectari potest molestum est. »

[b] Circa secundum membrum autem, sciendum quod signum est quod gaudium sit magnum in aliquo quando non solum manet interius in corde, ymmo per aliqua signa manifestat se exterius in opere, puta saltando, cantando uel per aliquid simile. Tale uidetur esse gaudium beatorum et hoc signatur per hoc quod dicitur *exultate*, id est extra saltate gaudium cordis per aliqua signa exterius prosilire. Ratio autem huius exultationis est ista. Scitis quod uenatores, quando reperiunt uestigium prede sue, gaudent quodam gaudio imperfecto et in spe, set quando tenent predam et non timent de eius amissione, tunc exultant et pretendunt signa letitie. Preda<sup>2</sup> quam nos querimus est Jhesus. *Jhesum queritis Nazarenum* (Marc. 16, 6). Vestigia prede nostre fuerunt per desertum paupertatis et penitentie. *Ductus est Jhesus in desertum*, Mt. 4 (1), per spinas tribulationis et [190vb] angustie, *exiit Jhesus portans coronam spineam et purpureum uestimentum*, Jo. 19 (5). Et ideo isti gloriosi sancti adhuc exeuntes in mundo gaudentes per uestigia prede sue poterant quidem gaudere. Sic enim ibant apostoli *gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Jhesui contumeliam pati* (Act. 5, 41). Set certe istud quia de eo quod habebant non in re set tantum in spe : *spe gaudentes in tribulatione patientes*, Ro. 12 (12). Set modo non solum debent gaudere, ymmo etiam exultare, sicut *exultant uictores capta preda quando diuidunt spolia* (Is. 9, 3). Sic enim predictum fuerat per prophetam (Ps. 149, 5) : *exultabunt sancti in gloria*. Ad quam nos perducatur.

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Gaudium N (Bernardus in quodam sermone).

<sup>2</sup> preda] predam P.

## SERMON 84

Omnibus sanctis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 190vb-192va.

Plan (cf. sermon précédent) :

II – L’homme, comme la jument, reçoit peu en échange de son travail.

Division 3 (Sap. 10, 17) : comment l’homme est récompensé :

- a. La récompense.
- b. La manière dont la récompense est donnée.

III – La générosité de Dieu.

[III] F. 190vb : quantum ad secundum principale dico quod sustinentes labores seculi modo tenent optimum breuium, *merces uestra* (Luc. 6, 23). Differentia est inter mercedes hominis laborantis et iumentum quia iumentum, quamuis labore, nihil tamen pro mercede sua recipit nisi uictum. Homo uero preter uictum recipit denarium diurnum. Loquendo spiritualiter, per iumentum potest intelligi peccator, per hominem iustus et sanctus. Ratio primi est : scitis quod iumentum, quamdiu est in etate iuuenili, non ligatur set potest discurre huc et illuc, set quia postquam creuit et peruenit ad etatem perfectam, tunc ligatur in tantum quod siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue uigilet, communiter est ligatum. Peccator primo quando temptatur, antequam consentiat temptatori, adhuc est in iuuenilitate et ideo potest retrocedere, potest [191ra] declinare libere ad dexteram uel sinistram, set postquam peruenit ad consumationem peccati per deliberatum consensum, tunc omni die, omni hora dyabolus tenet eum ligatum. *Iniquitates sue capiunt impium et funibus peccatorum si constringitur*, Prou. V (22). Propter quod peccator comparatur iumento. *Homo cum in honore* etc. (Ps. 48, 13). Alia ratio potest esse : scitis enim quod totus labor iumentum uel est in onus portando uel est in onus trahendo, ut communiter dicitur : grauius onus de mundo est onus peccati. Cetera enim grauia quiescunt super terram. Peccatum autem nec celum portare potuit nec finaliter poterit sustinere. *Conuertentur enim peccatores in infernum* etc. (Ps. 9, 18). Omnia enim ista onera portat uel trahit peccator. Peccator enim uel est interfectus omnibus peccatis uel potest infici. Constat autem quod ista [sunt] super se quibus actualiter est interfectus, ista enim omnia trahit post se quibus inficitur, quia unum peccatum mortale est aliquo modo causa omnium aliorum, ut dicit beatus Gregorius<sup>1</sup>, ut habetur in secundo Sent. d 36 : « Peccatum enim quod per penitentiam non diluitur mox suo pondere ad aliud trahit. » Est igitur peccator iumentum. Unde uidetur mihi de peccato sicut de quodam ueneno de quo narrat Augustinus<sup>2</sup>, XVIII libro de Ciuitate Dei capitulo 22. Dicit ibi quod cum semel esset in Ytalia, fuit sibi narratum quod in partibus illis erant quedam stabularie mulieres que uenenum propinatum in

<sup>1</sup> Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechielem prophetam*, I, 11, 24 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 179).

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *De Ciuitate Dei*, XVIII, 18 (B. Dombart, SL 48, 1955, p. 608).



caseo conuertebant hospites suos in iumenta. Dicit etiam ibidem, capitulo XXIII, quod prestantius dicebat patrem suum per uenenum sumptum in caseo conuersum fuisse in tabellum [191rb] et quomodo natura cum aliis iumentis et animalibus baiulasse, ut sibi retulit pater suus. Venenum propinatum in caseo est peccatum suggestum a dyabolo. Numquam enim dyabolus temptat hominem de peccato nisi cum quadam dulcedine et albedine, cum quadam modica delectatione et apparentia bonitatis, et certe tale uenenum conuertit hominem in iumentum. Sicut enim legimus, Dan. III (30), quod Nabugodonosor propter peccata sua in bestiam est mutatus, set notate quod dicitur : bene reperiuntur quedam animalia que a parte superiori habent formam hominis, a parte inferiori formam iumentis, sicut legitur de centauro. Sic homo habet duas partes, spiritum et carnem : a parte spiritus habet formam hominis, a parte carnis contingit cum iumentis. Quando ergo spiritus est a parte superiori<sup>1</sup> et caro a parte inferiori, ita quod spiritus dominatur carni et caro in omnibus obedit spiritui, tunc est commendabile. Set quando econtrario, tunc homo est monstruosior omnibus animalibus monstruosis. Unde dicit Bernardus<sup>2</sup> : « Cur animam tuam uilipendis et ei carnem preponis dominam ancillari et ancillam dominari, magna abusio est. » Ecce ergo quomodo per iumentum intelligitur peccator.

Per hominem uero intelligitur sanctus et iustus. Ratio est : scitis quod inter omnia animalia solus homo est risibilis, non quia semper actu rideat, set quia aptus natus est ad ridendum. Loquendo spiritualiter, solus iustus est dispositus ad ridendum. Peccator enim non habet unde ridere debeat in presenti, set magis dolere et tristari, ratione gratie amisse et culpe comisse. Bonum [191va] enim amissum et malum commissum sunt causa doloris et tristitie. Nihil etiam exspectat unde ridere debeat in futurum, quia nihil exspectare debet nisi *tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium* (Mt. 8, 12) et ideo peccator non est aptus ad risum set magis ad dolorem et fletum. In cuius figura legimus, Mt. 26 (cf. Mat. 26, 75), quod Petrus, postquam peccauit Christum negando *egressus foras fleuit amare* (Luc. 22, 62) set iustus huiusmodi gratiam [habet] in presenti, ut exspectat gloriam in futuro, et ideo, quamuis non semper actu rideat, est tamen summe dispositus ad ridendum. *Beati qui nunc fletis quia ridetis*, Luc. 6 (21). Ecce ergo quomodo per hominem intelligitur iustus, uere hic homo iustus est. Sicut ergo iumentum pro labore suo nihil reportat nisi uictum, sic peccatores si aliquid faciant de genere bonorum, nihil inde recipiunt nisi uictum. *Amen dico uobis receperunt mercedem suam*, Mt. V (6, 2). Isti sunt de quibus dicitur Ecclesiastes IX (5) : *uiuentes sciunt se esse morituros, mortui uero nihil nouerunt amplius nec habent ultra mercedem*. Set iusti et sancti, preter uictum quam habuerunt in mundo, recipiunt denarium diurnum in sero, sicut enim legimus Mt. XX (8, 9) quod cum sero factum esset dixit Dominus uinee procuratori suo : *uoca operarios et redde illis mercedem, et receperunt omnes singulos denarios*. Iste denarius singularis est Christus, cuius faciem uident hodie isti sancti, cuius uisio tota merces ut de istis possumus dicere illud quod scribitur Sap. X (17) : *reddit*

<sup>1</sup> superiori] superioris P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Caro siue corpus N (Bernardus in sermone et Hugo de Claustro anime).

*Deus iustis* |191vb| *mercedem laborum suorum et deduxit eos in uia mirabili*. In quibus uerbis tanguntur duo pertinentia ad istam mercedem iustorum. Primum est actus quo recipitur quia *reddit Deus*, secundum modum per quem acquiritur, *deduxit eos in uia mirabili*.

[a] Circa primum dicendum quod est differentia inter hominem et Deum quantum ad redditionem mercedis, quia ut homo<sup>1</sup> communiter non respicit affectum operantis set opus, et ideo quamuis affectus operandi sit magnus, si opus sit nullum aut modicum, homo autem nullam aut modicam mercedem retribuit. Deus autem econtrario plus respicit affectum operantis quam opus, et ideo si affectus sit magnus, quamuis opus sit modicum, merces Dei dicitur esse magna. *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis* (Ge. 15, 1), propter quod dicitur Mt. X (42) : *quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aque frigide tantum, amen dico uobis, non perdet mercedem suam*. Secundo, quamquam homo potest reddere homini pro labore, totum est temporale et transitorium, illud autem quod Deus retribuit est eternum, Ecc. XVIII (22) : *non uerearis usque ad mortem iustificari quoniam merces Dei manet. Iusti enim in perpetuum uiuet* (Sap. 5, 16).

[b] Secundo tangitur modus per quem ista merces acquiritur (Sap. 10, 17) : *deduxit eos in uia mirabili*. Vie per quas merces celestis acquiritur sunt multum mirabiles. Quid enim est mirabilius uia fidei ? Illis ascensum prebere que per humanam rationem inuestigari non possunt, |192ra| et tamen per istam uiam patres nostri ambulauerunt et ad mercedem peruenerunt. Sancti *per fidem uicerunt regna opera sunt* etc. (Hebr. 11, 33). Propter quod dicitur Ecc. (Eccli. 2, 8) : *qui timetis Deum credit illi et non euacuabitur sedes uestra*. Que uia est mirabilior uia spei ? Transcendere omnia que uidentur et sperare quod oculus non uidit auris etc. et tamen per istam uiam ambulantes patres nostri mercedem optinuerunt. *In te sperauerunt patres nostri sperauerunt et liberasti eos* etc. (Ps. 21, 5). Que etiam est uia mirabilior quam uia caritatis, que precepit diligere non solum amicos, uerum etiam inimicos ? *Diligite inimicos uestros benefacite his qui oderunt, si enim diligatis qui uos diligunt quam mercedem habebitis*, Mt. V (44 ; 46). Et tamen per istam uiam ambulauerunt isti sancti : *quis nos separabit a caritate Christi* etc. (Rom. 8, 35). Iste ergo sunt uie mirabiles per quas isti sancti ambulauerunt, unde cantamus<sup>2</sup> : « Sancti tui Domine uniter comparetus sunt. » Item adhuc preter istas uias sunt alie uie multum mirabiles per quas sancti transierunt. Est enim mirabile ire per ignem et non comburi, per aerem et non deici, per aquam et non mergi, per terram et non inquinari siue puluerizari. Isti gloriosi sancti ambulauerunt per ignem sine combustione. Primo ad litteram, quia multi mirabili Dei potentia fuerunt de incendiis liberati siue tres pueri de fornace<sup>3</sup>, Johannes de dolio<sup>4</sup> feruentis olei. Secundo spiritualiter, ut per ignem intelligantur temptationes et tribulationes huius mundi. *Omnes enim qui placauerunt Deo per* |192rb| *multas tribulationes transierunt*, Judith 9 (8, 23), ambulauerunt etc. per aerem sine deictione. Primo ad litteram, sicut apparet de Helya et Maria Magdalena que angelicis

<sup>1</sup> homo] ut *add. P.*

<sup>2</sup> *Non inueni.*

<sup>3</sup> fornace] hab *add. P.*

<sup>4</sup> CAO, 3, 3234, S. Johannis ev.

manibus eleuabantur a terra. Secundo spiritualiter, ut per aerem intelligatur celum quia quamuis isti sancti corpore essent in mundo, mente tamen et spiritu habitabant in celis. *Nostra conuersatio in celis est* (Phil. 3, 26). Ambulauerunt etiam per aquam sine submersione. Primo ad litteram, sicut apparet de filiis Israel in mari, de Jona in uentre ceci. Secundo spiritualiter, ut per aquam intelligantur diuitie corporales. Super aquas ambulauerunt ipsas conculcando, spernando et contempnando, et sic ad Christum perueniunt in cuius figura Mt. IX (14, 28) quod Petrus dixit Christo : *Domine, si tu es, iube me uenire ad te*. Super aquas ambulauerunt et super terram sine iniquatione quia, quamuis essent in terra, nihil tamen terrenum desiderabant, set omnino excutiebant puluerem terrenorum de pedibus affectionum suarum. Ecce ergo quomodo sancti ambulauerunt per uias mirabiles per quas ad mercedem eternam peruenerunt, ut de quolibet eorum possit dici (Sap. 10, 10) : *iustum deduxit Dominus per uias res et ostendit etc.*

[III] Quantum ad tertium principale dico quod contempnentes laticem riuuli fonte gaudent, bonorum omnium multum copiosa est. Volens implere uas suum copiose, non debet ire ad riuulum set ad fontem. Fons omnium bonorum [est] Deus, a quo bona cuncta procedunt, riuuli bona temporalia. Omnis enim bonitas creata bonitati [192va] diuine comparata est aliquid minus quam riuulus respectu fontis, ymmo quam una gutta respectu totius aque maris. Ideo isti gloriosi sancti, uolentes uas suum et appetitum uel desiderium implere copiose, contempserunt riuulum et accesserunt ad Deum. Sciebant enim quia (Ps. 129, 7) *apud Deum misericordia et copiosa apud etc.* Unde quilibet eorum potest dicere illud quod scribitur Act. 22 (6) : *circumfulsit me de celo lux copiosa*. Ad quam lucem nos perducatur.

## SERMON 85

Pro defunctis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 192va-196rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 188rv.

Plan :

Thème – Comment aider les défunts à accéder au paradis.

Division – Les modalités de la fête des défunts.

I – Moïse encourage cette célébration. La mémoire des morts :

- a. Comme l'argent, les cendres salissent.
- b. Comme l'argent, on peut les disperser.

II – C'est un jour de miséricorde.

III – C'est un jour d'affliction.

F. 192va : *Sabbatum requiescionis est, affligetis animas uestras*, Leui. XVI (31).

[Thème] In Mt. (11, 12) dicitur quod *regnum celorum uim patitur et uiolenti rapiunt illud*. Rationem huius dicti assignans, beatus Jeronimus<sup>1</sup> quantum ad omnes generaliter dicit sic : « Grandis est uiolentia in terra nos esse generatos et celorum sedem querere et possidere per uirtutem quod non tenuimus per naturam. » Vult dicere quod motus ille qui terminatur ad requiem salutis patrie ideo est nobis omnibus uiolentus, quia uirtus nature sufficienter ad eum non inclinatur, et hoc certe uerum est quia *non est uiolentis nec currentis set miserentis Dei*, dicit Apostolus ad Rom. IX (16). Set si uolumus sensu<sup>2</sup> hec uerba ad spiritualem intellectum trahere, ad mortuos scilicet de quorum requie nunc agimus, dicere possumus quod motus ad requiem celi non nobis set tamen ipsis est pure et proprie uiolentus. Ratio huius est quia secundum Philosophum<sup>3</sup>, « uiolentum dicitur proprie cuius principium est ab extra, nil conferente uim passo ». Nobis igitur, quamdiu sumus in presenti uita, promotioni nostre ad salutem aliquid conferre possumus, opera meritoria faciendo, in hoc saluti nostre cooperando, quia [192vb] sumus adiutores nobis, inquam, non Dei motus in Deum pure et proprie uiolentus set mores dicimus illis qui in Christo sunt, quibus iam non est tempus merendi neque et ideo se ipsos ad salutem promouere non possunt, quia tamen salus eorum et requies ad exempla per eos arte sanari potest per opera et merita satisfactoria uiuorum. Ideo sibi debet dici regnum celorum pure et proprie uiolentus. Satisfactio enim uiolentia quedam est quia si fiat de bonis corporis, sic est uiolentia que est carnis afflictio uel maceratio si de bonis a se, sic est uiolentia id est importunarum oratio, si de bonis fortune, sic est elemosina in qua fit quasi rerum destructio. Iste tres partes satisfactorie non sunt aliud quam regule uiolentia per quam possumus mortuos impellere ad optatam requiem paradysi. Et

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Gloria eterna & (Hieronymus) ; Hieronymus, *Commentarii in euangelium Matthaei*, 2 (D. Hurst, M. Adriaen, SL 77, 1969, p. 80).

<sup>2</sup> sensu] sensum P.

<sup>3</sup> Aristote, *Ethique*, III, 1 (*Aristotelis opera*, III, 1831, p. 546).

ideo quia *sabbatum requiescionis est hodie* quia hodie sabbatizat et festinat ecclesia pro requie mortuorum. Ideo *affligetis animas uestras*, scilicet per afflictionem et uiolentiam, ut ipse ad optatam requiem celerius perducantur. Figuram habemus ad hoc satis propriam in Exodo (16, 22) ubi filiis Israel transeuntibus per desertum, ut uenirent ad terram promissionis, pluebat Dominus singulis diebus excepto sabbato manna, cibum autem leuissimum, qui, ut communiter dicitur, sapiebat cuilibet iuxta desiderium suum ; ymmo sic ordinauerat Dominus quod VI diebus colligerent cibum illum, ita tantum quod in VI<sup>a</sup> die immediate precedente sabbatum colligerent duplicem |193ra| portionem duo gomor pro illa, scilicet die et pro sabbato sequenti. Quia enim requies sabbati sanctificata est Domino, ut ibi dicitur, ideo non tunc liceat eis colligere, nunc secundum ueritatem illa die inueniebatur. Spiritualiter per VI<sup>a</sup> dies quibus manna colligitur, exponunt sancti et glose totum cursum et statum presentis uite qui uidetur talibus quasi VI diebus distantia. Illi sunt VI dies de quibus dicitur in Luca (13, 14) : *VI sunt dies in quibus oportet operari*, id est in quibus oportet nos, dum adhuc uiuimus, manu meritorie operationis colligere, manu diuine retributionis cibum illum quibus fruuntur angeli et beati, qui secundum Augustinum<sup>1</sup> est « finis desideriorum nostrorum », qui etiam est habens *in se omne delectamentum et omnis saporis suauitatem*, Sap. XVI (20). Set per sabbatum in quo manna non colligebatur nec inueniebatur, exponunt sancti statum post mortem, quia mortui non possunt manna colligere, id est opera meritoria facere, ut dictum est, quia ergo sic erat ordinatum quod VI die colligerent cibos duplices pro illa die et pro sabbato sequenti. Hoc prefigurabat expresse ordinationem ecclesie pro tempore nunc presenti, qua ordinatione uel statuto nos qui, in VI<sup>a</sup> die, in VI<sup>a</sup> etate sumus, tenemur et duplica quasi duplica manna duplicatis laboribus et operibus meritoriis colligere manna diuine retributionis, non pro nobis tantum set etiam pro mortuis qui sunt in sabbato requiescionis, unde quia hoc ordinauit ecclesia fieri precipue die isto.

[Division] Ideo hoc statutum conuenienter hodie promul|193rb|gatur in uerbo thematis preassumpto, *sabbatum* etc., ubi Moyses hoc sabbatum uel festum nobis pronuntians, tria facit uel VI quorum tria correspondent. Sacerdos enim pronuntiat festa parochianis suis, quandoque propter tria. Primo si sit festum quod habeat uigiliam, ut nuntiet eis quod est ieiunium. Secundo si sit festum quod debeat feriari, ut imponat eis otium. Tertio non solum pronuntiat festa, ymmo extollit et commendat ea ut habeat pinguius offertorium, et hoc facit precipue quando ecclesia sua in aliqua parte minatur ruinam, ut de oblationibus et denariis propter confluentes ad ecclesiam ruina ecclesie reparetur. Sic recte Moyses primo hunc diem tamquam celebrem nobis sollempniter preconizat dicens : *sabbatum est*, et hoc facit propter tria. Primo ut hac die caro per abstinentiam maceretur, *affligetis*. Secundo in hac die otium uel requiem generaliter domat<sup>2</sup>, *requiescionis*, et hoc ut anima quieta solum orationibus ocupetur. Tertio hoc festum pre aliis quod singulariter auctorizat quasi dicat : grande quod est grande

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Gloria eterna B (Augustinus libro 22 de Ciuitate Dei) ; Augustinus Hipponensis, *De Ciuitate Dei*, XXII, 30 (B. Dombart, A. Kalb, SL 48, 1955, p. 863).

<sup>2</sup> domat] domaticat P.

festum est, et hoc facit ut pars ecclesie que iam ruit, scilicet collegium pauperum, de purgatorio nostris donariis et elemosinis releuetur, *nostras*, quia de uestro, non de alieno, sunt elemosinis faciende. Ista est tripliciter elemosina uestra supradicta, ieiunium, oratio et elemosina.

[I] Primo ergo hanc diem tamquam celebrem sollempniter preconizat, *sabbatum*. Dicit uulgare prouerbium : est imprecans maledictum [193va] sacerdotis qui proprias reliquias uilipendit. Propter quod uidetur communiter accidere et licet etiam festum, quod est principale et precipuum in matrice uel cathedrali ecclesia, quilibet curatus pronuntiat in parochia sua et faciat sollempniter feruari, nihilominus quando ecclesia parochialis habet aliquod festum sibi spirituale et proprium, utpote festum illius sancti cuius reliquie in ecclesia requiescunt, illud festum et sacerdos sollempnis preconizat et populis deuotius sollempnizat. Matricem et cathedralem ecclesiam uoco illam que sursum est Jerusalem, que est mater nostra, in qua est solium sedes episcopalis, quod uiderat Ysa. (6, 1) qui dicebat : *uidi dominum sedentem super solium excelsum et eleuatum*. In hac tamquam in cathedrali ecclesia sunt proprie canonici habentes beneficia sine cura. Unde cantabamus<sup>1</sup> heri : « Quam felix illa curia que cure prorsus nescia. » Set ecclesiam parochialem huic subditam uoco nostram ecclesiam militantem, in qua, etsi sunt multi beneficiati, tamen uerum [est] quod hec beneficia sunt cum cura. Unde Eccles. IIII (Eccle. 4, 4) : *in hoc, supple mundo uel seculo, uanitas et cura superflua est*. Modo heri in parochia nostra celebrauimus grande festum, non tamen ecclesie nostre proprium, set hoc ferimus confortando nos matrici ecclesie triumphanti, cuius illud festum est principale ut precipuum festum omnium sanctorum hodie quod habemus celebrare festum nobis spirituale et proprium, quia hodie festiuamus non duo de † set pro illis quorum reliquias habemus et custodimus in parochia [193vb] nostra, pro mortuis scilicet qui dimiserunt reliquias pro scilicet<sup>2</sup> uel pereuntibus iure hereditario successionis uel paruuli Christi pauperibus in primitiua ecclesia in tuitu pietatis et deuotionis. II Paral. XIX (31, 10) : *reliquiarum est copia ista quam cernis*. Habundantia diuitiarum que modo uidetis in ecclesia est de reliquiis mortuorum, propter quod dicebat Ps. (75, 11) : *reliquie cogitationum diem festum agent tibi*. Hoc est dictum quod pro perpetuatione et recordatione<sup>3</sup> reliquiarum quas dimiserunt mortui, ideo successores festiuabant tibi. Unde quicumque festum istarum reliquiarum negligit, quicumque has reliquias uilipendit, meretur non solum maledici a uulgo, ymmo ac repudiari a Deo, Jo. IX (16) : *non est homo a Deo qui sabbatum non custodit*. Ergo hoc festum tamquam parochie nostre proprium merito preconizatur in ea sollempniter cum dicitur : *sabbatum est*. Recte isto modo Moyses, Leuitico (23, 27), pronuntians populo omnes ferias quas debeant sollempnizare per annum, ad hoc pronuntians illum diem in quo ad litteram agebatur memoria mortuorum, preconizabat eum tamquam inter alios<sup>4</sup> celeberrimum dicens : *dies expiationis erit celeberrimus et uocabitur sanctus, affligetis que animas uestras in eo*, et aliquibus interpositis

<sup>1</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

<sup>2</sup> scilicet] uel peru *add. P.*

<sup>3</sup> recordatione] recordationem *P.*

<sup>4</sup> alias] alios *P.*

submergit : *sabbatum requiescionis est*. Ymmo sicut patet ex sene textus ibidem et magister idem dicit in hystoria<sup>1</sup>. Hec dies in generali nomine diceretur sabbatum requiescionis nihilominus [194ra] tamen hec tria spiritualia nomina habebant. Dicebatur enim festum expiationis, festum propitiationis et festum afflictionis, et ideo secundum ista tria exponetur auctoritas premissa, ut etiam in istis tribus comprehendantur ista tria que tangebantur in themate principii. Si ergo uocabatur hec dies festum expiationis, *dies expiationum* etc., causa erat ista quia hac die corpora animalium que inuoluta fuerunt pro peccato, portabantur extra castra et ibi comburebantur, et tunc sacerdos quidem colligebat cineres qui residui erant de incendio illo et dicebantur cineres expiationis pro tanto quia ibi cineres committebantur cum aqua, et aspersionis huius aque per totum annum ualebat ad expiationem peccatorum communium. Ad propositum cineres sunt memoria ignis, reliquie crematorum in igne, et ideo per cineres illorum animalium pro peccato quorum corpora cremabantur extra castra intelligo diuitias, bona temporalia, reliquias et residua mortuorum qui modo extra forum nostrum pro peccatis suis cremantur et cruciantur. In igne ista enim sunt memoria mortuorum quia ista dimiserunt nobis uiris ecclesiasticis, ut eorum memoriam deuotius haberemus. Ita dicebat Job (13, 12) : *memoria uestra comparabitur cineri*. Rationem duplicem adduco ad hoc.

[a] Una est spiritualis, quantum ad cineres istos. Hoc enim erat unum mirabile quod licet isti cineres essent sancti utpote cineres expiationis, nihilominus qui istos cineres colligebat, ipso [194rb] facto reputabatur immundus. Unde *lauabant uestimenta sua aqua et immundus erat usque ad uesperam* (Num. 19, 10). Accipiamus primo similitudinem ad litteram. Hanc conditionem mirabilem habet pecunia, quantumcumque sit de bono et puro argento, quod quidem argentum in superficie est album et uere pulcrum et mundum, quod si ligetur in aliquo panno lineo albo, pannus ille cito contrahit uestimentum nigrum et indiget lotricio. Manus etiam contractantes pecuniam de facili maculantur. Sic uidetur spiritualiter hanc conditionem habere pecunie, ymmo quecumque diuitie que possunt per pecuniam commutari, quia quantumcumque tenuis hominem alliciantur, iterum si bone sint bene utentium, impossibile est homini eas colligere et cordi suo per affectionem imprimere, quin statim consciencia maculetur et denigretur. *Denigrata est super carbones facies eorum* (Lam. 4, 8). Propter hoc dicitur in libro Numerorum quod qui portauerit *cineres immundus erit usque ad uesperam*.

[b] Secunda ratio est generalis, que tamen magis facit ad propositum nostrum, quia sicut cineres colliguntur et disperguntur per duo contraria instrumenta, utpote cum quodam instrumento manuali recuruo colligantur et coaceruantur in unum qui, cum sint collecti cum alio, utpote cum sufflatorio, propter uentum statim euolant et disperguntur cum uento. Sic recte diuitie colliguntur et disperguntur per duo contraria. Unde Bernardus<sup>2</sup> : « Auaritia et appetitus laudis sibi inuicem aduersantur et quod hoc congregat illa dispergit. » [194va] Secundum ueritatem auaritia facit colligere

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> Gaufridus Clarevallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Jesu*, IV (PL 184, 439D).

et congregare diuitias, et iterum reddat adeo manum curuam quod nec amor Dei nec compassio pauperum Christi potest eam aperire. Auarus semper uult attrahere et congregare sibi, numquam dispergere uel distribuere. Set econtrario quod congregat curua manus auaritie, dispergit uentus inanis glorie. Hec enim facit appetitus laudis quod iste qui ita habebat manum curuam per auaritiam quod uix uellet in dimidio anno dare dimidium solidum pauperibus, non ueretur centum CC mille in pompis et uanitatibus mundi expendere. Ymmo quod est detestabile, uentus inanis glorie fecit eos dispergere et distribuere ioculatoribus quod ipsi nullo modo uellent dare pauperibus. Ecce ergo dispergit uentus inanis glorie quod congregat curua manus auaritie. Significanter ergo dicebat supra quod non cinis cum aqua mixtus et sic aspersus ualebat ad expiationem. Cinis dispersus ad deuorandum quod ad expiationem peccatorum non ualet cinis diuitiarum, manu tenaci auaritie congregatus, quin ymmo *diuitie* congregate *in malum Domini sui*, Eccles. IIII (Eccle. 5, 12). Nec ad hoc ualet cinis diuitiarum uento inanis glorie dispersus, ymmo *repperunt mercedem suam*, Mt. V (6, 2). Set ad expiationem peccatorum ualet cinis diuitiarum cum aqua compassionis et misericordie mixtus, quod est elemosina. Dicitur enim ab Eloy<sup>1</sup> quod est misericors et hydros<sup>2</sup> quod est aqua quasi aqua misericordie. Sic ergo cinis diuitiarum in elemosina aspersus et distributus pauperibus, ualet ad |194vb| expiationem peccatorum, quia sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. De hoc cinere dicit ad Heb. IX (13) : *cinis aspersus in aqua inquinatos sanctificat ad emundationem*. De ista dicitur Num. XXXI (23) : *quodcumque ignem non poterit sustinere aqua expiationis sanctificabitur*. Per ignem qui sustineri non potest, intelligo ignem purgatorii qui intollerabilis est in conspectu. Quia igitur ad hoc ordinata est dies ista, ut qui igne intollerabili puniuntur aquis expiationis, id est elemosinis, expientur et expeditur, ergo dies ista<sup>3</sup> dicta est dies expiationis, ut de ea intelligamus quod dicitur Leuit. XVI (30) : *in hac die expiatio erit atque mundatio*. Sequitur : *sabbatum requiescionis est*.

[II] Secundo uocabitur hoc festum festum propitiationis. Bene uocatur cum dicitur : « Vocabitur sanctus ». Eadem enim causa poterit esse quare dicebatur dies propitiationis, quia hac sola die pontifex intrabat interius tabernaculum, quod dicebatur sancta sanctorum, et in quo erat propitiatorium. Intrabat autem per istum modum quia sumebat secum thurribulum et ignem in thurribulo et superponens igne compositum thimiam et offerebat incensum coram Domino. Spiritualiter sicut in templo manufacto erat tabernaculum exterius et thurribulum interius, et hec duo distinguebantur adinuicem per uelamen meum, ita in templo Dei sancto, quod estis uos, est pars sensitua exterior quasi exterius tabernaculum quod descenditur in latitudine quinque sensuum, et cognitua interior pars intellectua quasi interius tabernaculum, |195ra| quod distinguitur a primo per uelamen meum, quod est obscuritas fantasmatum. Pontifex ergo quilibet nostrum, uolens hodie facere pontem quo de purgatorio perueniatur ad celum, iterum uolens uenire ad propitiatorium, id est

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> hydros] ydos *P.*

<sup>3</sup> ista] gratie *add. P.*



inuenire uiuis et mortuis propitiatorium, non debet hodie stare in tabernaculo exteriori, id est uacare exteriori occupationi seu seruili operi, quod per sensus exteriores expelletur, set debet intrare domum cordis et consciencie, ubi certe inuenitur propitiatorium, II Paral. XXX (18, 19) : *Dominus bonus propitiabitur, cunctis qui in toto corde querunt Deum*. Ergo intra domum cordis inuenitur propitiatorium. Intrabat autem per istum modum quia sumebat secum thurribulum et ignem in thurribulo set quid ultra debet portare thurribulum ? Ecce habemus modo thurribulum paratum et ignem in thurribulo, ignem quo mortui tribulantur, ergo non restat nisi superponere thimiana uel incensum deuote orationis, ad hoc quod fiat sacrificium Deo spiritus<sup>1</sup> ut dicat quilibet cum Psalmo (140, 2) : *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Set notandum quod dicitur thimiana compositum in quo innuitur quod non sufficit oratio solum oris set oportet quod sit oris, cordis et operis. *Non enim qui dicit Domine Domine intrabit in regnum celorum* etc. (Mt. 7, 21). Figuram ad hoc habemus in Eze. XL (46, 1) etc. ubi dicitur quod *porta atrii interioris erit clausa VII diebus quibus opus sit die autem sabbati aperietur*, quasi uellet dicere quod in diebus non festis licet claudere portam interioris atrii, id est cessare ab oratione, quia tunc homo occupat se in exteriori opere et licet fit, tamen debet esse quantum homo exterior occupet se negotiis secularibus, quantum ad effectum debet tantum respectu istorum tenere clausum affectum. Habet enim porta interioris atrii qui sicut in profestis diebus debet claudi mundo uel dyabolo, ita in sabbato in die festo debet deuotione et oratione aperiri Christo. Ita dicit beatus Augustinus<sup>2</sup>, libro secundo de dedicatione ecclesie : « Tabernaculum cordis nostri euacuetur uitiis ac uirtutibus repleatur, claudatur dyabolo et aperiaturo Christo. » Propter hoc etiam dicitur Ex. XXXI (15) : *VI diebus facietis<sup>3</sup> opus in die VII sabbatum est requies sancta<sup>4</sup> Domino omnis qui fecerit opus in hac die morietur*. Notabiliter dicit *requiescam Domino* quia hodie multi in diebus festis quiescunt mundo set non requiescunt Domino. Quiescunt enim a negotiis set non quiescunt a uitiis. Et causa est quia in diebus festiuis, quando ipsi deberent intrare et uisitare domum consciencie, tabernaculum interius, et aperire eam Christo in confessione et oratione, tunc magis quam aliis diebus uadunt ad spectacula, querunt ludos et solacia et ibi occurrunt temptationes et occasiones peccandi quia peccatum, cum consumatum fuerit, generat mortem. Unde talibus contingit iure quod contingebat in figura Judeis, II Mach. V (25-26), cum uenisset Apollonius *Jerosolimam pacem simulans quieuit usque ad diem sanctum sabbati et tunc feriatis Judeis, omnes qui ad spectaculum processerant trucidauit*. Et sequitur : *in gentem multitudinem peremit*. Puto enim quod plures trucidat hodie dyabolus in una die festo morte spirituali peccati quam in duobus profestiuis. *Me<sup>195va</sup>mento ergo ut diem sabbati sanctifices*, Ex. XX (8).

[III] Tertio dicebat hec dies festum afflictionis affligensque animas nostras. Ad litteram hac die multum se affligebant Judei quia ieiunabant uiri, pueri et iumenta usque ad uesperem, et ista die

<sup>1</sup> spiritus] contribul add. P.

<sup>2</sup> Caesarius Arelatensis, *Sermones Caesarii uel ex aliis fontibus hausti*, 227, 1 (G. Morin, SL 104, 1953, p. 898).

<sup>3</sup> facietis] serite P.

<sup>4</sup> requies sancta] requiescam P.

fiabat memoria mortuorum. Causa autem quare sic dicatur<sup>1</sup> festum afflictionis est ista quia Mt. XX (9, 15) dicitur : *numquid possunt filii sponsi lugere quod diu cum illis est sponsus ueniet dies quod auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabant*. Sponsus Christus, sponsa utique ecclesia, set illi triumphanti et filiis eius semper est presens sponsus et ideo ibi non potest esse luctus. Unde cantabamus<sup>2</sup> heri : « Qua felix illa ciuitas in qua iugis sollempnitas. » Nostre autem militanti ecclesie et nobis qui sumus eius filii adhuc absens est sponsus, non solum nobis set mortuis illis pro quibus hodie festiuamus. Hec igitur festa que in parochia nostra facimus, conformando nos isti cathedrali ecclesie in qua est iugis sollempnitas. Debeant dici festa exultationis, tamen illud festum quod est ecclesie nostre proprium, ubi « in cursu tot fantasmatum, turbatur cordis sabbatum<sup>3</sup> ». Merito debet dici festum mortis et afflictionis quia hic confusa sunt omnia, spes, metus, luctus, gaudium. Propter hoc dicit Augustinus<sup>4</sup> : « Quis hoc non lugeat, quis non iudicat. » Facte sunt *mihi lacrimae panis die ac nocte* etc. (Ps. 41, 4), hoc est : continue exspecto presentia sponsi et Dei mei. De hoc pane et de hoc festo similem habemus figuram Deut. XVI (3) ubi Dominus, imponens Moysi quod fa|195vb|ceret festum phase, prohibuit ne comederet *in eo fermentatum panem* set quod comederet *absque fermento afflictionis panem*, et subdit causam : *ut memineris egressionis tue de Egypto cunctis diebus uite*. Notemus singula uerba : dicit quod facere festum phase transitus aliud est recte festum quod hodie facimus. Hodie enim festiuamus pro illis qui transierunt ex hoc mundo non usque ad patrem set [qui] in uia sunt et in transitu ad patrem. Unde nihil facimus pro illis qui sunt in altero terminorum, in paradiso uel inferno, set pro illis solum qui adhuc<sup>5</sup> sunt in transitu. Est ergo *phase id est* transiens *Domini*, Exod. (12, 11) set quid debet nos mouere ad celebrandum hoc festum ? Certe ut memineris egressionis tue et de memoria mortis, scilicet quod quilibet nostrum debet cogitare et semper ante oculos mentis habere quod sicut egressi sunt de mundo, ita et nos in breui sumus egressuri, sicut ipsi mortui sunt etc. et nos sumus morituri. Ecc. XIII (Eccli. 14, 12) : *memor esto quoniam mors non tardabit*, mors et testimonium infernorum, quod demonstratum est in illis qui ante oculos nostros continue moriuntur, in quorum persona cuilibet nostrum dicitur illud Ecc. XXXVIII (23) : *memor esto iudicii mei*. Sic erit et terminum mihi heri et tibi hodie. Inter heri et hodie modica differentia est. Hoc est ergo quod debet nos mouere ad faciendum festum afflictionis. Set quid debemus comedere in hoc festo ? In hoc festo comedes absque fermento afflictionis panem. Prima facie uidetur oppositio in adiecto dicere panem [196ra] afflictionis. Panis enim nutrit et impinguat, afflictio attenuat et mortificat. Responso Dauid quod homo uiuit duplici uita, uita animali qua corpus uiuit per animam, et uita spirituali qua anima uiuit per gratiam. Modo iste due uite adeo sunt contrarie quod attenuatio, ymmo mortificatio unius, est unificatio alterius. Apostolus : *si spiritu facta carnis mortificaueritis*

<sup>1</sup> dicatur] dicabatur *exp. P.*

<sup>2</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

<sup>3</sup> Petrus Cantor, *Verbum abbreviatum*, II, 21 (M. Boutry, CM 196, 2004, p. 674).

<sup>4</sup> *Non inueni.*

<sup>5</sup> adhuc] ad hunc *P.*

*uiuētis*, ad Rom. VIII (13). Ergo mortificatio uite animalis est uiuificatio uite spiritualis. Iste cibus uel iste panis debet dici proprie nutritiuus istius qui est alterius afflictiuus. Est ergo panis penitentie proprie dictus panis afflictionis, ad litteram, adeo necessarius ad continuationem uite spiritualis sicut panis materialis ad continuationem uite animalis. *Omnis enim anima que afflicta non fuerit die hoc perhibet de populis suis*, Ro. XXIII (Leu. 23, 29). Set debet esse panis sine fermento, illud de quo dicit Apostolus in Mt. XII (Luc. 12, 1) : *attendite a fermento phariseorum quod est ypocrisis*. Fermentum cum modica autem pasta mixtum facit apparere magnum quod erat ante modicum. Sic multi modicum se per penitentiam affligentes mirabilem austeritatem uite pretendunt, uolunt apparere magnum quod est ualde modicum. Mt. VI (16) : *cum ieiunetis nolite fieri sicut ypocrite tristes et exterminant enim facies suas*, et tamen tales non faciunt festum afflictionis, set illi proprie faciunt festum afflictionis qui in occidendo affligunt se per uite austeritatem, et tamen exterius pretendunt festum et fecunditatem. Mt. VI (17) : *cum ieiunas [196rb] ungo caput et faciem tuam laua* etc. Concludamus ergo quod quia *sabbatum requiescionis est*, ideo *affligetis animas uestras* (Lev. 16, 31), id est corpora, quantum ad uitam animalem, ut sic requiescat anima quantum ad uitam spiritualem, iuxta illud Mt. XI (29) : *tollite iugum meum super uos*, iugum scilicet penitentie quod corpus affligit et uexat, *et inuenietis requiem animabus uestris*. Ad quam nos perducatur.

## SERMON 86

Saint François.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 196rb-197vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 39ra-40rb.

Plan :

Prothème

Thème – Caractéristiques des miracles divins.

I – La grandeur de Dieu soumet toutes choses.

II – L'amour divin.

F. 196rb : *Dominus pauperem facit et ditet*, primo Reg. II (7).

[Prothème] *Palmas suas extendit ad pauperem*, Prou. ult. (31, 20). Ad domum Dei currunt cum fiducia pauperes, quia persone misericordes ibi consueuerunt inueniri que manus porrigunt indigenti. Prima domus in qua Deus primo hospitatus est factus homo fuit Maria. Hec est mater misericordie, ideo cum fiducia eam adeamus, quia pauperes facti sumus nimis quo ad gratiam ita confisi, quia manum porriget ad archam omnis gratie. Filium suum et ea nobis optinebit. Hec enim est illa fortis mulier de qua Salomon ait (Prov. 31, 20) : *manum suam aperuit inani et palmas suas extendit ad pauperem*.

[Thème] *Dominus pauperem facit et ditet*, primo Reg. II (7). Inter omnia mirabilia Dei, duo specialia genera reperiuntur. Unum est quando de nihilo aliquid facit ; aliud quando de modico facit multum uel magnum. Primum ostendit in creatione, secundum in nostra iam assumpta carne, in quinque panum et duorum piscium multiplicatione, in suis siquidem operibus priuilegiatis uult quidem parum sit de rebus mundi amixtum |196va| quod spiritualiter adhuc usque hodie continuare non cessat. Quando enim de peccatore iustum facit de nihilo, aliquid producit quia « peccatum nihil est et nihil fiunt homines cum peccant », Augustinus<sup>1</sup>. Cum enim recedat peccator a Deo in quo omnes res sunt, restat ut in nihil tendat, quod est contrarium omni rei, uel etiam facit quando de suo consilio homo se rebus mundi denudat et in nudis et puris remanet et tamen eum spiritualibus diuitiis replet. Quod significanter in uerbo Francisci ostenditur cui cum quadam uice feruenter oraret, ostensum est qualiter suam uitam agere deberet. Qui omni negligentia deposita de omnibus que acquisiuerat cum labore peccuniam accepit, ueniens ad quamdam ecclesiam que ruinam minabatur, dedit predictam peccuniam pro ecclesie reparationis, quam sacerdos timore amicorum beati Francisci accipere renuit<sup>2</sup>. Set sanctus Dei eam proiecit in medio indignum reputans uirtutes similes et peccuniam possidere. Ita Dominus ditauit eum bonis gratie in presenti et glorie cum beatis.

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Peccatum B (Augustinus super Johannem) ; Augustinus Hipponensis, *In Iohannis euangelium tractatus CXXIV*, I, 13 (R. Willems, SL 36, 1954, p. 7).

<sup>2</sup> Bonauentura, *Legenda maior sancti Francisci*, II, 1 (*Fontes franciscani*, p. 787-788).

Alius introitus : uerus amicus non consuleret ei quem uere diligit, quod bona que licite retinet a se abiceret, nisi ex tali abiectioe sciret ei prouectum prouenire maiorem ; alioquin eum deciperet, quod non pertinet ad amicum. Deus qui eternus amator est, *caritate perpetua dilexi te* (Jer. 31, 3), ideo consulit seruis suis quos uere diligit, nam in eos beatificat : *beati serui tui*, III Reg. (10, 8) quod patet de adolescente cui dixit : *uade et uende omnia que habes et da pauperibus* (Mt. 19, 21), quod non faceret nisi |196vb| conuerteret in diuitias meliores, quod utique promisit adolescenti dicens : *et habebis thesaurum in celo*. Sic fecit beato Francisco, ut dictum est, ex quo patet quod uult nos esse spoliatos omnibus mundanis, tam rebus quam conuersatione, si uolumus quod corpus Christi, in quo omnes thesauri gratie et uirtutum sunt, et in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, in nobis digne recipiatur talem sic pauperem uel mandatum habentem, *ditat*, celsitudo que cuncta subicit, *Dominus*, sollicitudo que opus elicit, *facit*, beatitudo cui mundus deficit, *pauperem*. *Beati pauperes*, Mt. V (3). Plenitudo, que corda reficit, *ditat*. Gallice : seigneurie de excellence que met a honorer diligence beneurté que nul n'ascense nul ne<sup>1</sup> metreit devier ceus qui mert cuers en habundance.

[I] Circa primum nota quod pauperes religiosi magnum reputant quando in medietate sub Domino prope sunt positi per priuilegium exemptionis<sup>2</sup>, ita quod nulli inferiori iudici teneantur respondere si eos citauerit. Deus autem subdit nobis in medietate suo dominio, ita quod carni uel mundo uel dyabolo citantibus respondere non tenemur. Sumus enim exempti a dyabolo per obedientiam, in qua includitur humanitas a carne per castitatis uotum, a mundo per paupertatem, nec debemus istis citantibus respondere ne nostrum priuilegium amittamus, set soli Deo et eius mandatis obedire, ut simus de illis de quibus in Psalmo (102, 18) : *memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum omnia* etc. Vita presens |197ra| in duas partes diuiditur, in actiuam et contemplatiuam, que significantur per Martham et Mariam. Ad actiuam pertinent mandata quorum debet esse ad faciendum, non ad cogitandum tantum. Scire enim ea et non facere est sciencia que inflat et certe facienda sunt. *Nam mandata eius grauia non sunt*, I Jo. (5, 3). Non enim facere faciunt descendere sicut graue set ascendere ad uitam beatam. *Si uis ad uitam ingredi serua mandata*, Mt. (19, 17). Seruantur quando dilectio ea operatur. *Si diligissime mandata mea seruaueritis* (Jo. 14, 15). Non mandat nobis Deus nisi salutem quia in mandatis eius est salus, si seruantur qui mandat salutes Jacob. Ps. (102, 19) sequitur : *Dominus in celo parauit sedem suam*. Ibi sedet ubi eius mandatis obeditur in uiris celestibus, hoc fit qui ad modum celi semper mouentur per obedientiam set circulariter quasi non exeuntes celestia. Isti sunt quorum *conuersatio in celis est*, Phil. (3, 20). Turpe est recipere talem dominum et facere eum sedere ad terram, id est in mente terrena, per cogitationem, per amorem terrenorum quibus dum adherit terra est set celum sursum et terra deorsum. *Dominus in celo sedes eius*. *Celum mihi sedes est*. Sequitur (Ps. 102, 19) : *et regnum ipsius omnibus dominabitur*, quia qui minor est in regno celorum, maior est omni terreno, et quia maior dominatur minori, ideo uir celestis

<sup>1</sup> ne] ni B.

<sup>2</sup> exemptionis] exemptionis P.

dominatur motui carnali et reprimit eius impetum faciliter. Tronum *Domini est regnum et ipse dominabitur gentium* (Ps. 21, 29), id est eorum que a gemitura proueniunt, sic iste dominabatur carni sue. Nam si |197rb| fauilla uel scintilla carnis insurgeret in niuem uel aquam se proiciebat, donec totaliter extingueretur, ut spiritus eius regnaret et de regno spirituum esset et dicere posset : *regnum meum non est de hoc mundo*, Jo. (18, 36) et quia spiritus obediunt Deo et ubi obeditur artifici, in illa materia operatur.

[II] Ideo sequitur : sollicitudo que opus elicit. Nota quod si lignum sciret quod artifex de eo facere uellet ymaginem Christi uel Marie coram qua omnes genua flectent et offerrent, puto quod se permetteret duci secundum artificis uoluntatem, omnis ictus inspirationis diuine mentem percussentis, omnis ictus uerborum doctrine et capitulationes nostre, dum corda tangunt ad hoc ut nos faciant ymagines similes Jhesu Christo. Ergo debemus permittere fieri sicut iste qui inductilis erat, quod unus de seraphin in modum crucifixi ad eum ueniens, significauit eum sic quod cicatrices in manibus, pedibus et latere remanserunt, ut sic esset ymago Christi specialis. Sic nos debemus conformes fieri ymaginis filii Dei, ut appareat quod sumus facture Dei. Set sunt aliqui qui<sup>1</sup> non permittunt se fieri set faciunt semet ipsos contra quos dicunt boni a Deo facti in Psalmo (99, 3) : *scitote quoniam Dominus ipse est Deus* etc. Quare coniunxit Deum cum Domino ? Quia siquidem dii multi et domini multi diuersim, set unus solus Deus Dominus. Multi dominis suis obediunt corpore, non corde, quia non uident Deum carnalem corde nec ei dominantur, set |197va| Deus intuetur cor et eius Dominus est. Ideo ei est obediendum corde et corpore. Ergo *uenite adoremus et procidamus ante Dominum qui fecit nos quia ipse est Dominus Deus noster*, Ps. (94, 6-7). Sequitur (Ps. 99, 3) : *ipse fecit nos et non ipsi nos*. Non est necesse quod secundum uoluntatem nostram, faciamus nos quia uoluntas nostra leuis est, quod patet quia eam faciliter uertimus quocumque uolumus. Et ideo ad leuitates prona est et quia ex frequenti agere relinquitur tales, hinc est quod si secundum uoluntatem nostram frequenter agamus, efficiemur leues, et quia tales actus producit habitus, quales sunt illi a quibus causatus est. Ideo erimus leues et ad leuia facienda proni. Ideo bonum est quod fiamur ab illo qui in omni opere suo posuit grauitatem ponderis, dilectionis tendentis in seipsum. Ideo facit hominem similem sibi, quia similis similem querit et diligit. *Faciamus hominem ad ymaginem simil nostram* (Gen. 1, 26). Et bene dixit : « Ipse fecit », quia si sumus facti ab illo sumus, si autem deficiamus a nobis est, set bene omnia fecit. *Vidit Deus cuncta que fecerit et erant ualde bona*, Gen. (1, 31). Et quia ex opere artifex cognoscitur, precipue iste qui ab effectu, non a causa cognoscitur, ideo purum eum fecit. Quanto enim artifex est melior, tanto eius opus purius est ; quanto autem homo pauperior, tanto purior quia minus habet de opere rudis artificis, scilicet mundi, qui non facit nisi grossa et lutosa. Est enim hec differentia inter pedem corporalem et spiritualem, scilicet affectionem, quia corporalis |197vb| relinquit uestigium in puluere set in affectione relinquitur impressio rei amate. Ideo qui mundum diligit, mundus est. Mundus enim eum fecit talem qualis ipse est. Set Deus purum hominem facit et

---

<sup>1</sup> qui om. B.

sine luto terrenorum. Ecc. (Eccli. 11, 23) : *facile est in oculis Domini subito honestate pauperem*, quia amor sequitur cognitionem. Ideo que est differentia inter amorem Dei et nostrum eadem est inter cognitionem Dei et nostram. Amor autem noster presupponit bonum in re quam diligit, set amor Dei causat bonum in re quam diligit. Unde quando benefacit alicui, dicitur Deus diligit eum. Sic est de cognitione, quia homo presupponit pulcritudinem in persona quam libenter respicit. Quando autem Deus oculo pietatis respicit hominem, facit eum gratiosum. Respicit autem pauperem : *nam oculi eius in pauperem respiciunt*, Ps. (10, 5). Nota quomodo Deus honestavit, quando apparuit in fulgore solis, sic aspectus Dei causavit in eo lumen contra hoc quod noster uisus lumen presupponit, et quia uirtutes gratuite sunt diuitie spirituales. Ideo sequitur : *ditat*. Plenitudo que mentes reficit. Sicut bonus artifex ab opere quod fecit, remouit<sup>1</sup> omnia que ipsum corrumpere possunt et prestat ea que ipsum contaminare possunt, sic Deus pauperibus confert.

---

<sup>1</sup> remouit] remouet B.

## SERMON 87

Saint Martin.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 197vb-198va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 65ra-rb.

F. 197vb : *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinu Abrahe* (Luc. 16, 22).

Regula est apud mathematicos quod lineae non parallele etc. Figura [in] Genesi quomodo Jacob cancellauit manus. Applica ad beatum Martinum qui [198ra] ante punctum mortis fuit ad sinistram aduersitatis, *quia mendicus*, ideo post mortem positus est ad dexteram prosperitatis, *factum est enim ut moreretur* etc. Ubi notantur quatuor quorum ex opposito correspondent duobus. Fuit enim in sinistra mundi ceteris subpedaneus, *quia mendicus*, in dextera celi angelis collocaneus, *et portaretur ab angelis*, adhuc in sinistra mundi in penis momentaneus, *factum est ut moreretur*, factum esse mensuratur instanti in dextera celi a tormentis extraneus, *in sinu Abrahe*. Sinus dicitur requies sanctorum sicut sinus maris, locus quietus a tempestatibus et uentis.

De primo Ps. (39, 18) : *ego autem mendicus sum et pauper*. Jo. IX (8) : uicini et qui uiderant eum prius quia mendicus erat dicebant : *non ne hic est qui sedebat et mendicabat*.

De secundo nota quod merito debebatur illi angelica uictura qui officium angeli gerebat in uia. Ps. (90, 11-12) : *angelis suis mandauit*, usque ibi : *in manibus portabunt te*. Iste est alter Jacob de quo Gen. XXXII (1) dicitur : *abiit Jacob itinere quo ceperat fueruntque obuiam angeli Domini*. Mt. (4, 11) : *accesserunt angeli et ministrabant ei*.

De tertio nota quod in hiis que fiunt per continuam<sup>1</sup> successionem [et] transmutationem, factum esse et fieri non sunt similes, sunt autem similes in hiis que fiunt per subditam et momentaneam mutationem. Mors dampnatorum continua est quia continue moriuntur et numquam consumuntur. Numquam est ibi factum esse. Judic. XX (43) : *non [198rb] erat ulla requies morientium*. Ps. (48, 15) : *mors depascet eos*. Loquitur ad modum herbe prati que continue pascitur et semper restat ad pascendum quia non totaliter euellitur. Set mors sanctorum martirium momentanea est. « Momentaneum est quod<sup>2</sup> cruciat, eternum quod delectat<sup>3</sup>. » Prima Cor. (II Cor. 6, 9) : *quasi morientes et ecce uiuimus*. Ideo est ibi proprie factum est : *factum est ut moreretur* etc. Unde licet mori sit corrumpi, tamen corruptio unius est factio uel generatio alterius. Martir iste moriendo morte nature leuatus<sup>4</sup> est ad uitam glorie. Gen. (2, 7) : *factus est homo in animam uiuentem*. Gen. (1, 5) : *factum est uespere et mane dies unus*. Vespere occasus per mortem, nature ortus ad uitam glorie, *dies unus*. Ecce similis fieri et factum esse. *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*, Sap. (3, 2-3). In Psalmo (75, 3) : *factus est in pace locus eius*. Ecce III a tormentis extraneus. In sinu

<sup>1</sup> continuam] et *add. P.*

<sup>2</sup> quod] delectat *add. B et exp. P.*

<sup>3</sup> Caesarius Arelatensis, *Sermones Caesarii uel ex aliis fontibus hausti*, 149, 4 (G. Morin, SL 104, 1953, p. 611).

<sup>4</sup> leuatus] *teuatus P.*



Abrahe Jo. I (18) : *unigenitus qui est in sinu patris*. Ipse [qui] enarrauit Euangelista fuit, Jo. XXI (13, 23) : *erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Jhesu quod diligebat*. Hic est ergo Benjamin filius dextre qui primo uocatus a matre *Benoni filius doloris mei*, Gen. XXXV (18). Applica super quatuor interpretationes huius nominis Martinus ad quatuor membra thematis : interpretatur enim declinatus quantum ad primum, sublimis quantum ad secundum, auarus quantum ad tertium, certus quantum ad quartum.

## SERMON 88

Saint Martin.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 198va-200vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 75rb-77ra.

Plan :

Thème – La recherche du bien. Saint Martin s'est élevé au ciel. Les qualités de saint Martin :

I – La pureté de la conscience.

Division 2 (Zac. 5, 1) : les choix de saint Martin :

- a. abandon des tentations terrestres
- b. abandon du chemin de la volupté
- c. abandon de la prospérité terrestre

F. 198va : *Ad te leuau i oculos meos*, Ps. (122, 1).

[Thème] Secundum doctrinam philosophicam, unumquodque bonum desiderat et tendit ad finem ad quem naturaliter ordinatur. Istud patet ratione et exemplo. Ratione sic, nam animalibus perfectum appetitum habentibus uidetur<sup>1</sup> naturaliter ut, bono delectabili apprehenso et cognito, illuc se moueant ut de loco ad locum se transferant pro bono delectabili cognito prosequendo. Cuius ratio a philosopho assignatur nam in bonum simplex siue sophisticum sub sua formali ratione tendit naturaliter appetitus. Hoc etiam uidemus in speculatis quia ipsum scire est finis in speculatis. Ideo appetitus nostre intelligentie et nostre uoluntatis quasi naturali desiderio inclinatur. Nam « omnes homines naturaliter scire desiderant », prohemiō Metaphysice<sup>2</sup>. Exemplo naturali hoc apparet nam apes uenientes iuxta arborem concauam, in cuius concauitate est uas inclusum, aliquando ibi mel suum ponunt et conseruant, set uase melle repleto, mel fluit ad terram et descendit ; tunc ursus ueniens iuxta illam arborem stillas mellis defluentis degustat et mellis dulcedine degustata, eleuato capite, se erigit super arborem et ascendit. Spiritualiter loquendo, Christus api comparatur, unde in Ecclesiastico (11, 3) : *breuis in uolatilibus apis initium dulcoris habet fructum illius*. Idem potest ratione declarari nam secundum beatum Ambrosium<sup>3</sup>, sicut apis non ex commixtione libidinis producitur set uirtute solis, sic Christus fuit conceptus in utero uirginali, uirtute Spiritus Sancti obumbrante, unde in Luc. (1, 35) : *Spiritus Sanctus superueniet* [198vb] *in*<sup>4</sup> *te et uirtus Altissimi obumbrabit tibi*. Sic Christus api comparatur, set ista apis, scilicet Christus, mel dulcorem de celo nobis apportabit, dulcorem scilicet sue diuinitatis infra uas nostre humanitatis confixum in arbore crucis. Et ideo persona deuota, ueniens iuxta istam arborem per compassionem, degustata mellis diuinitatis dulcedine<sup>5</sup> per deuotionem, debet

---

<sup>1</sup> uidetur] iuem P.

<sup>2</sup> Aristote, *Metaphysica*, I, 1 (*Aristotelis opera*, III, 1831, p. 481).

<sup>3</sup> *Non inueni*.

<sup>4</sup> in] et exp. P.

<sup>5</sup> diuinitatis dulcedine] diuinitatem dulcedinem P.

oculos intellectus et affectus per desiderium et amorem eleuare, contempta omni terrena uoluptate. Ita dicit beatus Augustinus<sup>1</sup> : « Quicquid preter dictum mihi dulce non est ; quicquid mihi uult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det. » Figuram habemus in Tob. (3, 14) nam ibi dicitur quod<sup>2</sup> propter desiderium et amorem quem habebat ad Deum, tamquam ad summum bonum et finem suum principalem, cum genuasset et cepisset orare, oculos ad Deum erigebat dicens ista uerba (Tob. 3, 14) : *ad te Domine faciem meam conuerto et oculos meos ad te dirigo*. Igitur unumquodque bonum suum desiderat et tendit ad finem ad quem naturaliter ordinatur. Spiritualiter loquendo principium ex quo omnis creatura effectiue deriuatur, et finis ad quem omnis creatura naturaliter inclinatur est ipse Christus, nam ipse est finis in quo [est] altitudo sapientie humanum intellectum erudiens, in quo est dulcedo et sapor mellis gratie nostrum affectum reficiens, in quoque altitudo glorie nostrum defectum perficiens, et ideo in ipsum, tamquam in bonum supremum, debet appetitus humani desiderii eleuari. Unde in Apoc. (1, 8) : *ego sum alpha et omega, principium et finis*. Unde Augustinus<sup>3</sup> : « Deus est in se ipso [199ra] sicut alpha et omega in mundo, sicut actor et rector in angelis, sicut sapor et decor in ecclesia, sicut paterfamilias in domo in anima sicut sponsus in thalamo », in iustis sicut adiutor et protector, in reprobis sicut pauor et horror. Et ideo beatus Martinus ad suum creatorem tamquam ad summum bonum et finem suum principalem, degustata mellis diuinitatis dulcedine per deuotionem, per desiderium et amorem mentem habuit eleuatam, dicens uerba preassumpta : *ad te leuauit* etc. In quibus uerbis tria breuiter innuuntur.

Primo consciencie puritate fuit mundior quantum ad affectum, et hoc per habitum scincere dilectionis, *leuauit*. Secundo sapientie ueritate fuit limpidior quantum ad intellectum, et hoc per habitum diuine contemplationis, *oculos meos*. Set tertio regulata uoluntate fuit directior quantum ad effectum, et hoc per fructum bone operationis, *ad te*. Affectus puritatem declarat et ostendit caritas siue dilectio inflammata qua sursum erigitur, *leuauit*, intellectus limpiditatem augmentat et perficit cognitio affectiua qua Christo afficitur, *oculos meos*, set operationis siue effectus regularitatem sine deuio ad Deum dirigit intentio regulata qua celo dirigitur, *ad te*.

[I] Quantum ad primum, quanto res est nature purioris et subtilioris, tanto magis debet reponi et leuari per naturam in loco altiori, nam quia ignis excedit in puritate alia elementa, ideo super omnia elementa sublimius eleuatur. Exemplo sensibili hoc apparet nam quando uapor est grossus et malus, numquam per naturam sursum fertur, [199rb] set quando est purus et subtilis sicut ros sine grossa materia pluuiiali, statim sursum erigitur et leuatur. Spiritualiter loquendo homo uapori comparatur, unde dicit beatus Iacobus in canonica sua (4, 14) : *uita uestra non est nisi quidam uapor ad modicum parens*. Istud potest ratione declarari nam sicut uapor uel fumes transit, deficit et preteriit, sic uita

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Deus G (Augustinus super Psalmum 26) ; Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, 26, 2, 16 (E. Dekkers, J. Fraipont, SL 38, 1956, p. 163).

<sup>2</sup> quod om. B.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Deus F (Augustinus super illud : *pater noster qui est in celo*) ; Bernardus Clareuallensis, *Sententiae*, series 3, 91 (SBO, VI/2, p. 143).

nostra corporalis cito preteriit et adnihilatur. Unde Ps. (143, 4) : *dies mei sicut umbra preteriunt*, et alibi (Ps. 101, 4) : *defecerunt sicut fumus<sup>1</sup> dies mei*. Igitur homo uapori comparatur et ideo si homo sit grossus et malus<sup>2</sup>, scilicet deditus carnali uoluptati et mundane cupiditati, oculos intellectus et affectus carnalibus uoluptatibus immergendo, numquam per desiderium et amorem sursum erigitur, et si sit purus et mundus omni terrena uoluptate, potest faciliter se leuare ad superiora per desiderium et amorem set uirtute auis, certe uirtute caritatis ipsum inflammantem. Sensibiliter hoc apparet, nam quantumcumque uapor sit purus et mundus, numquam sursum fertur, nisi mediante calore solis, uirtute cuius ipse uapor superius eleuatur. Sic quantumcumque uapor, scilicet homo, sit purus et mundus consciencie puritate<sup>3</sup> numquam tamen mentem potest leuare sursum ad Deum<sup>4</sup> per desiderium et amorem, nisi mediante caritate eius intellectu eleuante et eius affectu inflammante. Ita dicit beatus Augustinus<sup>5</sup> : « Caritas est actio rectitudinis oculos semper habens ad Deum gloriam animarum societas fidelium. Otio non frigida actio non fracta, non fugax, non audax, non preceps. » Figuram [199va] habemus IIII Reg. (2, 1) nam ibi dicitur quod *cum uellet Dominus leuare Helyam per turbinem in celum* leuauit eum sursum in celum in curru igneo. Spiritualiter loquendo, per currum uirtus<sup>6</sup> caritatis designatur cuius sunt quadruplices rote. Prima rota est uera dilectio quantum ad Deum, secunda rota est uera<sup>7</sup> dilectio quantum ad se ipsum, tertia rota est dilectio quantum<sup>8</sup> ad proximum, set quarta est uera dilectio quo ad inimicum. Set auriga istius currus scilicet ignitus est recta ratio que debet duos equos istius currus, scilicet intellectum et affectum, regulare. Et ideo homo ignitus caritate inflammante, ista rota quadruplici substentatus, cuius intellectus et affectus ratione prima regulantur, potest faciliter mentem sursum erigere et leuare per desiderium et amorem, sicut fecit beatus Martinus, ut patet legendam<sup>9</sup> suam intuenti, nam « oculis ac manibus in celum semper intentis, inuictum<sup>10</sup> tamen ab oratione spiritum non relaxabat », unde de ipso potest exponi illud Zacha. VI (5, 1) : *conuersus sum leuauit oculos meos et uidi*. In ista auctoritate tria breuiter innuuntur, primo uiam mundane turpitudinis deseruit, ut ex toto conamine reuertatur ad eterna, *conuersus sum*. Secundo uiam terrene uoluptatis euitare uoluit, ut in celi culmine erigatur ad superna, *leuauit oculos meos*. Tertio notitia mundane prosperitatis fugere studuit, ut in superno lumine perfruatur fruitione interna, *uidi*, terrena deseruntur facilius propter desiderium supernorum, *conuersus* [199vb] *sum*, eterna cupiuntur ardentius propter gaudium premiorum, *leuauit oculos meos*, set diuina cognoscuntur limpidius per contemptum terrenorum, *uidi*.

<sup>1</sup> fumus] funus *P*.

<sup>2</sup> malus] malis *P*.

<sup>3</sup> puritate] puritatem *P, B*.

<sup>4</sup> Deum] mentem *P*.

<sup>5</sup> Cf. Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, epist. 48, par. 3 (A. Goldbacher, CSEL 34, repr. 1970, p. 139).

<sup>6</sup> uirtus *om. B*.

<sup>7</sup> uera] rota *add. B*.

<sup>8</sup> dilectio quantum] quantum dilectio *B*.

<sup>9</sup> Sulpicius Seuerus, *Epistulae*, 3, 15 (J. Fontaine, SChr 133, 1967, p. 342).

<sup>10</sup> intentis inuictum] intentus in uerbum *P*, intentus et uerbum *B*.

[a] Quantum ad primum, persona existens in uia minus segura et periculosa, debet se conuertere ad securiorem. Exemplum habemus in Matheo (2, 12) nam magi uenientes ut uiam periculosam euitarent *ne redirent per Herodem reuersi sunt per aliam uiam*. Spiritualiter loquendo, uia mundane cupiditatis et auaritie est periculosa et ratio huius est quia tenebrosa. Nam uiator carens lumine directiuo, credens in bono hospicio hospitari, incedit in latrones. Ergo uia tenebrosa est periculosa, unde Sap. in Prou. (4, 19) : *uia impiorum tenebrosa*. Excecauit eos malitia eorum, nam incedens per uiam cupiditatis et auaritie excecat. Istud potest ratione declarari quia sicut macula existens in oculo indurata obtenebrat oculum et excecat, sic macula peccati et auaritie radicata in affectum obnubilat intellectum et peruertit iudicium rationis. Innocentius<sup>1</sup>, libro de Vilitate conditionis humane : « *Radix omnium malorum est cupiditas* (I Tim. 6, 10). Hec sacrilegia committit et furta, rapinas exercet et predas, bella gerit et homicida, symoniace uendit et emit, et inique petit et recipit, iniuste negociatur et feneratur, fraudibus dissoluit pactum uiolat iuramentum, corrumpit testimonium et peruertit [200ra] iudicium rationis. » Igitur persona existens in uia periculosa que ducit ad mortem, debet se conuertere ad uiam securiorem que ducit ad salutem, set que est<sup>2</sup> illa uia ? Certe uia uoluntarie paupertatis que ducit facilius, nam *facilius est camelum intrare per foramen acus quam diuitem introire in regnum Dei* (Mt. 19, 24) ; uia etiam munditie castitatis que ducit purius, nam *beati mundo corde quoniam ipsi Deum uidebunt* (Mt. 5, 8) ; uia obedientie humilitatis que ducit securius nam *qui se humiliat exaltabitur* (Luc. 18, 14). Istam triplicem uiam tenuit iste confessor nam statu militari despecto uiam uoluit ducere monachalem in qua sunt tria. Nota<sup>3</sup> unde poterat dicere illud Eze. (44, 1) : *conuerti me ad uiam porte sanctuarii*. *Conuerti me*, ecce desideratur eterne fruitionis gaudium<sup>4</sup> siue premium. *Ad uiam porte sanctuarii*, ecce euitatur eterne dampnationis periculosum supplicium quia *arta est uia et angusta porta que ducit ad uitam* (Mt. 7, 14).

[b] Secundo<sup>5</sup> uiam terrene uoluptatis euitare uoluit ut in celi culmine erigatur ad superna : *leuauit oculos meos*. Auis existens super ramum glutinosum, si non nimis remaneat, non tantum perdit de plumis quod non possit se leuare ad superiora, set si super ramum glutinosum nimis moretur, alas et plumas in glutino inuoluendo, aliquando tantum perdit de plumis quod non possit sursum erigi nec uolare. Spiritualiter loquendo, ale et plume quibus intellectus et affectus ad Deum eriguntur sunt meritoria opera, super[200rb]norum desideria, gratia et uirtutes ; nam sicut se auis erigit et se leuat alis mediantibus ad<sup>6</sup> superiora, sic homo gratia mediante et spe eius affectum eleuante, cum alis uirtutum in eterna beatitudine gloriosus sublimatur. Et ideo si homo super ramum glutinosum carnalis uoluptatis non nimis immoretur per consensum set se leuet et fugiat, non propter hoc impeditur quin

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Cupiditas U (Innocentius de uilitate conditionis humane) ; Innocentius III, *De miseria conditionis humane*, II, 2 (PL 217, 717C).

<sup>2</sup> est] in *add. B*.

<sup>3</sup> nota] uota *B*.

<sup>4</sup> gaudium] gaudio *B*.

<sup>5</sup> secundo] tertio *P, B*.

<sup>6</sup> ad] a *P*.

possit erigi sursum ad Deum per desiderium et amorem, nec propter hoc perdit alas nec plumas gratie et uirtutum. Set si uoluptatibus huius mundi se inuoluat per affectum et consensum, tunc intellectus et affectus plumis gratie et uirtutum denudantur et cadit deorsum per peccatum. Ricardus<sup>1</sup>, libro de Contemplatione anime : « Numquam affectus noster ad desiderium supernorum perfecto<sup>2</sup> accenditur nec erigitur, nec intellectus ad celestium contemplationem perfecte acuitur, nisi cura carnis etiam in licitis et necessariis frequenter et fortiter repellatur. » Sicut fecit ille gloriosus confessor, nam contempta omni terrena uoluptate, oculos ad Deum erigebat dicens ista uerba<sup>3</sup> : « Sinite, inquit, me celum uidere, spiritus dirigatur ad Deum ». Nam licet in terra corporaliter habitaret, tamen in celo totus mentaliter inhiabat, unde poterat dicere cum apostolis (Phil. 3, 20) : *nostra conuersatio in celis est*. Unde in Ps. (120, 1) : *leuauit oculos meos in montes etc.*

[c] Tertio uiam mundane prosperitatis fugere studuit ut in superno lumine perfruatur fruitione interna, *uidi*. Quanto aliquis est magis elongatus a terra, tanto illud [200va] quod est in terra uidetur esse minus. Nam si homo esset eleuatus usque ad celum, ita quod tangeret ipsam lunam, dicunt quidam quod terra uideretur<sup>4</sup> ei nihil, ita quod uideretur<sup>5</sup> aliquid latus celi et nihil de terra interposita. Et ratio huius tres nam quanto res magis a longe aspicitur, tanto minor apparet, et uidetur igitur quanto aliquis est magis elongatus a terra et propinquior ipsi soli, tanto minorem notitiam habet de terrenis et claritatem solis limpidius contemplatur. Exemplum habemus in Actibus (9, 7) de beato Paulo quod *apertis 3 oculis nihil uidebat*. Set ad Cor. (II Cor. 12, 4) dicitur quod raptus usque ad tertium celum *audiuit et uidit archana Dei que non licet homini loqui*. Sic spiritualiter quanto cor humanum est propinquius ipsi celo<sup>6</sup> per desiderium<sup>7</sup> supernorum et longius a terrena uoluptate per contemptum terrenorum, tanto minorem notitiam habet de terrenis et solem iustitie, scilicet Christum, in luce suprema eius bonitatis patet limpidius intueri. Unde dicebat Ysa. (52, 2) : *eleuate consurge filia Syon*. Syon interpretatur specula<sup>8</sup>. Qui ergo uult solem iustitie, scilicet Christum, limpidius intueri, debet a terrenis uoluptatibus per contemptum et penitentiam elongari. Gregorius<sup>9</sup> : uiri religiosi quasi « huic mundo moriuntur, ut soli Deo uiuere delectentur ; quantoque ab huius seculi conuersatione se subtrahunt, tanto interne mentis acie presentiam<sup>10</sup> Dei et angelorum consortium contemplantur ». Sic fecit iste gloriosus confessor. Nam uiam mundane prosperitatis deseruit per penitentiam se elongans [200vb] ut solem iustitie per deuotionem posset limpidius contemplari. Unde potest dicere illud Apo. (1, 12) : *conuersus sum ut uiderem*. Statim sequitur : *conuersus sum et uidi*. Et in Gen. (32, 30) : *uidi*

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Caro siue corpus R (Ricardus in libro de contemplatione).

<sup>2</sup> perfecto] perfecte B.

<sup>3</sup> Sulpicius Seuerus, *Epistulae*, 3, 15 (J. Fontaine, SChr 133, 1967, p. 342).

<sup>4</sup> uideretur] uidetur P.

<sup>5</sup> uideretur] uideret B.

<sup>6</sup> celo] so *exp.* B.

<sup>7</sup> desiderium] desideriorum P.

<sup>8</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 108.

<sup>9</sup> Isidorus Hispalensis, *Sententiarum libri III*, III, 17, 1 (P. Cazier, SL 111, 1998, p. 245).

<sup>10</sup> acie presentiam] facie presentia P.

*Dominum facie ad faciem et salua facta est anima mea. Vidi Dominum in hac uita per iugem meditationem facie ad faciem in celesti patria per claram uisionem et salua facta est anima mea in superna gloria per eternam consolationem. Quantum nobis concedat<sup>1</sup>.*

---

<sup>1</sup> concedat] etc. *add. B.*

**SERMON 89**

Saint Martin.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 200vb-202rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 77ra-78ra.

Plan (cf. sermon précédent) :

II – La vérité de la sagesse.

Division 3 (Job 16, 21) : saint Martin a levé son regard vers Dieu :

- a. avec une grande attention
- b. avec sainteté et dévotion
- c. avec droiture

[II] F. 200vb : secundo dico quod sapientie ueritate fuit limpidiior quo ad intellectum, et hoc per habitum diuine contemplationis quantum augmentat et perficit cognitio affectata qua Christo afficitur : *oculos meos* (Ps. 122, 1). Communiter dicitur : ubi amor, ubi oculus siue uisus. Istud patet ratione et exemplo. Ratione sic, nam quando res feruenter diligitur ab aliquo, in eam libenter dirigit<sup>1</sup> oculos et eam uidendo mirabiliter delectatur. Huius ratio assignatur nam dilectio [siue] amor sequitur apprehensionem, sic bonum non mouet appetitum nisi quatinus apprehensum uel cognitum. Exemplo sensibili hoc uidemus nam pater diligens filium in eum libenter dirigit oculos et eum tamquam proprium filium delectabiliter contempletur. Exemplo naturali hoc apparet nam legitur<sup>2</sup> de aquila quod propter magnam delectationem quam habet, claritatem solis intuendo, nidum suum fabricat et construit<sup>3</sup> super arborem altiore et oculos dirigit ad solem, ut claritatem solis limpidius contempletur. Spiritualiter loquendo, homo aquile comparatur, [201ra] nam sicut aquila inter omnes aues tenet uolatum altiore, sic humana creatura super omnem creaturam in eterna beatitudine sublimius exaltatur. *Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*, Ps. (63, 7-8). Igitur homo aquile comparatur, set si homo uelit solem iustitie in claritate sue bonitatis limpidius intueri, debet nidum cordis sui ponere super arborem crucis per compassionem, et oculos intellectus et affectus per desiderium et amorem eleuare, et sic solem iustitie in claritate sue essentielle poterit limpidius intueri. Figuram habemus 3 Reg. (10, 24) nam ibi dicitur quod propter desiderium et amorem quem habebat regina Sabba, *terra et uniuersa illud audita sapientia Salomonis desiderabat uidere uultum eius*. Sequitur : ubi amor, ibi oculus siue uisus. Spiritualiter loquendo, ille qui est super omnia a nobis diligendus est ipse Christus, unde in Apoc. (I Jo. 4, 19) : *nos ergo diligamus Deum quoniam ipse prior dilexit nos*. Augustinus<sup>4</sup> : « Ama amore illius qui amore tui amoris descendit in uterum Virginis et ibi amorem suum amori tuo copulauit humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen sue eternitatis,

<sup>1</sup> dirigit] dirigere B.

<sup>2</sup> Exemplum 22.

<sup>3</sup> construit] constituit B.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Amor N (Augustinus de catechizandis rudibus).



limo tuo mortalitatis. » Et quia ipse Christus est a nobis super omnia diligendus, ideo in ipsum tamquam in bonum summum debent oculi intellectus et affectus eleuari. Sic fecit iste sanctus. Unde de ipso potest exponi illud Job (16, 21) : *ad Dominum stillat oculus meus*. In qua auctoritate tria breuiter innuntur, primo fuit in eo attentionis sollicitudo, attendens [201rb] ad reformandam ymaginis proprie pulcritudinem, *oculus meus*. Secundo fuit in eo deuotionis sanctitudo, ostendens in eo admirandam dulcedinis gratie plenitudinem, *stillat*. Set tertio fuit in eo intentionis rectitudo, tendens ad habendam beatitudinis glorie celsitudinem, *quia ad Dominum*.

[a] Quantum ad primum, subtilis artifex uolens pulcram ymaginem depingere ad similitudinem alicuius exemplaris, debet oculos attente erigere et dirigere ad exemplar et spiritualiter, quando ymago illius exemplaris est superius eleuata, nam si oculos aduertat ab ipso exemplari, ymago que depingere uult deturpatur. Spiritualiter loquendo, ars nostre salutis est subtilissima. Ratio huius est, nam licet sit subtile pulcram ymaginem facere, multo fortius est ymaginem deturpatam, deformatam reparare. Spiritualiter loquendo, ymago anime humane erat multum ante aduentum Christi per peccatum deformatam, set post aduentum Christi tempore plenitudinis gratie fuit per gratiam reformata. Unde (II) Cor. (3, 18) : *in eandam transformamur ymaginem. Ad ymaginem Dei factus est homo* (Gen. 9, 6). Unde in Gen. (1, 26) : *faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram*. Volens igitur animam suam pulcritudine gratie reformare, si sit deturpata per peccatum, debet oculos intellectus et affectus per desiderium et amorem eleuare ad ymaginem nostri exemplaris que est in celo eleuata. Set que est illa ? Certe ipse Christus. Unde in libro Sap. (7, 26) : *candor lucis eterne et speculum sine macula et ymago bonitatis illius*. Set ista ymago uoluit in cruce [201va] superius eleuari in monte caluarie, ut a peccato liberemur. Figuram habemus in libro Num. (21, 9) nam ibi dicitur quod *Moyses serpentem eneam* leuauit sursum ut filii Israel morsibus serpentis lesi in ipsum serpentem eneam inspicerent et sic sanabantur. Spiritualiter Christus serpenti eneo comparatur et ratio huius est nam humanitatem nostram habuit. *Habitu inuentus ut homo* (Phil. 2, 7). Tamen uenenum peccati non assumpsit. *Qui peccatum non fecit nec est inuentus dolus in ore eius*, II Pe. 2 (I Pe. 2, 22). Set iste serpens uoluit in cruce superius eleuari brachiis extensis, ut nos mortui per peccatum in eum aspicientes a morsu peccati sanaremur. Igitur ymago nostri exemplaris superius eleuata est. Ipse Christus, uolens igitur animam suam uirtute patientie gratie et humilitatis reformare, si sit deformatam per peccatum, debet oculos intellectus et affectus per desiderium eleuare, nam ad ymaginem nostri exemplaris sic in cruce eleuatam, scilicet ipsum Christum, nam si oculos aduertat ad mundanas ymagines carnalium uoluptatum, statim ymago anime immunditiam carnis uoluptatis per consensum deturpatur. Idem<sup>1</sup> potest ratione declarari, nam ymago cerea deformatam per applicationem ad sigillum siccum numquam bene reformatur. Spiritualiter mundus siccus ardore concupiscencie et cupiditatis unde *totus mundus maligno positus est* (I Jo. 5, 19), hoc est in malo igne. Et ideo cor ei applicatum per affectionem non reformat set [201vb] deformat, quia sicut sigillum partem cere semper secum capit et

<sup>1</sup> idem] istud B.

retinet, sic mundus partem cordis sibi applicati per affectionem semper secum rapit et asportat. Unde Gregorius<sup>1</sup> : « In istis uisibilibus que intuentur cor nostrum spergitur extra se, et quid de se agatur intrinsecus obliuiscitur dum exterius occupatur. » Sic fecit iste confessor, unde poterat dicere illud Job (4, 16) : fecit *ymago coram oculis meis*. Fecit *ymago*, ecce ymaginis anime per gratiam reformanda pulcritudo, *coram oculis meis*, ecce accensi omnis cura et sollicitudo.

[b] Secundo fuit in eo deuotionis sanctitudo, ostendens admirandam dulcedinis gratie plenitudinem, *stillat*. Quando cera est posita iuxta ignem et calore ignis calefacta, liquessit et guttatim stillat ad terram et descendit, set quandoque congelata numquam stillat, numquam fluit. Spiritualiter loquendo, cor humanum cere comparatur, unde in Ps. (21, 15) : *factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio uentris mei*. Et ideo si cor humanum sit inflammatum et ignitum igne caritatis, tunc stillabit aquas et guttas deuotionis et contritionis, set si sit congelatum per peccatum, tunc carebit plenitudine gratie et deuotionis. Sic fuit iste confessor nam cor habebat ita inflammatum ardore caritatis quod dimidium palii quo induebatur sibi obuianti misericorditer erogauit, unde poterat dicere [202ra] illud Michee II (11) : *stillabo uinum*. In habundantia *stillabo uinum*, ecce deuotionis in habundantia, ecce dulcedinis gratie admiranda plenitudo.

[c] Tertio dico : fuit in eo intentionis rectitudo, tendens ad habundantiam beatitudinis glorie celsitudinem, *ad Dominum*. Balistarius uolens recte trahere ad signum uel terminum, oculum claudit sinistrum et dextrum aperit, ut sagitta ad signum directius dirigatur. Spiritualiter loquendo, per sagittam amor cordis designatur, nam sicut sagitta emittitur de balista corda mediante, sic amor cordis ad Deum dirigatur mediante intuitu misericordie et opere pietatis, set signum uel terminus ad quem ista sagitta, scilicet amor cordis, debet dirigi est Christus. Ratio huius est nam sicut in termino sagitta quiescit nec mouetur, sic in Christo tamquam inn summo bono appetitus humani desiderii quietatur. Augustinus<sup>2</sup> : « Fecisti nos Domine ad te et inquietum est cor nostrum donec quiescat in te. » Volens igitur suam beatitudinem sine deuo inuenire, debet oculum sinistrum qui respicit temporalia claudere per contemptum et oculum dextrum aperire ad superiora, et sic suam beatitudinem poterit sine deuo inuenire. Sic fecit iste sanctus, unde poterit dicere illud Ps. (41, 3) : *sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum*. Sequitur (Ps. 41, 3) : *ueniam et apparebo ante faciem Dei mei. Sitiuit anima mea ad Deum*. Ecce intentionis certitudo, *ueniam* [202rb] *et apparebo ante faciem Dei mei*, beatitudinis glorie iam adepta celsitudo et istud membrum concordat conclusioni principali ubi dicitur *ad te*. Quod nobis concedat.

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Sollicitudo siue occupatio H (Gregorius libro 6 Moralium) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XXV, 7, 18 (M. Adriaen, SL 143B, 1985, p. 1242).

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, 1, 1 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

## SERMON 90

Saint Martin.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 202rb-205ra.

Plan :

Thème – L'utilité d'avoir un exemple sous les yeux. Saint Martin doit être un exemple pour les chrétiens.

I – La manière de ne pas commettre d'erreur.

II – Les vertus de l'étude.

F. 202rb : *Hic est uere propheta*, Jo. 6 (14).

[Thème] Gregorius<sup>1</sup> 24 Moral. dicit sic : « Volantia animalia alis suis se uicissim feriunt, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis alternis uirtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis me ad melius accendit. Et ala in eo uicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. » Ex quibus uerbis manifeste monstratur<sup>2</sup> quod humano cordi ualeat ad promotionem boni operis habere aut exemplar persone bene operantis, propter quod omnis qui intendit in uia Deo progredi, non regredi, debet oculum mentis figere in tali exemplari quod ei proficiat et non noceat, ad bonum promoueat, non retardet. Sic enim uidemus ad sensum. Ille enim qui habet scribere uel facere scribi libros principaliter attendit quod habeat exemplar non corruptum set continens ueritatem ; quod si non habeat, differt scripturam donec inuenerit exemplaria ueritatis. Propter quod in figura Ex. 26 (25, 40) non fuit dictum Moysi quod aliquid operaretur usi post ostensionem exemplaris : *inspice*, inquit, *et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est*. Spiritualiter, quamdiu sumus in hac uita, sumus ad modum scriptorum libri quod in quibus scribimus consciencie nostre exempla, hoc est sententia que contra nos uel pro nobis [202va] in iudicio proferetur. Apo. 20 (12) : *iudicati sunt mortui ex hiis que scripta erant in libris*. Ratio autem quare scriptoribus comparatur est ista : bonitas uel perfectio scriptoris non consistit in multitudine litterarum set in debito ordine earum. Posset enim scribere litteras infinitas absque hoc quod haberet perfectam scienciam. Sicut si scriberet infinite<sup>3</sup> copulando litteras consonantes, mutas scilicet et liquidas, nullam eis uocalem adiungendo, nihil perfectum sequeretur, set tunc solum inuenitur perfecta sententia quando inter liquidas et mutas uocales fuerunt modo debito ordinate, quod consistit in perfectione scriptorum, non in magna scriptura litterarum, set in ordine debito earum. Spiritualiter omnia mundana, ymmo omnes creature, non sunt nisi quedam littere quibus in cordibus enim debet

---

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Exemplum G (Gregorius 24 Moralium) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XXIV, 8, 19 (M. Adriaen, SL 143B, 1985, p. 1202).

feriunt] ferunt P.

<sup>2</sup> monstratur] iurantur P.

<sup>3</sup> infinite] infinities P.

cognitio et amor creatoris inscribi. Sap. 13 (5) : *a magnitudine enim speciei<sup>1</sup> et creature cognoscibiliter poterit creator horum uideri*. Inter litteras istas quedam sunt uocales, ea scilicet que Christus, qui est uox et uerbum, fieri ordinauit et ipse etiam uocalis principalis ; omnia alia muta sunt et liquida, muta quidem ab effectu, quia hominem mutatum efficiunt a laude Creatoris. Quot clerici diuinum officium et cantum ecclesiasticum negligunt, propter hoc quod circa terrena negotia occupantur, quot iudices, quot aduocati<sup>2</sup> obmittunt iustitiam mundanis muneribus excecati. Ecc. 20 (31) : *xenia<sup>3</sup> [202vb] et dona excecant oculos iudicum*, et quasi mutus in ore auertit correctiones eorum. Dicitur quod mutus est. Quedam rana<sup>4</sup> [est] que alio nomine dicitur calamita, que proiecta in ore canis latrantis facit ipsum obmutescere. Sunt etiam liquida ab effectu quia cor humanum liquefaciunt et remittunt. Non est cor in mundo ita constans uel firmum quod honores, deliciae, diuitie non emolliant aut remittant. Ps. (21, 15) : *factum est cor meum tamquam cera liquescens* et iterum : *liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea*. Modo sic est quod in quacumque multitudine ista copulentur, diuitie scilicet, deliciae et mundana quaecumque alia, si non interpretatur Christus, cum eis non perfectam set ualde imperfectam sententiam generabunt<sup>5</sup>. Figura Luc. 16 (19) : *homo quidam erat diues et induebatur purpura et bysso et epulabatur cotidie splendide*. Ecce multas litteras liquidas insimul congregatas set quia Christus non fuit uocatus nec quem iussit uocari et pauper scilicet qui iacebat ad ianuam eius, et ideo sequitur sententia ualde dura (Luc. 16, 22) : *mortuus est autem diues et sepultus est in inferno*. Simile habetur ibidem XII (Luc. 12, 19) de diuite malo dicente : *anima mea multa bona habes reposita in annos plurimos requiesce, comede et bibe et epulare*. Ecce multa muta et liquida in unum congregata set quia quid Christus ordinauit fieri non fuit, ideo dixit enim [203ra] quod *superest date elemosinam et ecce omnia munda sunt uobis*, Luc. 12 (11, 41). Ideo sententia subinfertur (Luc. 12, 20) : *stulte hac nocte animam tuam repetent a te que autem congregasti cuius erunt*. Set quando cum istis mutis et liquidis uocales debito modo ordinantur quia quedam etiam in diuino seruitio expenduntur, quedam pauperibus errogantur, quedam, si oportet, restituuntur, non resultat imperfecta sententia set perfecta. Figura Luc. 19 (2) ubi legitur de Zacheo qui *erat princeps publicanorum et ipse diues*, quia uocales cum hiis mutis interposuit, Christum in domo sua recipiendo, excepit, inquit, illum gaudens que Christus iussit fieri in omnibus adimplendo dicens (Luc. 19, 8) : *ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus et si aliquem defraudauero reddo quadruplum*. Idcirco sequitur perfecta sententia (Luc. 19, 9) : *hodie huic domui salus a Deo facta est*. Sic igitur in beato ordine istorum, non in multitudine consistit perfectio, set in deordinatione [est] peccatum. Ambrosius<sup>6</sup> super Luc. libro VIII : « Diuites discant ne in facultatibus crimen haberi, set in hiis que uti nesciunt, nam diuitie ut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiuuamenta

<sup>1</sup> speciei] spei P.

<sup>2</sup> aduocati] adiuit *add. P.*

<sup>3</sup> xenia] exennia P.

<sup>4</sup> Exemplum 23.

<sup>5</sup> generabunt] generabuntur P.

<sup>6</sup> *Manipulus florum*, Diuitie M.

uirtutis. » Set hodierna die bene inuenitur uox in conuiuuiis diuitum set non uox Christi nec pauperum. Bene audiuntur pauperes in porta set non uidentur in aula, clamant ad ostium set non uocantur ad conuiuuium, cum tamen dicat Christus, Luc. 19 (14, 13) : *cum facis conuiuuium |203rb| uoca pauperes debiles claudos*. Vox talium non auditur set uox hystrionum et ioculatorum. Ysa. (5, 12) : *cythara et lira [et] tympanum et tibia [et] uinum in conuiuuiis uestris et opus Domini non respicitis*. Et propter hoc concluditur Job 21 (12-13) : *tenent tympanum cytharam et gaudent ad sonitum organi et ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt*. Gregorius<sup>1</sup> in Moral. : « Jure restat ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. » Sic ergo patet quod quamdiu uiuimus in hac uita, comparamur scriptori propter quem debemus exemplar uerax querere quo prouocemur ad bene operandum. Idcirco Spiritus Sanctus nobis huius exemplar proponit, beatum scilicet Martinum, dicens : *hic est uere propheta* (Jo. 6, 14). Ita enim cantat de ipso ecclesia, dicens<sup>2</sup> : « O Martine prophetis exemplar, apostolis consortium, presulum gemma, fide et meritis egregie etc. » Et tanguntur tria in uerbis propositis ad commendationem beati Martini.

[I] Primo quod ab ipso tamquam ab exemplari ueraci resecatur occasio calumpniose accusationis, *hic est*. Nota : transcriptum littere alicuius semper patitur calumpniam, donec facta fuerit collatio de se ipso cum originali, nec ante collationem sigillatur nec signatur, set facta collatione et transcripto sigillato non remanet amplius materia calumpnie uel obiectionis. |203va| Spiritualiter nos sumus omnes transcriptum. Quid enim [est] aliud anima nostra nisi transcriptum Trinitatis ? *Ad ymaginem Dei creauit illum*, Gen. I (27). Quare autem dicamur littere ? Ecce quando aliquis scribit litteram quam debet portare ad sigillum, de duobus sibi cauet, uidelicet de interliniari, et nesciebat aliquod uocabulum quod oporteat radi. Posset enim sigillator obici sigillum negare, dato etiam quod sigillaret, adhuc timeret quod propter rasuram impugnaretur. Sic spiritualiter est de nobis : interliniaris significat opera indifferentia que bono modo et malo possunt fieri ista. Debemus taliter facere quod dyabolus non possit impugnare quod non fuerit de eadem manu, quod scilicet fuit facta de mala intentione. Isto modo impugnauit Job I (9-10) : *numquid frustra Job timuit Deum, nonne tu uallasti eum et domum eius*, quasi dicat : te non diligit nisi propter luctum. Fiant ergo omnia sancta intentione. Illud quod radi et deleri ante sigillationem oportet, est peccatum. Numquam sigillum gratie uel glorie ponitur in corde in quo habitat peccatum. Cauere ergo debemus ne in tota littera uite nostre inueniatur peccatum cuius rasura requiratur ante infusionem gratie, quod si fuerit, radatur per penitentiam ; remaneat semper tamen amor, ne forte recuperauerit sigillum gratie. *Nescit enim homo utrum amore an odio dignus sit*, Ecc. 9 (1). Si posito quod in rei ueritate recuperauerit, adhuc semper timeat ne sibi obiciatur uel quod non fuerit perfecte contritus uel non perfecte |203vb| confessus uel quod non perfecte satisfecerit uel postea in peccato complacentiam habuit, Ecc. V (5-6) : *de*

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Gaudium G (Gregorius in Moralibus) ; Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 35, 1 (PL 76, 1260B).

<sup>2</sup> CAO, 3, 4038, S. Martini.

*propiciatu peccatorum noli esse sine metu neque adicias peccatum super peccatum et ne dicas miseratio Dei magna est. Multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Nota de quodam qui sibi<sup>1</sup> uidebatur quod nomen suum esset scriptum in quadam carta<sup>2</sup> de qua totiens deletum fuerit et rescriptum, quod si adhuc semper deleteretur, amplius in ea scribi non posset; qui ad se rediens a peccatis deinceps sibi cauit. Talis enim rasura est multum timenda. Unde Augustinus<sup>3</sup> in quodam sermone: « Quid obest illi si de illa tabula eum humana uult delere<sup>4</sup> ignorantia, si eundem de libro uiuentium numquam propria doleat consciencia? Nam et si bonum quod de nobis dicitur: in mente non inuenitur in magnam debemus letitiam prosilire. » Sumus ergo transcriptum. Originale huius transcripti est ecclesia triumphans. Dicit enim Dyonisius<sup>5</sup>: « Quid ecclesia militans extracta est a ceteri, ergo donec illuc nouerimus, semper obiectiones et calumpnie sunt contra nos uel culpe et pene uel pene in purgatorio set postquam ibi fruentium et inuenta fuerit in nullo ab eis discrepare obiectiones uel calumpnie de cetero occasio nulla restat », et sic est de beato Martino. Facta est enim collatio uite eius cum originali uita beatorum, et iam qui<sup>6</sup> in eis in nullo discrepans redditur nobis sigillatus sigillo |204ra| glorie et traditur pro ueracissimo exemplari cum dicitur: *hic est*, de quo potest dici illud Luc. 23 (41): *hic nihil mali gessit*. Nota: in duobus potest scriptor deficere que, si fiat, non uidetur deficere. Unum est si mutet manum ita quod littera sit in uno loco grossa et in alio gracilis. Aliud est si aliquid scriptum in originali omittat. Beatus Martinus in nullo istorum errauit, non enim mutauit manum quia eundem feruorem, quem in principio habuerat, non minuit set seruauit. Unde factus archiepiscopus Turonensis « idem constantissime perseuerabat qui prius fuerat. Eadem in corde humilitas<sup>7</sup> atque idem implebat episcopi dignitatem, ut propositum monachium desereret<sup>8</sup> », uel qui de originali obmisit non contenta in euangelio quantum ad precepta perfectissime adimpleuit, unde bene omnia fecit, unde de ipso potest dici illud Luc. 23 (47): *uere hic homo iustus erat*. Et nota quod scriptor diceretur infidelis qui mutat manum, ut dictum est, set diceretur falsus et peruersus si in scribendo librum omnes affirmatiuas propositiones libri scriberet et dimitteret omnes negatiuas. Spiritualiter liber quem nobis debemus scribere est status uite nostre. Hunc enim debet quilibet recolligere infima [in] armarium mentis sue. Ysa. 24 (38, 15): *recogitabo tibi annos meos* etc. Modo sic est quod in istum librum scribendo multi male continuant manum suam, in principio sunt feruentes set processu temporis tepidi sunt. Apoc. 2 (4): |204rb| *caritatem tuam primam reliquisti*. Aliquando solum scribant affirmatiuas et dimittunt negatiuas. Per affirmatiuas intelligo gratias cuiuslibet persone medietate uel immedietate collocatas, quia per eas affirmatur in ea uestigium bonitatis diuine a quo

<sup>1</sup> sibi] Christus *add. P.*

<sup>2</sup> Exemplum 24.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Consciencia A (Augustinus in sermone).

<sup>4</sup> delere] ledere *P.*

<sup>5</sup> *Non inueni.*

<sup>6</sup> qui] quem *P.*

<sup>7</sup> humilitas] eadem in uilitas *add. P.*

<sup>8</sup> *Lectionnaire dominicain*, II, p. 376. Sulpicius Seuerus, *Vita sancti Martini*, 10, 1-3 (J. Fontaine, SChr 133, 1967, p. 272 et 274).

cuncta bona procedunt. Per negatiuas autem deffectus et peccata quia per talia ostenditur a Deo deuiare et denegatur<sup>1</sup> sequi eius ymaginem in quo nulla est perfectio uel deffectus. Modo multi sunt<sup>2</sup> qui optime uolunt quod eorum gratie recordentur, set de peccatis suis et deffectibus nolunt loqui nec etiam cogitare sicut superbi et presumptuosi. Unde Augustinus<sup>3</sup> de conflictu uitiorum et uirtutum super Luc. dicit : « Certe multis, ymmo pene omnibus melior es<sup>4</sup>, uerbo, sciencia, diuitiis honoribus, cunctisque que carnalibus uel spiritualibus suppetunt karismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis temet ipsum attende. » Tales sunt falsi scriptores : a Christo condempnabuntur. Figura, Luc. 19, ubi legitur quod duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Phariseus et alter publicanus. Set Phariseus orabat sic (Luc. 18, 11) : *Deus gratias ago tibi quia non sum sicut ceteri hominum raptores, iniusti, adulteri, uel ut etiam publicanus.* Ecce quod hic non recitat nisi affirmatiuas (Luc. 18, 12) : *ieiuno bis in sabbato decimas do omnium que possideo.* Set publicanus solus recitat negatiuas dicens (Luc. 18, 13) : *Deus propitius esto mihi peccatori,* et ideo rediit ab oratione iustificatus et Phariseus condempnatus [204va] *Amen dico uobis descendit hic iustificatus in domum ab illo* (Luc. 18, 14). Et merito quia longe plus debent scribi huius negatiue, cuius ratio est : numquam in scripto debet poni illud de cuius lapsu a memoria non terminetur. Ad quid ponerem ego in scripto quod ego habeo duos oculos uel X digitos, cum non possint talia obliuisci ? Illa ergo solum de quorum obliuione timetur in scripto sunt ponenda, modo sic est quod nullas gratias quas habet numquam obliuiscitur set optime recordatur. Ymmo multi qui pro una gratia quam habent reputant se habere XX, set deffectuum et peccatorum nullo modo uolunt recordari. Ps. (18, 13) : *delicta quis intelligit.* Et idcirco frequentius ad memoriam reducenda sunt peccata quam uirtutes. Sic faciebat Ps. (31, 5) dicens: *delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi.* Crisostomus<sup>5</sup> super Mt. : « Si uis sublime ostendere uirtutis, noli sapere sublime et tunc illud quod egeris esse monstrabis excelsius. Noli te quicquam putare fecisse et plenissime cuncta fecisti. » Luc. XVII (10) : *cum feceris omnia que scripta sunt dicite serui inutiles sumus.*

[II] Secundo commendatur quod dedicatur studio fructuose eruditionis. Nota : illa insertio non est fructuosa set nociua que non trahit truncatum ad nobiliorem naturam quam prius esset. Sicut si in truncto piri insereretur sarculus sambuci dampnosum esset, non [204vb] fructuosum, sicut non [est] differentia cum introductione<sup>6</sup> forme : quando expellitur nobilior, est<sup>7</sup> corruptio, licet in ueritate sit ibi generatio. Spiritualiter truncatus cui debet fieri insertio est anima que est sicut tabula rasa sarculus inserendus est sapientia mundi. Sic est quod sapientia mundi non trahit animam ad melius set ad

<sup>1</sup> denegatur] denegetur P.

<sup>2</sup> sunt] sciunt exp. P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Superbia M (Augustinus in libro de conflictu uitiorum et uirtutum) ; Ambrosius Autpertus, *Libellus de conflictu uitiorum atque uirtutum*, cap. 2 (R. Weber, CM 27B, 1979, p. 910).

<sup>4</sup> melior es] meliores P.

<sup>5</sup> *Manipulus florum*, Jactantia D (Crisostomus super Mattheum).

<sup>6</sup> cum introductione] philosopho generatio P.

<sup>7</sup> est] set P.

peius. Melius enim esset anime nullum habere habitum quam quod haberet malum uel peruersum. Talis est sapientia mundi. Jac. 3 (15) : *non est ista sapientia desursum descendens set terrena animalis et dyabolica*. Et uidetur de sapientia quorundam sicut sarculus sambuci inseretur truncto piri. Pirus de se habet trunctum fructiferum, sambucus habet flores odoriferos set, si confricentur, fetent ; fructus etiam eius fetet. Sic sapientia multorum redolet in flore, quando est noua, mulcet aures et libenter auditur, set si confricetur, quia uidelicet examinatur et fundamento eius uindemiatur et inspiciatur fructus qui ex ea sequitur, quia multis cordibus intelligentibus tota fetet. Iterum si talis sapientia uel sciencia ponatur in aliquo qui est dispositus ad profectum sciencie, ipsum non trahit ad melius set ad peius. Iterum non est inserenda set spernenda, 2 Thi. 2 (23) : *stultas et sine disciplina et questiones*, de qua ergo sapientia debet fieri insertio. Ecce ortolani, quando uolunt facere insertionem, numquam accipiunt sarculus nisi |205ra| de aliqua arbore cuius fructus est probatus, et dicitur quod oportet quod sarculus habeat aliquid de augmento duorum annorum, alias non est utilis ut ex eo fiat insertio. Sic doctrina que probata est et approbata, que concordat dictis sanctorum et prophetarum, inserenda est et querenda. Ecc. 39 (1) : *antiquorum omnium exquiret*.



## SERMON 91

Sainte Catherine.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 205ra-207ra.

F. 205ra : *Eleuauerunt archam in sublime*, Gen. VII (17).

Super illud Jo. 19 1 (14, 2) : *in domo Patris mei mansiones multe sunt*. Dicit Gregorius<sup>1</sup>, [libro] 4 Dyalogorum : « *In domo*, inquam, *Patris mei mansiones multe sunt*. Si enim dispar distributio in illa eterna beatitudine non esset, una potius mansio quam multe essent. Multe ergo mansiones sunt, in quibus et distincte beatorum ordines propter meritorum consortium communiter letantur. Et tamen unum denarium omnes laborantes percipiunt, et dispar distributionis qualitas quam per opera diuersa assequuntur. » Ex quibus uerbis manifeste apparet quod licet in uita eterna sit una communis remuneratio beatorum, secundum quam singulos denarios uisionis beate distribuuntur, nihilominus tamen ibi est distributio diuersa premiorum, secundum quam unus alio eleuatur altius et premiatur felicius. Ratio huius potest esse : scitis enim quod persona que cecidit in puteum, tantum potest superius eleuari quante longitudinis est cathena cum qua superius eleuatur. Unde tali qui sic cecidit dicitur per Ysaïam (54, 2) : *longos fac funiculos tuos*. Ecclesia militans et uita presens est quasi quidam puteus in quem cecidimus per peccatum [205rb] primorum parentum. Gen. 16 (14) : *appelauit puteum illum puteum Viuentis* et gratie. In sola enim ecclesia est uita gratie que ducit ad claritatem uisionis beate. Ratio autem quare ecclesia militans puteus appellatur potest esse : scitis enim quod communiter puteus non foditur ubi fons oritur, set in loco sicco et deserto et a fonte elongato, ut ex eo patenter et adequatur [eos] qui de aqua fontis habere non possunt. Aliter etiam in puteo scaturit aqua<sup>2</sup> et aliter in fonte, quia in fonte sic patenter et uisibiliter scaturit aqua et oritur, quod omnibus de ipso fonte bibentibus manifeste apparet unde ipsa oritur. Set in puteo sic oritur quod aqua quedam uidetur set meatus et uene non uidentur set<sup>3</sup> frequentius oculantur. Sic spiritualiter in deserto huius mundi sicco et arido, in quo fons uisionis beate nondum egreditur, fodit Christus puteum ecclesie militantis in quo haurimus aquam gratie qua adequamur, antequam reducatur ad ouile ciuium supernorum. Hic est puteus quem fodit Ysaac risus et gaudium<sup>4</sup>, beatorum filius Dei scilicet cuius natura *ab eo quod accidant uocauit calumpniam*, Gen. 20 (26, 20). Multas enim calumpnias passus est a Judeis filius Dei benedictus in huius putei fossione, quia fodiendo hunc puteum *foderunt manus eius et pedes* sicut dicit Ps. (21, 17). Beati<sup>5</sup> etiam qui potantur de fonte *aque uiue salientis in uitam eternam* (Jo. 4, 14). Manifeste apparet unde [205va] eorum satieta diuinatur quia a presentia diuine maiestatis que facie ad

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Gloria eterna AG (Gregorius libro 4 Dialogorum) ; Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV*, IV, 36, 13 (A. de Vogüé, SChr 265, 1979, p. 122-123).

<sup>2</sup> aqua] aquam P.

<sup>3</sup> set] ut *add. P.*

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67.

<sup>5</sup> beati] beatis P.

faciem sancti sine quocumque medio intuentur, Zach. 3 (13, 1) : *erit fons patens domum David*. Set in puteo ecclesie militantis gratie sacramenta que in ecclesia cotidie pascimus et potamus, aliquantulum non apparet unde aqua oriatur ut per quem modum non clare set euangelice solum intuemur. Unde de Spiritu Sancto a quo tota ecclesia gubernatur dicitur Jo. 3 (8) : *Spiritus ubi uult spirat et uocem eius audis set nescis unde ueniat aut quo uadit*. Set secundum quod uidemus, puteus quantumcumque plenus multiplicatur, impeditur ne potum ouibus administret si totaliter implerentur et maxime de terra, quia terra aquam bibit et absorbet. Sic spiritualiter ouibus Christi non administratur hodie potus sufficiens quia persone que deberent gregem Domini adquare, exemplo conuersationis honeste et uerbo predicationis et doctrine, sunt replete humore cupiditatis et auaritie. Figuram habemus in Gen. 26 (15) ubi dicitur quod Palestini *omnes puteos quos foderant serui patris illius scilicet Abraham obstruxerunt implantes humo*. Palestini incedentes uel ora malleatorum interpretantur<sup>1</sup> et significant demones qui contendunt et malleant ora et corda christiani. Volo nostrum †. Serui patris, scilicet Christi fuerunt apostoli, unde de ipsis dicitur, Io. 17 (6) : *de mundo tui erant et mihi eos dedisti*. [205vb] Isti foderunt multos puteos infundentes, in multorum cordibus aquam gratie et doctrine. Ephe. 2 (20) : *superedificati sunt fundamentum apostolorum*. Modo demones multi<sup>2</sup> qui successerunt, fundantur ab apostolis, sic repleuerunt humo cupiditatis terrene ut oues † ab ipsis non adaquantur set potius intoxicantur et perdantur ut possit ecclesia dicere propter malitiam ministrorum suorum illud Jer. 9 (15) : *cibabo populum istum absintio et potum dabo eis aquam fellis*. Et illud Ps. (68, 22) : *dederunt in escam meam fel et in siti mei potauerunt aceto*. Bernardus<sup>3</sup> super Cantica sermone LXXVIII : « Cum clericis exuberare existimas rerum affluentiam, uestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem uasorum aureorum et argenteorum, nisi de bonis ? Est quod illa pauper et inops et nuda relinquetis, facie miseranda, inculta et insipida. Propter quod non est hodie ecclesiam ornare set spoliare, non est custodire set perdere, non defendere set exponere, non est instruere set prostituere, non est gregem pascere set mactare et deuorare, dicente Domino de illis : *qui deuorant plebem meam sicut escam* (Ps. 13, 4). » Panis igitur ecclesia militans est quasi quidam puteus ut est dictum. De puteo tantum eleuatur quis superius et non plus quam durat cathena cum qua eleuatur. Cathena autem tanto est longior quanto [206ra] in ea sunt plures anuli. Modo sic est quod primus anulus cathene, cum qua eleuamur ad celum de hoc puteo, est caritas qua fideles ecclesie uinculo dilectionis uniuntur. Cum isto autem anulo caritatis quidam habent anulum innocentie, sicut paruuli baptizati qui ante usum rationis decedunt. Quidam habent anulum penitentie cum ipsa caritate, sicut illi qui peccauerunt et postea penituerunt, et isti ceteris paribus non ita alte eleuantur. Alii sunt qui cum caritate habent multos anulos, quidam habent anulum uirginitatis, quidam anulum perfectionis doctorum, quidam anulum martirum, et isti ceteris paribus altius eleuantur. Nunc est ita quod beata

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> multi] multos P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Clericus L (Bernardus super Cant. sermo LXXVIII) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones super Cantica Canticorum*, 77, 1 (SBO, II, p. 262).

Katerina que cathenula interpretatur, sicut dicitur in legenda<sup>1</sup>: dictam uiam et modum per quem omnis sanctus est ad celum eleuatus, in se ipsa habuit et habuit enim anulum caritatis et amicitie, cui adiunctus est anulus austeritatis et penitentie; habuit etiam cum hoc aureolam munditie uirginalis, aureolam doctrine magistralis et finaliter aureolam uictorie triumphalis. Fuit enim Virgo ista doctrix et martir, et ideo quia habuit cathenam longissimam in se tot perfectionis anulos continentem, idcirco ad celum non solum inferius ut tres sancti set superius cum doctoribus mediantibus predictis anulis meruit eleuari, non solum quoad animam de qua non est dubium, set etiam quoad corpus [206rb] quod angelicis manibus in uertice montis Synay eleuatum est et sepultum, secundum quod sonat uerbum quod superius est assumptum: *eleuauerunt*. In quo uerbo a tribus comendatur: primo namque comendatur a dignitate naturam humane putredinis exaltante, *eleuauerunt*. Secundo a qualitate mensuram sue pulcritudinis demonstrante, *archam*. Tertio a claritate facturam sue ymaginis decorante, *in sublime*. In primo apparet exercitium perfectionis probate, *eleuauerunt*. In secundo iudicium plenitudinis celate, *archam*. Set in tertio fastigium fruitionis colate, *in sublime*.

Dico primo quod beata Katerina fuit exaltata contra conditionis sue naturam in quo apparet immensa dignitas. Scitis quod natura grauibus indidit quod se numquam possunt superius eleuari, ymmo res grauis rei leui copuletur, ita quod super rem leuem dominium habet, faciet eam descendere sicut patet in omnibus. Deducendo spiritualiter natura humana de se grauis est et ponderosa et impotens quantum est de se ad hoc ut superius eleuetur et hoc propter corporis pondus animam deprimentis. *Corpus cum quod corrumpitur aggrauat animam*, Sap. 9 (15), cum enim corpus nostrum nihil aliud sit quam putredo et uermis, Job (17, 14): *putredini dixi* etc. et Gen. 30 (3, 19): *puluis es et in puluerem reuerteris*, secundum suam naturam non potest per seipsum superius eleuari nisi prius deposita grauitate. Spiritualiter naturalis locus [206va] anime nostre est esse superius per contemplationem celestium et amorem diuinorum. In signum Greci hominem appellauerunt antropum, eo quod sursum spectet eleuatus ab humo ad contemplationem sui artificis, secundum quod dicit Ysidorus<sup>2</sup>, libro XI I capitulo: «Unde et inducit ibidem Ouidium dicentem: pronam spectant animalia cetera terram, os hominis sublime dedit celumque uidere iussit, et erectos ad sydera tollere uultus.» Et ideo quanto anima nostra est eleuata superius uersus celum, tanto redditur nobilior et fortior ad opera uirtuosa, propter quod dicit Ysa. 91 (51, 6): *leuate in celum oculos nostros*, in celum scilicet et affectum qui sunt oculi anime. Set hodie plures terram respiciunt quam celum. Dicit enim Ysidorus<sup>3</sup>, libro XI 4 capitulo de portentis, quod in Ethiopia sunt quidam homines qui archa uocantur qui incuruati uelut pecudes continue terram respiciunt nec ualent ad celum oculos eleuare. Isti sunt spiritualiter illi qui *oculos suos statuerunt declinare in terram* (Ps. 11, 16), quorum tota cogitatio intenta est ad malum omni tempore, semper de congregatione terrenorum cogitantes et numquam de

<sup>1</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Catherina, p. 1204.

<sup>2</sup> Ysidorus Hispalensis, *Etymologiarum siue Originum libri XX*, XI, 1, 5 (W.M. Lindsay, Oxford, 1911, p. 1).

<sup>3</sup> Exemplum 25.

spiritualibus. Figuram talium habemus Luc. 13 (11) de illa muliere que erat *inclinata annis 19 nec poterat sursum respicere*, quem locum exponens beatus Gregorius<sup>1</sup> dicit ita : « Omnis peccator terrena cogitans, celestia non requirens, sursum respicere non ualet, quia dum inferiora [206vb] desideria sequitur, a mentis sue rectitudinis incuruatur, et hoc semper uidet quia sine intermissione cogitat. » Set unde est illa differentia quod aliqui terram respiciunt, aliqui celum ? Rationem reddit Anselmus<sup>2</sup>, libro de Animalibus, dicens quod habundantia caloris staturam eorum in quibus est eleuat uersus celum. Unde defficientes in naturali calore incuruantur uersus terram sicut senes et paruuli. Spiritualiter per calorem in Scriptura intelligitur feruor dilectionis et caritatis. Ps. (54, 5) : *concaluit cor meum in me*. Illi ergo qui multum habent de illo calore superius eleuantur ad Deum, quia scriptis terrenis sola spiritualia querunt, set illi qui in illo calore deficiunt contra statum et naturam sue conditionis, terrena semper meditantur. Quantum autem de illo calore beata Katerina habuit ostenditur in legenda, ubi dicitur<sup>3</sup> quod cum deberet decollari, erectis in celum oculis Dominum deprecabatur, unde de ipsa potest dici illud Ps. (148, 14) : *confessio eius super celum et terram*. Ipsa enim nomen Christi confessa est super terram quamdiu fuit in hoc mundo, et modo confitetur super celum propter quod *celum ipsam benedicit*, 2 Hes. 4 (III Esdr. 4, 36).

Tertio in auctoritate tangitur quod ipsa fruitur iocunditate illustrata claritate celestis palatii quia ecce illi gloria Dei Israel tribulationi et aduersitate tolerare in hoc mundo pro Christo debetur eterna gloria pro mercede. [207ra] Ita dicit Apostolus 2 Cor. 4 (17) illud : *quod in presenti momentaneum est et leue tribulationis nostra supra modum in sublimitate eternum glorie pondus*, propter quod dicit beatus Jeronimus<sup>4</sup> in quadam epistula quod nullus labor durus, nullum tempus longum uideri debet quo gloria eternitatem requiritur. Et quia beata Katerina prius pro Christo laborem in presenti sustinuit, ideo gloriam promeruit eternitatis ut dicatur de ipsa quid scribitur Ysa. 39 (35, 2) : *gloria Libani data est ei*. Ecce aureola uirginum, *decor carmeli*. Ecce aureola martirium, *et Sero*. Ecce aureola et gloria doctorum. Ad quam nos perducatur meritis ipsius ille qui est in secula benedictus. Amen.

<sup>1</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 31, 6 (PL 76, 1230C).

<sup>2</sup> *Non inueni*.

<sup>3</sup> Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, s. Catherina, p. 1211.

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Labor F (Hieronymus in epistula) et Gloria eterna Z.

## SERMON 92

Saint Dominique.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 207ra-va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 42ra-rb.

F. 207ra : *Dabo illi stellam matutinam*, Apo. II (28).

Sicut rosa inter flores qui plus habet de pulcritudine datur gratiosiori in mundo, sic stella matutina que inter stellas plus de splendore habet<sup>1</sup>, debet dari illi qui gratiosior est in celo, secundum Apostolum, I ad Cor. VI (15, 41) : *stella a stella differt in claritate*, id est sanctus a sancto in gratia et gloria. Ideo Christus qui plus quam ceteri<sup>2</sup> habet de plenitudine (Hebr. 1, 3) : *cum sit splendor glorie et figure substantie eius*, id est comparatur stelle matutine. Ideo debuit illi dari de qua Jeronimus<sup>3</sup> : « Ceteris per partes gratia prestatur diffusa est in Maria ut totam infudit se plenitudo gratie. » Stella ista prophetata fuit oriri ex Jacob quia ubi est subplantatio uitiorum, ibi oritur ista stella [207rb]. In hac numquam fuit dominium uitii, ymmo conteruit actorem uitiorum. *Ipsa enim conterit caput tuum* (Gen. 3, 15). Vide quod ei promittit gratis dare xenium<sup>4</sup>, *dabo illi*. Sydus quod lumen emittit, dirigens contra deuium, *stellam*. Et hanc diei premitit tanquam nuntium preuium, *matutinam*.

Circa primum nota quod simul cum illa stella descendit ros proficuus, sic cum luce istius stelle ros Spiritus Sancti. Alie etiam stelle iuxta istam non sic apparent. Ideo Joel II (10-11) : *stelle retraxerunt splendorem suum et dedit Dominus uocem meam*, quia nuntiante angelo *uerbum caro factum* (Jo. 1, 14) et in respectu eius modica erat sanctitas aliorum. Sequitur (Joel 2, 23) : *letamini et exultate in Domino Deo uestro* quia eam tristitiam, scilicet tenebra, euanuit torrente hac stella. Sequitur (Joel 2, 23) : *quia dedit uobis doctorem iustitie*. Ecce choruscatum huius stelle. Sequitur : *et descendere faciet super nos ymbrem matutinam*.

Circa secundum nota quod qui uult dirigi per stellam debet se eius directioni subicere. Ideo primus angelus errauit quia uoluit subici. *Supra astra inquit celi exaltabo* etc. (Is. 14, 13). Set boni in suis misteriis ab ea diriguntur que est *quasi stella matutina in medio nebule* etc. (Eccli. 50, 6). Ecce peccatoribus quasi nebulosus, penitentibus quasi luna plena, quia eos illuminat expellendo defectus set bonis quasi sol refulgens.

Circa tertium nota quod in illa parte unde sol oriri debet, apparet ista stella. Sic de Maria. Nec mirum si fuit quasi stella in Conceptione et quasi sol in Natiuitate, [207va] quia in se habet perfectiones omnium rerum. Nota quomodo ros proficuus cum ista stella descendit. Apoc. ult. (22, 16) : *ego sum radix et genus Dauid stella splendida et matutina*.

<sup>1</sup> plus – habet] plus habet de splendore B.

<sup>2</sup> quam ceteri] ceteris P, B.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Maria R (Hieronymus).

<sup>4</sup> xenium] exennium P.



**SERMON 93**

Apôtres.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 207va-210ra.

Plan :

Thème – Le Christ est comparé à un aigle qui, du haut du ciel, vient en aide à ses petits. Les apôtres ont suivi l'exemple du Christ.

I – Les biens de ce monde sont corrompus.

II – Ils causent l'affliction et la mort.

F. 207va : *Relictis omnibus secuti sunt eum* (Luc. 5, 11).

[Thème] Unumquodque trahit naturaliter dont bien luy put venir. Ratio est secundum Philosophum<sup>1</sup> : omnia bonum appetunt aut bonum honorabile aut utile aut delectabile. *Quo unumquodque* etc. Figura in euangelio ubi legitur quod, quando Christus ibat per mundum predicando, multi sequebantur eum. Mt. (4, 25) : *secuti sunt eum turbe multe* aliqui qui propter bona que predicabat eis, alii quia pascebat eos et alii quia curabat eos. Mt. 19 (2) : *secute sunt turbe multe et curauit eos. Quo unumquodque* etc. Exemplum in natura : legitur quod aquila<sup>2</sup>, que est regina auium, est talis proprietatis quod in tantum est liberalis quod, quando cepit predam suam, non comedit sola set aliis sequentibus eam distribuit, et propter hoc alie aues sequuntur eam quia sperant aliquid habere. Filius Dei per aquilam intelligitur, primo sicut aquila ceteris auibus clarius uidet. Sic filius Dei, nam homo uidet que patent etc., alia non. Quia aquila quantumcumque sit in alto, cum uidet necessitatem pullorum inferius statim descendit et subuenit eis. Ita filius Dei, quantumcumque esset in alto quia in sinu Patris uel ad dexteram [fuit], tamen propter necessitatem quam sciebat nos habere, uoluit ad terram descendere et [207vb] carnem sumere et mortem subire et ita nos de manu dyaboli liberare. Ergo per aquilam filius Dei designatur *sicut aquila prouocans ad uolandum* etc. (Deut. 32, 11). Modo dico quod ista aquila ad hoc descendit ut predam suam, regnum scilicet paradysi, caperet, non solum pro se set pro illis qui eum sequerentur, et ideo isti apostoli qui per inspirationem Sancti Spiritus sentiebant et sciebant quod si ipsum sequerentur, haberent participationem prede sue, ideo *relictis omnibus* etc., uel sic sequerentur. Ergo si uolumus habere participationem prede sue, oportet quod ipsum sequamur. *Sequemini uestigia eius* (I Pe. 2, 21). Nota : qui uult alium bene sequi, oportet quod uadat per uiam quam incedit. Modo dico quod Christus transiuit in mundo duobus<sup>3</sup> uiis. Prima fuit puritatis et innocentie, nam ipse est *qui peccatum non fecit* (I Pe. 2, 22) ; secunda<sup>4</sup> austeritatis et penitentie, ergo *relictis omnibus* etc. Duo tanguntur, primo dispositio congrua ad faciliter sequendum, *relictis omnibus*, operatio strenua ad

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> Exemplum 26.

<sup>3</sup> duobus] tribus P.

<sup>4</sup> secunda] secundo P.

faciliter assequendum, *secuti* etc. Nota : qui habet transire passum multum strictum, oportet deponere illud quod portat. Exemplum de porta que est in Jerusalem. Nota ubi dicitur (Mt. 19, 24) : *facilius est camelum per foramen* etc. Modo dico quod passus quem habemus transire, est multum strictus scilicet mortis, in tantum quod nec corpus cum anima etc., ergo formali ratione cum bonis temporalibus. Ps. (Job 27, 19) : *diues cum dor[208ra]mierit* etc. Ergo fatui sunt qui se talibus onerant nam cum talibus transire non possunt. Set nota quod quidam similes sunt hericio<sup>1</sup> qui se pomis in aculeis onerat et tunc uadit ad cauernam cantando, set quando uenit, non potest intrare et totum deponit quia nimis est stricta. Ergo qui uult secure transire oportet dimittere omnem malam affectionem ad mundana. *Si uis perfectus esse* etc. (Mt. 19, 21), id est ad perfectum statum paradysi, oportet huiusmodi dimittere et ad hoc assentit ratio, nam consuetudo est in religionibus et hoc rationabile quod qui comedunt in prima mensa non comedunt in secunda, nunc econtrario. Sic qui comedunt in presenti et habent quicquid uolunt, diuitias, honores et huiusmodi, nihil habebunt in celo. Figura Num. 33 (34, 15) nam ibi habetur quod filii Israel qui *acceperunt partem suam* citra flumina Jordanis non acceperunt ultra et econtrario. Sic illi qui circa flumen mortis acceperunt partem suam, nihil habebunt in celo et hoc satis iustum nam secundum Jeronimum<sup>2</sup> : « Difficile, ymmo impossibile est, ut presentibus et futuris quis fruatur bonis, et hic uentrem, illic mentem impleatur, et sic in celo et in terra gloriosus appareat. » Set illi qui non accipiunt partem suam, qui non curant de diuitiis etc., illi habebunt partem in celo. *Beati qui nunc esuritis quia saturabimini* (Luc. 6, 21). Talibus dicet (Mt. 11, 21) : *uenite qui laborati estis* etc. Isti non habuerunt partem suam hic, nam si loquamur de Petro, ipse dicit in libro Clemen[208rb]tis<sup>3</sup> : « Panis, inquit, solus mihi cum oliuis et raro cum oleribus in usu est. » Et Paulus dicit prima Cor. (4, 11) : *usque in hanc horam et esurimus et sitimus et nudi sumus tibi uergis* etc. Et finaliter mortem pro Christo sustinuerunt, Petrus crucifixus, Paulus decollatus, et loco sanguinis lac fluxit. Ideo de eis potest dici illud Judit. (15, 2) : *relictis omnibus euadere* conabantur et bene omnibus, quia non tantum bonis fortune set etiam nature. Ideo quia hic non habuerunt partem suam, nunc habent in celo et hodie percipere meruerunt, nam sicut legimus, statim quod fuerunt martirizati, statim uisi sunt introire ciuitatem romanam, induti preclaris uestibus, habentes coronas fulgentes in capitibus, et hoc erat signum quod statim quod fuerunt martirizati, habuerunt partem in celo. Paulus ianuis clausis uenit ad Cesarem et dixit sibi<sup>4</sup> : « Cesar, ecce Paulus, Regni eterni et inuicti<sup>5</sup> miles, uel nunc crede quod non sum mortuus set uiuus et hoc est bene signum etc. » Unde quilibet potest dicere illud Ps. (72, 26) : *pars mea Deus in eternum*, et si quilibet bene pensaret ualorem huius partis, faciliter contempneret ea que in mundo sunt. Unde Paulus, postquam uidit archana Dei paradysi, omnia arbitratus est ut stercora et quia pauci ualorem huius partis uident, ideo pauci querunt eam et

<sup>1</sup> Exemplum 27.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Prosperitas G (Hieronymus in epistola quadam) ; Hieronymus, *Epistulae*, 118, 6 (I. Hilberg, CSEL 55, nouv. ed. 1996, p. 444).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Prosperitas G (Hieronymus in epistula quadam).

<sup>4</sup> Ordericus Vitalis, *Historia ecclesiastica*, prima pars, II, 8 (PL 188, 137D).

<sup>5</sup> inuicti] nuntii P.



cuilibet tali loquitur Salomon, Ecc. XI (20) : *nescis quod tempus pretereat* et mors appropinquat, et sic sit omnia et [208va] moriatur. Ubi nobis innuit duas malas condiciones que sunt in modo habendi bona mundi. Prima est infantia que excedit oculos mentis, *nescit* etc. ; secunda afflictio<sup>1</sup> que inducit decorem mortis, *mors* etc.

[I] Dico quod bona mundi sunt plena corruptione, *nescit* etc., id est non cogitas quod tempus pretereat et tamen preterit. Recte hic uidentur dormire, nam illi qui dormiunt sunt istius conditionis et nature quod, cum excitantur, non recolunt de tempore quod fluxit dum dormirent. Modo dico quod illi qui habent diuitias, delicias, sunt quasi dormientes : *dormitauerunt qui ascenderunt equos* (Ps. 75, 7). Ratio est nam sicut illi qui dormiunt non utuntur ratione set sunt sicut bruta quia solum querunt illud quod est delectabile, non autem utile. Unde Eccles. (Eccle. 3, 18) : *dixi in corde meo de filiis hominum quid essent similes bestiis* etc. Alia ratio : nam sicut illi qui dormiunt uidetur eis dormiendo quod sicut magni, sicut episcopi etc., et tamen quando excitantur, nihil inueniunt, ita est de illis qui habent cor in mundo et qui habent bona mundi, uidetur eis quod sint magni, set quando excitantur post mortem nihil inueniunt. *Dormierunt sompnum suum* etc. (Ps. 75, 6). Et subito inuenient se totos nudos. Nota de episcopo<sup>2</sup> qui accusatus non respondebat, set subito exutus uestibus pretiosis clamauerunt qui iudicii assistebant. Ergo *dum tempus habemus* etc. (Gal. 6, 10). Igitur qui bona mundi habent, uidentur dormire quia fre[208vb]quenter, quando excitantur in morte, nihil inueniunt se habere et ideo dico quod sicut dormientes, quando excitantur, non recolunt de tempore quod fluxit etc., ita diuites non aduertunt quod tempus pretereat ; et hoc multum mirabile nam sicut quod ad motum rote, in qua cognoscitur si aqua fluat uel stat, quia secundum cursum aque mouetur rota et uertitur, unde qui uidet rotam quiescere, signum est quod aqua quiesceret, set si uideret rotam fortiter mouere, modicum sensum haberet nisi iudicaret quod aqua mouetur. Modo dico quod corpus nostrum est sicut rota quia sicut rota ad modicum impulsu uertitur, sic corpus nostrum ad modicam temptationem uertitur ad peccatum. Alia ratio nam sicut rota pars que est modo inferior statim est superior, ita inter nos qui modo est superior statim erit inferior. Vide ergo si corpus tuum mouetur, aliquando si semper est in eodem statu, nam si sic signum est tibi aliquale quod tempus non preteriit, set si bene consideres, inuenies quod numquam in eodem statu permanet set semper uoluitur : nunc est sanus, nunc infirmus etc. Unde Job (14, 2) : *bene natus* etc. *quasi flos egreditur* etc. Ideo corpus nostrum est quasi rota etc., totus mundus currens secundum motum rote fortune, certum est quod tempus nostrum continue preteriit, nam dicit Augustinus<sup>3</sup> quod « tempus presentis uite nihil aliud est quam quidam cursus ad mortem. » [209ra] Si ergo diuites et qui querunt honores etc. non aduertunt, hoc autem certum [est] quod bene sunt excecati. Unde facit eis dyabolus sicut fit sacriste de horologio. Unde possunt dici illud Ps. (143, 4) : *homo uanitati* etc. *dies eius sicut* etc. Et Salomon, Sap. 2 (5) : *umbre*

<sup>1</sup> afflictio] afflictiua P.

<sup>2</sup> Exemplum 28.

<sup>3</sup> Augustinus Hipponensis, *De Ciuitate Dei*, XIII, 10 (B. Dombart, SL 48, 1955, p. 392).

*transitus tempus nostrum*. Et notabiliter comparat tempus nostrum temporali umbra, nam sicut umbra respondet corpori cuius est in magnitudine, ymmo frequenter est quod<sup>1</sup> corpus parue quantitatis habet magnam umbram, et hoc est quando sol distat ab eo, quod est corpus maioris quantitatis, ita etiam non solum frequenter, ymmo ut semper illi qui sunt minoris uirtutis et ualoris, sunt qui plus habent de bonis huius mundi. Ps. (72, 12) : *ecce ipsi peccatores* etc. De hoc quasi admirando format quasi unam questionem dicens : quare uia impiorum prosperatur ? Bene est eis qui male agunt. Set ad hoc faciliter respondetur : nullum bonum remanet irremuneratum, nullum malum impunitum. Modo dico quod uix est ita bonus qui non faciat aliquod peccatum. Unde Paulus (I Jo. 1, 8) : *si dixerimus quoniam peccatum* etc. Ideo Salomon septies in die cadet iustus, ideo quia Deus non uult punire, ideo punit eos in presenti et quanto plus diligit eos, tanto plus punit et tribulat, unde Paulus in persona Christi : *quod amo* etc. Nam secundum Gregorium<sup>2</sup> : « Quod lima ferro, flagellum grano, hoc tribulatio uiro iusto. » Modo si loquimur de malis, uix est ita malus quin faciat aliquod [209rb] bonum. Modo malum quod facit est magnum [ita] quod pena temporali puniri non potest, quia tali debetur pena infinita, nullum autem temporale est infinitum, set bonum quod faciunt est ita modicum quod faciliter potest remunerari in presenti, in futuro non remunerabuntur quia nihil coinquinatum intrabit in ea. Ergo restat quod in presenti, et sicut quanto plus Deus flagellat aliquem, tanto magis signum est quod plus ipsum diligit, et Deus plus nobis intendit ipsum remunerare in alio seculo. Ita quanto plus Deus remunerat in presenti, tanto signum est maius quod ipsum minus diligit et quod ipsum plus intendit punire in futuro. Nam secundum Gregorium<sup>3</sup> : « Si Deus uerberat quos ad salutem perpetuam uocat, qui in hoc mundo flagellari non meretur, in inferno torquebitur. » Nota de hospite beati Germani. Ergo temporalia bene comparantur umbra, quia non semper respondet corpori. Ideo dico quod sicut umbra etc. *Transit mundus et concupiscencia eius* (I Jo. 2, 17). Et per consequens debemus ipsum dimittere. *Qui uult esse amicus huius seculi inimicus Dei constituetur*, Jo. (Jac. 4, 4). Sic fecerunt isti, nam Petrus ad uocem Domini dicentis (Act. 12, 8) : *sequere me*, statim relictis omnibus etc. post resurrectionem etc. Statim quod precepit eum, posuit se super aquas omnia relinquens, Paulus etiam statim quod Deus dixit sibi (Act. 9, 4) : *Saule* etc. *Domine quid me uis facere*. Ideo quia hic non fuerunt premiati, modo in celo gloriosissime premiantur [209va] nam inter alios apostolos illi [sunt] qui forte plus possunt apud Deum. Nota de presbitero moriente.

[II] Secundo in auctoritate dico quod bona mundi sunt plena afflictione quia conferunt mortem non tantum temporalem. *Mors appropinquat* etc. Quando sagittarius diu sagittauit ad signum, ultima sagitta debet esse propinquior termino quia magis excitatus est. Christus est sagittarius, quia sicut sagittarius quando trahit, tenet in manu et lignum et cordam, ita Deus in sagittando nos tenet in manu lignum iustitie et cordam misericordie, et tunc sicut quanto plus extendit cordam, tanto fortius

<sup>1</sup> est quod] quod est P.

<sup>2</sup> Cf. Alanus de Insulis, *Summa de arte predicatoria*, 12 (PL 210, 136A).

<sup>3</sup> Defensor Locociagensis, *Liber scientillarum*, 49 (PL 88, 681B).

percutit, ita quanto plus extendit cordam misericordie, quanto scilicet plus parcit, tanto post ea fortius percutiet, quia tunc utetur ligno iustitie, non corda misericordie. Ergo Deus sagittarius, modo dico quod sagitte quas mittit nobis sunt infirmitates nostre etc. Set ultima est mors. Modo uerum est quod Deus diu sagittauit nos. Nunc enim Deus non miserit non tantum unam set multas sagittas, ergo certum est quod mors est propinqua, et hoc dicit Sapientia, Sap. XIII (Eccli. 14, 12) : *memor esto quoniam mors non tardabit*. Augustinus<sup>1</sup> : « Nihil sic a peccato reuocat sicut frequens mortis meditatio. » Ergo memor sis quantum ante te est mors. *Ante faciem eius ibit mors* (Habac. 3, 5). Nota autem : dicit quidam sapiens quod senes habent mortem ante se, quia quamdiu uiuere non possunt, ymmo continue mortem exspectant set |209vb| iuuenes habent mortem retro. Modo ictus qui a posteriori uenit est periculosior quam qui uenit ab ante. Ergo mors iuuenum est periculosior et plus deberet timeri quam senium. *Dispone domui tue* etc. (Is. 38, 1). Set aliqui sunt qui optime disponunt in corde suo de rebus suis, quando uident amicum suum mortuum, optime cogitant de morte et hoc multum utile, set multi sunt sicut porci qui uidentes alium<sup>2</sup> clamant omnes set eo mortuo redeunt ad pascum. Sic multi timent dum uident amicum mortuum, set quando est sublatu et tumulatus, redeunt ad precedentia peccata, et talis memoria mortis parum ualet, talem autem memoriam non habebant isti. Ideo propter desiderium eternorum reliquerunt<sup>3</sup> et mortem corporis pro Christo affectabant. Unde Paulus (Phil. 1, 23) : *cupio dissolui* etc. Habeamus ergo continue memoriam mortis et eam exspectemus. Sicut ceruus qui ante[quam] debet mori lacrimat<sup>4</sup>, sic nos lacrimare debemus in corde per contritionem et istos sanctos implorare per affectionem, nam illi sunt per quos faciliter possumus peruenire ad gaudium paradysi. Unde refert Gregorius<sup>5</sup> in *Dyalogis* quod quidam presbiter qui fuerat deuotus apostolis et maxime sanctitatis, dum deductus esset ad extrema uite, cum magna letitia clamare cepit : « Bene uenient domini mei etc. »

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Mors P (Augustinus libro exhortationum) ; cf. Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manicheos*, II, 18 (PL 34, 219).

<sup>2</sup> alium] malum P.

<sup>3</sup> reliquerunt] relinquerunt P.

<sup>4</sup> lacrimat] lacrimatur P.

<sup>5</sup> Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV*, IV, 12, 4 (A. de Vogüé, SChr 265, 1979, p. 50).

## SERMON 94

Apôtres.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 210ra-212rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 30rb-31rb.

Plan :

Prothème – Les vertus du conseil.

Thème – La communauté de ceux qui se sont rassemblés autour du Christ.

I – Le pouvoir suprême.

II – Ceux qui sont soumis à ce pouvoir.

III – La récompense offerte à la communauté.

F. 210ra : *Principes populorum congregati sunt cum Deo*, Ps. (46, 10).

[Prothème] Qui insultus accedit ad loquendum de arduis, periculo se exponit, ideo necesse habet consilium procurare. Ad hoc autem principes congregantur et prelati ut super arduis consilium habeatur, et quia hodie gloriosi principes terre congregati sunt cum Deo, ideo mentis passibus ad istud consilium eamus ut donum consilii ipse dat nobis a Deo per eorum suffragium quod dirigat in loquendo. Set quia uerba nostra pugnam habent contra uitia, ideo tale debet esse consilium per quod animemur, hoc autem consilium debet queri ab illis qui concordant cum sint magnanimes. Isti sunt *principes populorum* quorum consilio debet credi, dum bene concordant, et sunt unanimes *congregati cum Deo*.

Circa primum nota quod sicut<sup>1</sup> est de principatu terreno et de celesti quia terrenus terminatur, non sic celestis, nam post mortem, cum caritas numquam excidat, sunt magis animati ad impetrandum subditis quos aliquando habuerunt in cura, hinc est quod quodlibet genus suum prelatum inuocat sicut nos beatum Dominicum. Ergo nostros principes inuocemus quia prope Deum sunt. *Peruenerunt principes coniuncti psallentibus*, Ps. (67, 26).

Circa secundum nota quod propter hoc non est credendum consilium inimici quia contra Dominum, contra conscienciam [est]. *Non congregabo conuenticula eorum* (Ps. 15, 4). Ubi ergo standum in consilio iustorum in congregatione, set quia inter omnes personas mulier dilecta facilius extrahit consilium de corde uiri, beata Virgo super salutem et omnem pulcritudinem [210rb] dilecta est a Domino. Ideo rogabimus eam ut sedeat cum principibus propter illud consilium impetrandum.

*Principes populorum congregati sunt cum Deo*, Ps. Eodem ordine quo congregantur religiosi in domo discipline et correctionis, congregantur in domo letitie et refectionis. Justum enim est ut qui principales sunt in labore et tribulatione, sint etiam principales in recreatione. Christus stetit in loco correctionis in cruce ubi accepit disciplinam propter nos, ubi fuerunt crux et lancea. Unde qui crucifiguntur et gladio moriuntur, congregantur cum eo. Quis autem propius congregatus cum isto uiro

---

<sup>1</sup> sicut] cecus *P*, secus *B*.

quam suus uicarius, qui post eum in cruce pependit, et quis propior fuerit lateri quam ille qui gladio uitam finiuit? Ideo quia sic in disciplina fuerunt cum eo congregati, iustum fuit ut hodie congregarentur cum eo in domo refectionis, et sic per crucem alter alterum triumphans uice seruant laurenti president, quod bene ostendit Christus discipulis quando post Passionem, dum essent in unum congregati propter metum iudeorum: *stetit Ihesus* (Mt. 20, 32), et sequitur (II Reg. 12, 17): *quid comedit cum eis* in Luca. Spiritualiter<sup>1</sup> in nobis est<sup>2</sup> quasi quedam religio, sensus sunt nouicii<sup>3</sup> nondum plene instructi, interiores uires sunt magis domite et magis obediens ratione. Duo prelati, intellectus et affectus, qui<sup>4</sup> debent congregare ad capitulum et corrigere delicta, Paulus doctor est intellectus, hic gladio debet [210va] abscindere omne caput carnalis affectionis, Petrus qui interpretatur discalcians<sup>5</sup> est affectus discalcians pedes affectionum a cupiditatibus terrenis. Isti duo sic se habentes congregantur cum Deo, quia hiis duobus tantum Deum capere possumus. *Et sic ubi sunt duo uel tres congregati in nomine meo ubi sum in medio eorum* (Mt. 18, 20). *Principes populorum* etc. Tanguntur tria<sup>6</sup>: fastigium<sup>7</sup> potentatus, *principes*, collegium famulatus, *populorum*, priuilegium uel solatium communitatis, *congregati cum Deo*. Haute seynurie<sup>8</sup>, seruabile meynie et noble compagnie<sup>9</sup>.

Circa primum nota quod iustum est quod homo probetur in principatu minori antequam assumatur ad maiorem. Ideo Deus [debet] cuilibet unum paruam principatum, scilicet se ipsum, ubi sunt serui, scilicet sensus, duces sunt desideria, affectus princeps regens<sup>10</sup> secundum rectam rationem est intellectus. Igitur caueant principes et duces ne subiciant seruituti set custodiant suam libertatem, alioquin amittent principatum illius ciuitatis superne que libera est nec recipit nisi liberos, quod optime fecerunt principes illi, carnem in seruitutem redigentes et libertatem spiritus seruantes. Unde Petrus carnem subiecit supplicio crucis, Paulus etiam in tantum sicut princeps contra stimulum carnis sic pugnauit quod carnem triumphauit et uirginitatem seruauit. [210vb] Sciebant isti quod *angeli qui non seruauerunt suum principatum set relinquerunt suum domicilium*, reseruantur iudicio magni Dei, sicut dicitur in capitulo Jude (6). Facile est custodire hoc, quia intellectus recreatur<sup>11</sup> circa omne uerum et affectus circa omne bonum, nec oportet quod descendant ad obediendum carni quia ergo isti bene se habuerunt, nam Petrus carnem subiecit<sup>12</sup> supplicio, Paulus contra stimulum sicut bonus princeps pugnauit et hostem domesticum uicit uirginitatem seruans. Ideo Deus iudicauit eos esse dignos maiori principatu. Ecc. XLVIII (Eccli. 46, 16): *renouauit imperium*. Hoc erat necesse. Petrus

<sup>1</sup> spiritualiter *om. B.*

<sup>2</sup> est *om. B.*

<sup>3</sup> nouicii] nuntii *B.*

<sup>4</sup> qui] que *P.*

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 155.

<sup>6</sup> principes – tria *om. B.*

<sup>7</sup> fastigium] fastidium *P, B.*

<sup>8</sup> seynurie] seynorie *B.*

<sup>9</sup> compagnie] compaygnie *B.*

<sup>10</sup> princeps regens] principes reges *P.*

<sup>11</sup> recreatur] recreari *P, B.*

<sup>12</sup> carnem subiecit] subiecit carnem *B.*

non faciebat nisi imperare et temperabat penas pro transgressione, ne ad perfectum ducebat pro sui obseruatione. Ideo nouam dedit quia sicut Paulus (Rom. 13, 8) dicit per unicum preceptum impletum : *qui diligit proximum legem impleuit*. Remissio pro transgressionibus indulgetur, quam sic solet fieri nouo imperatori : Christus concessit priuilegio Petro petenti (Mt. 18, 21) : *quotiens peccabit in me frater meus et dimittam ei* etc. Ymmo imperium Petri pertingit usque ad portam celi, iuxta illud (Mt. 16, 19) : *tibi dabo clauas regni celorum* etc. quod est ei concessum a Christo, cui *factus est principatus super humerum eius* (Is. 9, 6). In Prou. IX (8, 15-16) : *per me reges regnant, per me principes imperant*. Set quia decet quod principes in<sup>21</sup> Ira|ungantur, ideo sequitur (Eccli. 46, 16) : *et unxit principes in gente sua*, ut suauiter adherent, non uiolenter, quia generosus est animus hominis, facilius ducitur quam trahatur. Unde processit hec unctio a capite (Ps. 132, 2) : *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron*. Sunt enim ualde propinqui capiti Christo. Ideo non est mirum si unguentum distillauit ad eos. Per barbam congrue designatur que humilitatem<sup>1</sup> signat et isti sunt uiri uiuentium. Hausit Petrus hoc unguentum, uidetur quando dixit (Mt. 16, 16) : *tu es Christus filii Dei uiui*. Christus enim interpretatur unctus<sup>2</sup>, in fonte unctionis hausit et certe *caro et sanguis non reuelauit* (Mt. 16, 17) ei set unctio Sancti Spiritus que est specialis unctio de hac (I) Jo. capitulo (2, 27) : *unctio<sup>3</sup> docebit uos de omnibus*. Hac unctus est et Paulus qui de tot et tantis fuit eruditus. Unde in Ps. (104, 21) : *constituit eum dominum domus sue pater scilicet filium et principem omnis possessionis sue*, ut erudiret principes eius. Iste principatus totus unctus est, non putrefactus per mortem, unde Petro dictum est (Jo. 18, 11) : *mitte gladium in uagena*. Sub lege istorum principum nos uiuimus, quia legem illius habemus qui cepit uiuere secundum regulam sub sanctis apostolis constitutam secundum quam iudicabimur, unde sequitur (Eccli. 46, 17) : *iudicabit in lege Domini congregationem*. Magna securitas est ligari ista lege, nam et oues que simul sunt ligate aut simul pereunt aut simul saluantur. Nos sumus ligati uinculo regule cum apostolis qui iam sunt saluati, igitur seruemus [211rb] istam congregationem ut ad illam ueniamus, ut de Deo possit dici (Mt. 2, 4) : *congregans omnes principes sacerdotes, scilicet apostolos, et scribas populi, scilicet doctores et predicatorum*. In Exodo habetur quoniam populus qui legem accepit congregabatur ad colligendum manna, et tamen secundum mensuram gomer habebat quilibet et non plus. Sic uiri Domini uidentes secundum obseruantiam regularem habebunt dulcedinem celestem.

[II] Circa secundum nota quod una persona non facit congregationem populi set plures, nec plures, si sint diuerse set quando sunt unite. Hec unio debet fieri per caritatem que facit implere legem sub qua uiuit populus. *Plenitudo legis est dilectio*, dicit Paulus ad Ro. (13, 10). Isti tantum in uita sua dilexerunt quod in morte non sunt separati, ymmo congregati. Je. (12, 13) : *congrega eos quasi gregem ad uictimam et sanctifica eos in die occisionis* et quia principes spirituales intendunt illos qui

<sup>1</sup> humilitatem] signat *add. B.*

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 142.

<sup>3</sup> unctio] utrum *P, B.*

sunt de suo principatu ducere ad suam similitudinem, sicut patet de angelis de ordine principatum qui intendunt nos perducere ad suum statum. Alioquin quando plures essent congregati, nisi essent honesti, congregatio turpior esset. Ad istum statum eleuamur modo in spe, tandem Deo iuuante in re. Ps. (61, 9) : *sperate in eo omnis congregatio populi*. Aliquando unus magnus dat uni congregationi quod non daret persone uni, sic Deus, si fuerimus bene uniti, dabit nobis donum suum, quoniam *Dominus spes populi sui*, Osee (Joel 3, 16). Sequitur (Ps. 61, 9) : *effundite coram illo corda* |211va| *uestra* quia delicata est diuina consolatio. Non enim admittentibus alienam ideo consolationem mundi, que est amaritudo respectu consolationis Dei, oportet effundere ut Deus suam consolationem infundat, alioquin non sentiretur diuina sicut aqua dulcis cadens in mare salsa efficitur et gutta mellis in dolio fellis amaricatur. *Effundam super nos aquam mundam*, Eze. XXXVI (25). Et sequitur (Eze. 36, 26) : *et dabo uobis cor nouum*. Et post sequitur (Eze. 36, 28) : *et eritis mihi in populum et ego ero uobis in Deum*. Sequitur : quomodo effundatur quod erat in corde per picturam sicut effunditur fimus latens sub cute. Sic per picturam contritionis effunditur quod erat in corde. Sequitur (Ps. 61, 9) : *Deus adiutor noster in eternum*. Ad dominum capitalem recurrere debet populus in necessitate. Si autem populus Dei sumus seruando legem suam, ipse nobis subueniret *nam ipse qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (II Cor. 1, 4). Isti peregrini congregant quedam dulcia quibus caueant sibi a nimia siti. Sic dum sumus in hac uita, debemus querere diuinas consolationes ut te laudabilius fontem uite sitiamus. Hee quidem sunt prelibationes future beatitudinis. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, Ps. (143, 15). In Num. XX capitulo (8) habetur quomodo Dominus dixit Moysi : *uade congrega populum tuum et Aaron frater tuus coram petra et ipsa dabit nobis aquas Moyses assumptus ex aquis*. Petrus uocatur de mari, Aaron montanus<sup>1</sup>, Paulus usque ad |211vb| tertium celum raptus, hii congregant nos suis epistulis ad Petram. Christus qui dat nobis aquam sapientie, donec ad terram uiuentium ueniamus, possumus etiam de hac petra suggere mel.

[III] Circa tertium nota quod sicut concordia principiorum redundat ad omnia membra, faciens bonam complexionem et discordiam malam, sic enim est de concordia et discordia principum respectu totius principatus. Ideo uoluit Deus<sup>2</sup> principes ecclesie congregatos esse secum, ut omnes de suo principatu participarent istam concordiam in qua est sanctitas animarum. Set grossa non possunt bene congregari quia habent partes nimis distantes. Sic corda superba que sic congregantur quod quasi in puncto se tangunt quia quod aliis dicunt uel faciunt est eis punctura et econtrario. *Congregabo super eos mala*, Deut. XXXII (23). Humiles autem in tantum intime congregantur ideo quod non possunt tangi, quin Deus tangatur, *quod uni ex fratribus minimis fecisti mihi fecistis* (Mt. 25, 40). Ad hoc autem quod sit perfecta congregatio oportet quod uniat in omnibus. Ysa. ult. (66, 18) : *hec dicti Dominus Deus meus ego cogitationes eorum et opera eorum uenio ut congregem*, solent homines confluere et congregari ad uidendum aliquod spectaculum, secundum quod sunt dispositi uel ex

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 73.

<sup>2</sup> Deus] quod *add. P.*

cogitatione uel affectione uel operatione sicut lasciui ad coreas, ubi prouocantur ad ea ad que afficiuntur et de quibus [212ra] cogitant, et artifices mecanici [ad] exemplar sui operis ut dirigantur ad similiter operandum. Sic omnis cogitatio bona congregatur ad Deum. *Cogitatio illorum apud altissimum*, Sap. V (16), ubi ad melius excitatur. Similiter omnis operatio bona et omne quod opus est et optimum est ut perficietur. Cogitare enim de Christo est cogitare<sup>1</sup> de exemplari omnis boni, ut opus bonum cogitationem sequatur, et sic cor et manus Domini confiteantur. Ps. (106, 1-2) : *confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, dicant qui redempti sunt a Domino quos redemit de manibus inimici et de regibus congregauit eos*. Sequitur (Is. 66, 18) : *cum omnibus gentibus et linguis*. Ego uideo quod isti nobiles [cogitant] ad sui originis principium siue in nupciis, siue in morte uel in exaltatione, sic nos ad Christum, qui est principium nostre regenerationis, cogitando de incarnatione quod de nupciis, de Passione et morte, de Resurrectione et Assensione. Hec enim sunt que nostri principes docuerunt in congregationibus suis. Joel 2 (3, 11) : *erumpite et uenite omnes gentes de circuitu et congregamini*. Item ex linguis isti clerici, quando uolunt loqui lingua latina de aliqua meteria utili congregant se sicut in disputationibus et in collationibus, sic ad loquendum de Deo, quod loqui de eo utile est precipue, hoc est faciendum quia omnes lingue non sufficiunt enarrare. Signum autem est quod quis diligit Deum, si de eo libenter loquitur et audit loqui [212rb] Ysa. 9u (45, 20) : *congregamini uenite et accedite simul omnes qui saluati estis de gentibus et infra quia incuruabitur omne genum et iudicabit omnis lingua*. Sequitur (Is. 66, 18) : *ut uenient et uidebunt gloriam meam*. Quantumcumque affectiones sunt disperse circa ea que sunt ad finem, oportet tamen quod congregentur in fine ultimo qui non est nisi unus, hoc est in gloria, igitur *congrega nos de nationibus ut confiteamur nomini sancto tuo et gloriemur in laude tua* (Ps. 105, 47). Ad istam gloriam nos perducet.

---

<sup>1</sup> cogitare] cogitari P.



## SERMON 95

Apôtres.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 212rb-213ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 33rb-vb.

F. 212rb : *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum*, Mt. V (3).

Hec ecclesia inferior illam<sup>1</sup> que superior est, quantum est possibile, ymitatur. Ideo cum hic illi qui sunt magis a terrenis spoliati sunt [ad] adorandum et impetrandum magis ydonei, utpote affectum magis liberum habentes ad uacandum diuinis, et illi qui sunt in celis sunt totaliter talibus spoliati, manifestum est quod sunt ad orandum et maxime dispositi, et quia quanto plus sunt ab istis inferioribus spoliati, tanto celestibus diuitiores effectum, unde et propter paupertatem regnum sunt adepti, inde est quod de bonis suis nobis possunt largius communicare, propter quod tales distribuntur in hiis uerbis. Solent enim rogari illi qui sunt in fertilitate. Tales sunt beati. Quando enim alicui succedunt omnia ad uotum, dicitur quod est beatus, tales sunt sancti omnes quia quicquid uolunt habent, alioquin non essent sancti. Ideo si petunt pro nobis gratiam optinebunt ; ex [212va] quo omnia cedunt eis ad uotum et sic participabimus de bonis eorum. De quolibet eorum potest exponi illud Ps. (64, 5) : *beatus quem elegisti et assumpsisti inhabita* etc. *usque domus tue*. Ideo quando munera contempnunt et tota uoluntate sunt pauperes spiritu, possent enim pauperes carere si acciperent munera, cum pauperes munera non habeant, set nullus potest se excusare quia *omnis qui petit accipit* (Mt. 7, 8), hoc est munus a lingua quod pauperes habere possunt. Propter quod per istos pauperes tamquam distributores datur gratia ab illo qui *dispersit dedit pauperibus* (Ps. 111, 9), tertio rogantur hii qui sunt in dignitate, set ecce *ipsorum est regnum celorum* (Mt. 5, 3). Nobiles ad misericordiam facilius inclinantur, illi autem de regno illo nobiliores sunt ceteris qui ad misericordiam prouiores. *Talium enim est regnum celorum*, Mt. (19, 14). Ymmo propter misericordiam assequatur homo regnum illud. *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula*, I Macha. (2, 57). Et quia super omnes regina est misericors, ideo ipsam rogabimus.

*Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum*, Mt. V. Secundum ecclesie inferioris statuta, nullus potest simul possidere plura beneficia cum cura set uel plura sine cura uel saltem unum<sup>2</sup> cum cura et aliud<sup>3</sup> sine cura. Ita est apud Deum nam impossibile est secundum legem diuinam quod simul homo habeat mundum istum et regnum celorum. *Regnum meum non est de hoc mundo*, Jo. [212vb] XIX (18, 36). Mundus iste exigit curam totius hominis et regnum celorum similiter totius cordis curam requirit. Ibi enim potest habere quicquid desiderat. Ideo cum omnia que appetit ibi sint unum, oportet quod se totum tondat in illud unum, quod patet in omnibus sanctis. Discurras per

<sup>1</sup> illam] illa B.

<sup>2</sup> unum] una exp. P.

<sup>3</sup> aliud] aliquid P.

omnes, non inuenies aliquem qui saltem affectu non contempserit mundum istum. Potest ergo homo habere in uita ista beneficium regni celorum in spe, tandem cum istis sanctis in re, si contempnat temporalia, sicut dominus promisit adolescenti in Mt. (19, 27) et Petro dicenti : *ecce nos reliquimus omnia*, set ibi debet ponere curam, curam habere etiam preter mundum, dum tamen curam cordis non ponat in eo quia *facilius est camelum per foramen acus transire* etc. (Mt. 19, 24). Ibi enim debet homo magis residere ubi plus recipit, sic affectus hominis in celo. Unde habet omnia bona que isti sancti fecerunt. Ideo spiritu pauperes quo ad bona mundi diuites facti sunt in regno Dei ubi conuersabuntur cum beatis. Tanguntur quatuor : ibi est opulentus set status, *beati*, propter congregationem omnium bonorum mundus est subpeditatus quia *pauperes spiritu*, tales contempnunt mundum, excelsus est principatus, *regni celorum*, quod uel qui est eis mancipatus, *quoniam ipsorum est*. Eunque ount quant que lur<sup>1</sup> suffit il sount beneuré et ount tot ceo munde en despit il sount poures<sup>2</sup> de prosperité et de volenté haut estat et de grant [213ra] profit et si sount sanz tot countredit.

Circa primum nota quod unum bonum creatum cordi humano, quantum est in se, inuitat ad aliquid quasi diceret : « Non sufficio, uado ultra. » Hoc autem fecit Deus quia uult quod semper sumus secum sicut ipse est semper cum omnibus, set sicut de una re magna potest unus plus alio tenere, sic de Deo qui Deum clarius uidet habens plus de gratia et gloria plus de Deo habet.

---

<sup>1</sup> lur] lour *B.*

<sup>2</sup> Poures] poure *B.*

## SERMON 96

Omnibus sanctis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 213ra-rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 42ra-rb.

F. 213ra : *Fecisti nos Deo nostro regnum*, Apo. V (10).

Qui exaltat aliquem de statu humili ad statum sublimiorem, dicitur eum fecisse uel creasse. Illa fet. Nos autem qui terra non eramus digni iuxta illud (Gen. 6, 7) : *delebo*, inquit, *hominem quem feci a facie terre*, celorum transiuimus fines et ipsa sede regali decoramur, sicut dicit Crisostomus<sup>1</sup>. Ideo fecit nos Christus et sicut rex omnes de genere sponse sue particeps facit regie dignitatis, sic Christus introducens humanitatem omnes homines regni sui particeps fecit, quod fecit quando *captiuam duxit captiuitatem* etc. (Eph. 4, 8). Illi scilicet qui adhuc in mundo essent participes in spe, illi qui iam sunt in celo in re.

Tanguntur tria : efficiencie que sumus conditi, *fecisti nos* ; liberalis est ista factio quia nihil presupponit nec in creatione nec in recreatione, ubi peccatum quod nihil est presupponitur. Ideo magis diuina gratiarum actione homines autem semper presupponunt. Ps. (99, 3) : *scitote quoniam dominus ipse est Deus ipse fecit nos et non |213rb| ipsi nos*.

Secundo Dei magnificentia cui sumus subditi, *Deo nostro*, qui in peccatis sunt multos habent<sup>2</sup> dominos set qui iusti sunt unum Deum habent<sup>3</sup>, cui seruire regnare est. Ps. (94, 6-7) : *uenite adoremus et procidamus ante Deum ploremus ante Dominum qui fecit nos quia ipse est dominus Deus noster*. In festo isto omnes sancti dicunt : « Venite, iustum est ymaginem subici suo illuminatori », dixit Dominus : *faciamus hominem ad ymaginem* etc. Gen. I (26).

Tertio regni eminentia qua sumus prediti, *regnum*, non possumus esse reges nisi Deus prius regnet in nobis, sicut patet in statu innocentie, et ita quamdiu Deus regnauit super hominem subiectum sibi, tamdiu homo bene rexit seipsum, et omnia in eo fuerunt bene ordinata. *Primum querite regnum Dei* etc. (Mt. 6, 33).

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> *habent] subditos add. et exp. B.*

<sup>3</sup> *unum – habent] unum habent Dominum B.*

## SERMON 97

Sainte Lucie.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 213rb-vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 14ra-vb.

F. 213rb : *Sic luceat lux uestra coram hominibus* (Mt. 5, 16).

Dicit Seneca<sup>1</sup> quod longum iter est per uerbum. Iter autem uel uia iustitie comparatur luci. Prou. IIII (18) : *iustorum semita quasi lux splendens*. Ideo Christus, ut breuius ac facilius nos reducat uel inducat ad lucidum iter iustitie, docet nos non solum uerbo set exemplo, proponens nobis pro lucido exemplari uitam beate Lucie. *Sic luceat* etc. Ubi proponitur nobis beata Lucia, primo tamquam signaculum mirande similitudinis, *sic luceat*. Secundo tamquam spectaculum admirande pulcritudinis, *lux uestra*. Tertio tamquam preambulium deducende multitudinis, *coram hominibus*.

Primo tamquam signaculum etc. Ecc. I (Eccli. 50, 6-7) : *quasi luna* |213va| *plena* etc. *Sicut effulsit in templo Dei*. A nouilunio usque ad plenilunium continue in lumine crescit et proficit. Sol ab oriente usque ad meridiem continue ascendit. Sic beata Lucia continue de bone in melius proficit, exemplo igitur eius : sic *ambuletis* ut habetis magis, I Thess. IIII (12). *Sic facite ut sani sitis*, Ecc. 3 (Eccli. 3, 2). *Non sic impii, non sic* (Ps. 1, 4). Figurata fuit hec ymago Lucia per illam puellam de qua in IIII Reg. (5, 4) legitur : *et sic locuta est puella de terra Israel*. Exemplo igitur eius *sic loquimini et sic facite*, Ja. II (12).

Secundo proponitur nobis tamquam spectaculum admirande pulcritudinis, *lux*, Sap. VII (29, 30) : *est enim speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum luci comparata prior inuenitur quam illi succedit nos* etc. Set hec est candor lucis eterne et spectaculum sine macula. Figura ad hoc in Ex. (38, 8) : factum est lauatorium *de speculis mulierum*, id est de exemplis sanctarum uirginum, in quo lauabantur ingressuri templum. Expone.

Tertio proponitur tamquam preambulium deducende multitudinis, *coram hominibus*. Itinerantes de nocte deducuntur cum lucerna antecedente. Lucerna dirigens, incendens in nocte infidelitatis et culpe, fuit beata Lucia. *Vita erat lux hominum et lux in tenebris lucet* etc., Jo. (1, 4-5). *Ipsa erat lux uera que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum*, Jo. (1, 9). Figurata fuit per columpnam ignis lucidam que deducebat filios Israel incedentes de nocte ad |213vb| terram promissionis. Ad litteram cantamus<sup>2</sup> de ea : « Columpna es immobilis Lucia sponsa Christi. » Ex. XIII (22) : *numquam defuit columpna nubis per diem et columpna ignis per noctem coram populo*.

<sup>1</sup> Cf. Seneca, *Epistulae ad Lucilium*, 6, 5 (F. Préchac, Paris: Belles Lettres, 1964, p. 17).

<sup>2</sup> CAO, 3, 1855, S. Luciae.

## SERMON 98

Couronne du Christ.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 213vb-217ra.

Plan :

Thème – Comparaison entre l’homme et un peintre. Le Christ doit être un modèle pour l’homme.

I – L’homme a infligé des blessures au Christ.

- a. Il a accepté les blessures.
- b. Son sang a été répandu.

Division 2 (Tren. 1, 12) : l’homme doit garder les yeux fixés sur la plaie du Christ.

- a. Tous les hommes sont pécheurs.
- b. Le temps imparti est bref.
- c. La charité.
- d. La gravité de la blessure.

II – La clémence du Christ.

III – Il a porté les péchés des hommes.

F. 213vb: *Videte filie Syon regem Salomonem in dyademate*, Can. 3° (11).

[Thème] Hec est differentia inter pictorem in arte et discipulum nondum perfectum, quia licet pictor perfectus possit depingere aliquam ymaginem absque hoc quod respiciat ad exemplar, discipulis tamen indiget semper presentia exemplaris. Figura Ex. 26 ubi legitur quod cum fuisset dictum Moysi quod edificaret tabernaculum, quod erat opus nouum et insolitum, dictum est ei (Ex. 25, 40) : *inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est*. Et quando discipulus in arte pictoria<sup>1</sup>, nondum perfectus uult operari de proprio capite nec respicit ad exemplar, facit malos tractus et depingit ymagines in quibus sunt multe turpitudines et defectus. Figura Dan. 13 (9) ubi legitur de duobus senibus et quando uoluerunt peccare *euertunt sensum suum et declinauerunt oculos suos, ut non uiderent celum neque recordarentur iudiciorum iustorum*. Spiritualiter, quamdiu homo est in hac uita, est sicut pictor : debet enim totis uiribus laborare quod sicut creatus est ad ymaginem eius quantum ad gratuitam. Colo. 3 (10) : *induentes nouum hominem qui renouatur [214ra] in agnitionem Dei secundum ymaginem eius qui creauit eum*. Ratio autem quare assimilamur pictori quia pictor, quando uult protrahere ymaginem, diligenter considerat dispositionem fundamenti super quod oportet ymaginem depingere. Tale enim posset esse fundamentum quod omnes colores suppositi perderentur. Sic spiritualiter [ymago] uirtutibus est pingenda, debet esse ne in fundamento cordis aliqua mala conditio dimittatur, quia per unam conditionem malam uirtutes adnihilantur et perducuntur. Ja. 2

---

<sup>1</sup> pictoria] qui *add. P.*

(10) : *quicumque totam legem seruauerit offendat autem in uno factus est omnium reus*. Dicunt pictores quod debet ymago protrahi : esset de calce, consumeret omnes colores suppositos qui cum aqua essent distemperati. Spiritualiter calx significat auaritiam, quia sicut calx qui uidetur esse actu frigida per appositionem aque inflammatur, per aquam debet extinguere, sic auaritia qui per habundantiam rerum temporalium satiari debet, istis tamen multiplicatis augmentatur. Unde Augustinus<sup>1</sup> in epistula ad quemdam comitem : « Auarus uir inferno similis est quia infernus quantoscumque deuorauerit numquam dicit satis, sic et si omnes thesauri confluxerunt in auarum. » Modo sic est quod omnes uirtutes distemperari debent cum aqua deuotionis et caritatis qua<sup>2</sup> omnia consumuntur, quando in fundamento cordis aliquid auaritie permittitur remanere. Gregorius<sup>3</sup> 13 Mor. : « Peccatum auaritie si permittitur remanere mentem quam infecerit ita grauem reddit [214rb] ut ad appetenda sublimia attolli non possit. » Ideo dicitur Prou. XV (27) : *conturbat domum suam qui sectatur auaritiam*. Ubi enim latet auaritia, tota domus uirtutum non solum conturbatur set etiam subuertitur, quia uenenum caritatis est cupiditas, sicut dicit Augustinus<sup>4</sup>. Sumus igitur sicut pictores set non sicut perfecti in arte pictoria set sicut discipuli et sicut pingere addiscentes. Cuius ratio est : discipuli qui addiscunt pingere, non scribunt in re firma et stabili sicut est pergamenum uel paries, set scribunt in tabulis que possunt statim deleri. Set pictor perfectus scribit in re solida et durabili que non debet deleri. Spiritualiter beati qui iam in celo sunt, perfecti pictores sunt : quicquid in eis deputatum fuerit in perpetuum retinebunt. Je. 90 (50, 5) : *ad Deum federe sempiterno* quod nulla obliuione delebitur. Set nos sumus sicut discipuli qui illud quod pingimus, ponimus super rem uariabilem que numquam in eodem statu permanet. Hee sunt tabule cordis nostri, intellectus scilicet, memoria et uoluntas que sic sunt mutabiles quod in malum prona sunt ab adolescentia. O quam cogitatio sancta, affectio munda, diuinorum beneficiorum memoria et alia sancta proposita cito in nostris cordibus sunt deleta ! 4 Reg. 21 (13) : *delebo Jerusalem sicut deleri solent tabule delens uertam. Et ducam crebrius stilum super faciem eius*. Hoc potest dicere dyabolus de multis in quorum cordibus tamquam in Jerusalem, que interpretatur [214va] uisio pacis<sup>5</sup>, deberet Christus cum uirtutibus pacifice quiescere, quorum tabule cordis a dyabolo crebrius complanantur. Sic igitur patet ex iam dictis quod nos quamdiu sumus in hac uita, sumus sicut pictores addiscentes et imperfecti. I Cor. 13 (10) : *cum uenerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est*. Et propter hoc indigemus in operibus nostris presentia exemplaris, quo si caruerimus, multas turpes ymagines depingemus. Illud autem

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Auaritia C (Augustinus in epistula ad comitem) ; ps.-Augustinus, *Liber exhortationis, uulgo de salutaribus documentis*, 30 (PL 40, 1058) ; Basilius, *Admonitio ad Filium Spiritualem*, IX (F. Lehmann, München, 1955, p. 46).

<sup>2</sup> qua] que P.

<sup>3</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XIV, 53 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 736).

<sup>4</sup> Augustinus Hipponensis, *De diversis questionibus octoginta tribus*, XXXVI (A. Mutzenbecher, SL 44A, 1975, p. 54).

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 121.

exemplar est Saluator noster, pro nobis corona spinea coronatus, quem nobis Spiritus Sanctus in operibus nostris omnibus proponit exemplar dicens : *uidete filie Syon*. In quibus uerbis tria facit.

[I] Primo amplificat studium consciencie pignoris, *uidete filie Syon*. Nota : inter omnes artifices, ille qui sollicitus respicit ad opus suum est minor. Ex quo enim uenam alicuius aperuit, numquam diuertit oculum a uulnere quin continue ipsum respicit, quamdiu uulnus est apertum. Spiritualiter nos aperuimus uenas Christi, non solum lanceola sicut minor set grossis clauis et lancea corone spinee multiplici punctura. Sicut enim aliquis, si propter me perdidisset terram, diceret<sup>1</sup> quod ego ipsum exheredassem, sic quia Christus pro nobis habuit multas plagas, ueraciter dici potest quod nos plagauimus Christum. Zach. (13, 6) dicitur<sup>2</sup> ei : *quid sunt iste plage in medio manuum tuarum*, et dicitur hiis : *plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*. Tante [214vb] autem et tales fuerunt iste plage, etiam fouee in Scriptura nuncupentur. Ps. (21, 17) : *foderunt manus meas et pedes meos*. Hoc autem fuit necessaria. Cuius ratio est : duabus de causis fiunt fouee in aliqua uilla.

[a] Prima est quando lupi et leones et huiusmodi animalia rapacia habundant in terra que bona deuastant et cum canibus rapi non possunt, tunc fiunt fouee [in] quibus ponitur agnus, et ibi dum credunt agnum capere capiuntur. Spiritualiter in mundo habundabunt animalia ferocia demones qui totum mundum deuorabant et a nullo capi poterant nec etiam superari, ymmo econtrario totus mundus ab uno uincebatur et in infernum trahebatur. Propter quod Saluator noster permisit in corpore suo foueas fieri, in quibus poni uoluit sicut agnus. Ysa. 63 (53, 7) : *sicut ouis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum*. Et sic dyabolus ipsum deuorare cupiens fuit ab ipso superatus. *Jam princeps mundi huius eicitur foras* (Jo. 12, 31). Unde Gregorius<sup>3</sup> in Omeliis : « Dyabolus in uirgam crucis transglutens uermem humanitatis, transfixus est homo diuinitatis. »

[b] Secunda causa quare fiunt fouee in aliqua uilla est defectus aque. Quando uilla sita est in deserto et non habet fontem, oportet fodere puteum, alias habitantes in uilla siti perirent. Mundus non habebat aquam uiuam, ymmo aquam quam mundus bibebat de Mortuo Mari scaturiebat, propter quod fossus est puteus [215ra] in latere Christi, de quo exiuit sanguis et aqua de quo tota ecclesia recreatur. Nota quomodo aqua putei, que descendit de monte et spiritualiter de cacumine montis, est dulcior, melior quam illa que in ualle scaturit. Christus autem ad Ysa. 2 (2) : *mons erit inquit in nouissimis diebus preparatus mons Domini* etc. De isto monte quia de eius pedibus et manibus et de cacumine, quia de capite fluxit sanguis dulcissimus et suauissimus, de quo dicit Augustinus<sup>4</sup> in libro contra hereses : « Fusus est sanguis medici et factum est medicamentum frenetici. » De puteo etiam lateris sui fluxit sanguis et aqua que facta sunt nobis fons aque salientis in uitam eternam. Hic est puteus

<sup>1</sup> diceret] diceretur P.

<sup>2</sup> dicitur] diceretur exp. P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Crux I (Gregorius in homelia).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Passio C (Augustinus in libro contra quinque hereses) ; Quoduultdeus, *Aduersus quinque hereses*, VII, 30 (R. Braun, SL 60, 1976, p. 297).

quem appellauit Agar, ad dominam suam est reuersa. Agar interpretatur<sup>1</sup> suscitans festum uel aduena uel sollempnitas uigilie et significat hominem qui propter hoc quod uoluit suscitare festum esce scilicet *sicut dii eritis*, inquit serpens ad mulierem (Gen. 3, 5). Sicut dii Gen. 3 (23, 4) factus est peregrinus ad aduena paradysi. Ps. (38, 13) : *aduena ego sum apud te et peregrinus*. Ipse uoluit facere festum in paradyso propter quod hodie facit uigiliam et multiplici miserie subiectus. Modo sic est quod in benedicto isto puero qui fossus est in manibus, pedibus et latere Christi, Deus ipsum uidit oculo misericordie et propter hoc fecit ipsum ad dominam suam Ecclesiam scilicet triumphantem redire. Iste est beatissimus puteus uiuentis et uidentis, quia per ipsum [215rb] ducimur ad uitam eternam que consistit in uisione diuina. Sic igitur apparet quod nos aperuimus uenas Christi, quia propter nos uene eius, latus, caput, manus et pedes sunt aperti. Idcirco ab ipsis numquam debemus diuertere oculum mentis quin aspectus cordis nostri ad plagas Christi continue sit affixus, ad quod nos hortatur Tren. I d (12) : *o uos omnes qui transitis per uiam attendite et uidete si est dolor sicut dolor meus*. Et nota quod in hac auctoritate tanguntur quatuor quibus nos admonent ut a plagis Christi numquam mentis oculos diuertamus.

[a] Primum est communitas infecti generis, *o uos omnes*, hoc est rationabile ut omnes qui eodem modo laborant, querant idem remedium. Modo sic est quod omnes eundem morbum patimur. Cuius ratio est : dicit Ysidorus<sup>2</sup> quod quando lupus occidit ouem, morsus eius sic inficit lanam eius quod uestem ex ea factam reddit pediculosam, in tantum quod non a pediculis perfecte purgari potest. Lupus inferni dyabolus ouem, primos scilicet parentes, occidit et totam lanam eorum sic infecit quod nos omnes qui ab ipsis descendimus, tot habemus peccati originalis et aliorum peccatorum actualium pediculos, quod uix autem numquam possumus expurgari. Ideo dicit Ps. (13, 13) : *omnes declinauerunt simul inutiles facti sumus*. Et Ysa. 63 (53, 6) : *omnes nos quasi oues errauimus*. Modo sic est quod Christus, qui plagatus est, est medicus et medicina. Nota : est quidam [215va] uermis qui dicitur rubeta qui habet unum iecur quod datur ab antitoto contra toxicum uel uenenum. Christus uocat se uermem in Ps. (21, 7) : *ego autem sum uermis et non homo*. Jecur suum est eius Passio. Dicitur enim iecur eo quod ibi iaceat pir<sup>3</sup>, id est ignis. In Passione autem ista apparuit ignis nimie caritatis. Ro. V (8-9) : *commendat autem Deus suam caritatem in nobis cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus*. Modo sic est quod illud iecur est antitotum et medicina contra toxicum originalis peccati quo in primis parentibus fuerimus intoxicati et contra uenenum peccati actualis, quo cotidie per temptationes demonum ueneramur. Ab omnibus istis per Christi Passionem liberamur. I Pe. 2 (3, 18) : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniussis ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne uiuificatos autem spiritu*. Et propter hoc omnes ad ipsum tamquam ad remedium debemus currere et numquam ab eius plagis diuertere oculos

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 155.

<sup>2</sup> *Non inueni*.

<sup>3</sup> puros] pir P.



mentis nostre. Figura Luc. 4 (40) : *omnes qui habebant infirmos uariis langoribus ducebant illos ad eum at ille singulis manus imponens curabit eos.*

[b] Secundum est breuitas indulti temporis, *qui transitis per uiam*. Vita nostra non est nisi quidam transitus et ideo festinare debemus. Nota : inter omnes peregrinos, isti habent festinare qui inter se et locum ad quem tendunt [215vb] habent fluxum maris, sicut est in monte Sancti Michaelis<sup>1</sup> : dum enim est refluxus maris, libere transeunt. Si ergo fluxus maris eos occupauerit, subito submerguntur. Spiritualiter nos omnes quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Locus autem ad quem tendimus facere transitum est in celum. Modo inter nos et celum quamdiu durat iste refluxus, possumus ad celum libere, secure et absque submersione transire, et propter hoc concludit Apostolus (Gal. 6, 10) : *ergo dum tempus habemus operemur bonum*. Habemus etiam fluxum iustitie, propter quod si distulerimus penitere, timere debemus ne subito ueniat iste fluxus, qui cum Egyptiis nos submergat, de quibus dicitur Ex. 3 (15, 9) : *submersi sunt quasi plumbum in aquis uehementibus* etc. Filii autem Israel ambulauerunt. Idcirco Ecc. V (Eccli. 5, 8-9) : *ne tardes conuerti ad Dominum et ne differas te de die in diem, subito ueniet ira illius et in tempore uindictae disperdet te*. Breuitas ergo indulti temporis debet nos compellere ut semper oculos habeamus ad Christum, quia uita nostra non est nisi quidam transitus per uiam huius mundi Sap. 2 (3) : *transiet uita nostra tamquam uestigium nubis et sicut nebula dissoluetur*. Et Jac. 4 (14) : *que enim est uita nostra uapor est ad modicum parens*.

[c] Tertium est caritas offensi federis uel impensi. *Attendite et uidete*. Nota : longe plus tenetur horas audire et ad ipsas attendere canonicus [216ra] actu prebendam accipiens quam exspectans. Nos sumus sicut canonici qui iam recipimus prebendam celestem, Christum promissum in lege, redemptionem per ipsum factam, Spiritum Sanctum ab eo missum, nos ipsi primitias spiritus habentes antiqui fuerunt sicut canonici exspectantes. Ysa. 29 (28, 10) : *expecta modicum ibi*. Et Os. 3 (3) : *diebus multis exspectabis me*. Modo antiqui patres cum maximo desiderio et cordis attensione se habebant ad Christum. *Abraham pater noster exultauit ut uideret diem meum*, Jo. 9 (8, 56). Ergo longe plus nos debemus diligere et ad ipsum attendere. Ysa. 63 (51, 1-2) : *attendite ad petram et ad cauernam laci unde precisi estis. Attendite ad Abraham patrem nostrum*. Abraham pater multarum gentium interpretatur<sup>2</sup> et significat Christum qui non solum est pater noster per creationem, ymmo etiam per recreationem et redemptionem. *Patrem uocabis me et post me ingredi non cessabis*, Jer. 3 (19). Hic est lapis unde excisi sumus. Nota : est quidam lapis qui uocatur ceraunus qui cadit de nubibus qui uidetur nostrum fulguris. Hic lapis significat Christum qui de nubibus celi et uteri uirginalis descendit. Ysa. 46 (45, 8) : *rorate celi desuper et nubes pluant iustum* etc. Virtus eius fuit et est contra dyabolum, de quo dicit Luc. X (18) : *uidebam Sathanam sicut fulgur de celo cadentem*. In ipsa fuit cauerna laci [216rb] plagarum multarum, unde tota salus nostra est excisa. Ad ista semper

<sup>1</sup> Exemplum 29.

<sup>2</sup> Non inueni.

debet attendere corda nostra. Cant. 3 (2, 13) : *surge propa amica mea speciosa mea et ueni columba mea in foraminibus, petre in cauerna macerie*. Hoc et in foraminibus pedum manuum et capitis in cauerna lateris debet semper residere oculus mentis nostre.

[d] Quartum est quantitas uel grauitas inflictis uulneris. *Si est dolor sicut dolor meus* (Lam. 1, 12). Nota : preter dolorem quod patiens sustinet propter tormentum passionis, duo sunt que dolorem aggrauant passionis. Unum est quod patitur sine causa et quando ei iuste patitur, leuius portat. Luc 23 (41) : *nos quidem iuste nam digna factis recepimus*. Hic uero nihil mali gessit, aliud est quando patitur, propter finem et ipse illo fine frustratur. Quando enim optinent illud pro quo patiuntur<sup>1</sup>, dolor aequaliter mitigatur. Jo. 16 (21) : *mulier dum parit tristitiam habet* etc. et sequitur : *cum autem peperit iam non meminit pressure propter gaudium quia natus est homo in mundo*, quasi dicat : dolor tollitur propter finem intentum quam consequatur. Sic est hic, si comparemus passionem Christi ad passiones aliorum martirum. Longe et extimabiliter fuit maior, set preter tormentum quod in passione sustinuit, aggrauatur eius dolor, quia sine causa passus est quia *peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius* (I Pe. 2, 22). Unde Ps. (54, 13-14) : *si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem* [216va] *utique tu uero homo unanimes* etc. Item quia passio eius quantum ad multos non consequitur finem intentum. Cum enim finis sue passionis fuerit salus nostra et pro uno saluato centum dampnentur, dolor<sup>2</sup> eius non immerito aggrauatur. Unde beatus Bernardus<sup>3</sup> in sermone in persona Christi : « Nonne satis propter te uulneratus sum ? Numquid pro iniquitate tua afflicti sum ? Cur addis afflictionem afflicto ? Magis aggrauant me uulnera peccati tui quam uulnera corporis mei. » Unde de Christo possumus dicere illud, primo Paral. 4 (9) : *uocauit nomen eius Jabes dicens quia peperi me dulcore*. Jabes interpretatur siccitas uel exsiccata<sup>4</sup> et significat multos qui sunt sicci et exsiccati ab omni humore deuotionis et pietatis. Ps. (142, 6) : *anima mea sicut terra sine aque tibi*. Quos tamen Christus quantum in eo fuit cum dulcore maximo peperit ad salutem. De quo dolore dici potest illud Job 20 (22) : *omnis dolor irruet super eum*. Et in Psalmo (30, 11) dicit : *defecit in dolore uita mea*.

[II] Secundum quod principaliter tangitur quod magnificat clementiam, beneficium clementie altioris. *Videte inquit filie Syon regem Salomonem*. Salomon interpretatur pacificus<sup>5</sup>, mentes pacificaret et ad Deum patrem reconciliari uoluit, flagellari, crucifigi, in quo apparuit sue clementie et beneficii magnitudo. Nota : si princeps in aliquo afflictu multos de exercitu suo perdat, inter quos sunt quidam principes et quidam [216vb] pauperes, si principes non redimat et pro redemptione multa ponat, ad pauperes maximum signum dilectionis ostendit. Spiritualiter de exercitu Dei multi principes, angeli scilicet, et multi pauperes, homines scilicet, fuerunt capti et perdati per peccatum. Modo sic est

<sup>1</sup> patiuntur] patitur P.

<sup>2</sup> dolor] dolore P.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Passio AI (Bernardus in quodam sermone).

<sup>4</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 100.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 138.

quod Christus istos principes non redemit. Heb. 2<sup>o</sup> (16) : *nusquam enim angelos apprehendit*. Set pro redimendis pauperibus hominibus maxima posuit quia pro eorum redemptione tradidit semetipsum. Huius figuram habemus 2 Paral. I (6) ubi dicitur sic : *ascendit Salomon ad altare eneum coram tabernaculo federis Domini et optulit in eo mille hostias*. Salomon, ut dictum est, significat Christum, altare eneum crucem super quam ascendit Christus et ibi optulit mille hostias, id est semetipsum, qui mille hostiam et propter oblationis perfectionem quia contra hostes scilicet dominatur demones est oblatus, et hoc coram tabernaculo federis Domini quia per istam hostiam Deo reconciliati cum ipso sumus federati. Ephe. 2 (14) : *ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum*, et sequitur : *ut condat duos in semetipsum in unum hominem faciens pacem et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem interficiens in semetipso*.

[III] Tertium quod principaliter tangitur est quod specificat uituperium contumelie grauioris. *In dyademate*. Nota : res parui ponderis portatur in uluis uel brachiis, set res que multum ponderat super humeros et super caput, [217ra] ita quod quandoque caput et humeri pre ponderis magnitudine inclinantur, antiquitus Deo dicebatur portare defectus patrum in brachiis. Os. XI (3) : *portabam eos in brachiis meis*. Set peccata nostra tamquam onus grauissimum pertulit in corpore suo super lignum et etiam super caput suum sustinuit istud onus, propter quod sic fuit inclinatus. Quod inclinato capite emisit spiritum, ideo bene dicitur esse uituperium contumelie grauioris. Sap. VIII (18, 24) : *magnificentia tua in dyademate capitis illius erat scripta*. Magnificentia Dei patris fuit quando mundum per Passionem filii uoluit reconciliari, que in cordis spinea scripta fuit per quam nobis coronam meruit sempiternam, quam nobis concedat etc.

## SERMON 99

In ordinibus.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 217ra-221va ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 59ra-62rb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 187r.

Plan :

Prothème – Le prédicateur est dépositaire de la parole divine.

Thème – Les hommes d’Eglise doivent être des modèles.

I – Ils résident personnellement dans leur paroisse.

Division 2 (Num. 18, 1-2) : leurs différentes qualités :

- a. ce sont des successeurs du Christ
- b. des intercesseurs
- c. des auxiliaires
- d. des ministres

II – Ils ont une charge pastorale.

Division 3 (Zac. 3, 7) : les caractéristiques des ecclésiastiques :

- a. la sûreté dans le choix du bien
- b. l’apaisement dans la contemplation
- c. la position de juge
- d. le bonheur dans la récompense

F. 217ra : *Tu et filii tui custodite sacerdotium uestrum*, Num. XVIII (7).

[Prothème] *Bonum depositum custodi*, uerbum illud ultimo propositum est uerbum Pauli Apostoli, II ad Thymo. (1, 14), ubi ipse doctrinam fidei siue uerbum Dei comparat deposito, nec immerito. Licet enim uerbum Dei dicatur predicantibus datum : *dabitur uobis in illa hora quid loquamini* in Mat. (10, 19), *Dominus dabit uerbum euangelizantibus* dicitur in Psalmo (67, 12), proprie tamen dicitur audientibus depositum ad modum enim depositi. Propter hoc audientibus traditur ut suo temporis cum fructu boni operis reddatur. Ysa. LV (11) : uerbum quod *egredietur de ore meo non reuertetur ad me uacuum* etc. In signum etiam et argumentum huius quod uerbum Dei sub deposito detur audientibus, predicatori tamquam de|217rb|positori, dicitur in Ex. (4, 15) : *loquere ad eum et pone uerba mea*. Ecce quod predicator est depositor. Depositarius est auditor. Ideo lex depositoris in uerbo premissio obligat utrumque istorum, depositarium primo auditorem ad uerbum Dei humiliter suscipiendum, *custodi*, secundo ad hoc eundem ad uerbum Dei memoriter retinendum, *depositum*, tertio depositorem, id est predicatorem ad uerbum Dei utiliter proponendum, *bonum*.

De primo Prou. III (10) : *audi filii mei et suscipe uerba mea. Et ad eloquia mea inclina aurem tuam* (Prou. 4, 20). *Custodi ea in medio oris tui uita enim sunt* (Prou. 4, 21-22), et si lex

depositorum obligat omnem audientem generaliter spiritualiter et principue obligat sacerdotem quia Malachie II (7) dicitur : *labia sacerdotis custodiunt scienciam et legem requirent ex ore eius*. Ista est natura depositi quod licite potest a deponenti reperi et requiri.

De secundo ad Thy. (I Tim. 6, 20) : *o Thymote depositum custodi deuitas prophanas uocum nouitates*. Dicitur bene depositum a Deo positum. Ysa. LI (16) : *posui uerba mea*.

De tertio nota : non sine causa distinguitur<sup>1</sup> bonum delectabile contra bonum utile et honestum, quia reuera contra honestatem predicantis et contra utilitatem audientis, quando predicator solum loquitur placentia, delectabilia, adulatoria. Jer. (12, 6) : *ne credas eis cum locuti fuerunt tibi bona*, id est placentia. Ideo significanter dicebat Ps. (118, 71-72) : *bonum mihi quod humiliasti me, bonum mihi [217va] lex oris tui*. Non dicit bonum mihi quod commendasti uel magnificasti me, set quod humiliasti, ad denotandum quod non est bonum nec utile auditori quod dicantur ei placentia ad ipsum extollendum et magnificandum. *Popule meus qui beatum te dicunt ipsi te decipiunt*, Ysa. (3, 12). Set bonum est sibi quod dicantur aspera et increpatoria ad humiliandum. Faciamus ergo iuxta consilium apostoli ad Ephe. IIII (29) ubi dicit : *siquis sermo bonus est ad edificationem ut det gratiam audientibus*. Pro hac ergo impetranda sine qua non possem utiliter uerbum Dei deponere, recurramus ad matrem gratie apud quam depositum uerbi incarnati *plenum gratie et ueritatis* (Jo. 1, 14) primo fuit positum et salutemus eam.

[Thème] *Tu et filii tui* etc. Vulgatum est et notabile satis dictum illud poeticum<sup>2</sup> : « Non minor est uirtus, quam querere, parta tueri. » Ex quo dicto accipio argumentum quod si non est minus uertuosum parta tueri, id est custodire reperta quam querere seu laboriose acquirere non habita, per oppositum non est minus uitiosus qui cum laboribus gradum dignitatis adeptus sui status reuerentiam non custodit quam qui humilibus contentus, ex sola pigritia altiora non querit, ad alta se non humiliat nec disponit. Dicit beatus Bernardus<sup>3</sup> quod melius est cum humili plebe saluari quam in sublimitate cleri deterius uiuere et fortius cruciari. Et beatus Augustinus<sup>4</sup> dicit : « Nihil facilius hominibus episcopi uel presbiteri officio, si perfunctorie [217vb] res agatur, id est male et transitorie, set nihil apud Deum dampnabilius et econtra difficilius et nihil apud Deum beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet. » Apparet ergo quod gradum dignitatis habere et honestatem status sui non seruare, uitiosum est et dampnabile apud Deum. Modo sic est quod status sacerdotum, principue prelatorum, si bene seruetur, est exemplaris forma recte uiuendi subditorum. Prima canonica Petri (5, 3) : *forma facta gregis ex animo*. Ideo sicut<sup>5</sup> procedit in formatione corporali membrorum, formando prius membrum illud quod ceteris uitam influit, ita nos artificialiter ymitantes naturam procedere debemus in formatione spirituali, quam uocamus informationem morum, ut scilicet inchoemus a

<sup>1</sup> distinguitur] distinguuntur P.

<sup>2</sup> P. Ovidius Naso, *Ars amatoria*, II, versus 13 (H. Bornecque, Paris : Belles Lettres, 1960, p. 32).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Castitas siue continentia O (Bernardus in epistula) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermo de conuersione ad clericos*, 36 (SBO, IV, p. 113).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Prelatio E (Augustinus in quodam sermone).

<sup>5</sup> sicut] non add. P.

capite a prelato qui ceteris uitam, id est uiuendi formam et modum, tribuit. Ita fecit Dominus : uolens informare sacerdotes Veteris Testamenti incepit ab Aaron summo sacerdote dicens uerbum primo propositum : *tu et filii tui* etc., indicens eis solam custodiam status sui. Synodus ista congregata est propter informationem uel reformationem sacerdotum, non quidem Veteris set Noui Testamenti, et ideo quod olim dictum est Aaron et filiis suis, hoc ego dico nunc capiti et membris huius congregationis. *Tu et filii tui custodite sacerdotium uestrum.* Ubi notantur tria ex quibus redditur quis sollicitus ad custodiam rei commisse sibi et nos debent sollicitos reddere ad custodiam sacerdotii. Primum est quia ad hoc fauo|218ra|rabilius elegimini, indicitur nobis personalis residentia, *tu et filii tui*. Secundum quia super hoc inexcusabilius exigimini, preponitur nobis pastoralis prouidentia, *custodite*. Tertium quia propter hoc honorabilius erigimini, opponitur nobis patronalis prosidentia, *sacerdotium uestrum*.

[I] Quantum ad primum quod uos qui fauorabilius elegimini, teneamini ad residentiam personalem, hoc notatur optime in pronomine secunde persone, *tu*, et in nomine relationis, *filii*. Docent grammatici quod pronomen ideo dicitur non quia nomen pro eo, set quia ipsum pro nomine seu uice nominis ponitur. Ergo tu pronomen secunde persone, tu qui personatum habes in ecclesia et es sacerdos post Deum in ea, tu pronomen non debes alium pro te ponere. Illa non est natura pronominis set tu pronomen pro alio positus es in ecclesia, scilicet nomine et uice Dei, ut tu, non alius, pro te sis personaliter presens sicut ipse presens est omni rei. Si ergo curam tuam dimittis et ponis alium pro te, tu facis nouam grammaticam, mutas naturam pronominis. Hoc idem notatur in nomine relatio filii. Dicunt enim<sup>1</sup> logici quod relatiua sunt simul natura. Ergo ex hoc ipso quod estis filii ad personalem coexistentiam, tenemini ut cuilibet uestrum dicat ecclesia quod ipse personaliter officiare tenetur : *filii tu semper mecum es*, Luc. XV (31). Set heu sunt hodie multi similes coturnici que raro uel numquam inuenitur cantans in agro, nisi quando granum est ibi. Sunt multi prebendati qui raro uel numquam inueniuntur cantantes in choro, |218rb| nisi quando est ibi granum, quando exspectant temporale luctum ; recepta distributione statim de choro recedunt. Sic multi curati qui raro uel numquam inueniuntur residentes in parochiis suis, nisi tempore grani uindemiarum uel messis, aliis temporibus anni discurrunt mundum, secuntur curias magnatum, implicant se secularibus negotiis in detrimentum animarum suarum. Filii Agar qui exquirunt prudentiam que de terra est, negociatores Baruc figurati sunt per illos filios de quibus dicitur I Reg. II (12-13) : *filii Hely filii Belial nescientes officium sacerdotis ad populum*. Illi filii sciebant optime et sciunt hodie adhuc multi officium populi ad sacerdotem dicebant (I Reg. 2, 16) : *da mihi alioquin tollam ui*. Optime sciunt sacerdotes recipere oblationes et donaria a subditis, et utinam nihil tollerent ui ab eis ! Set officium sacerdotis ad populum ipsi nesciunt uel saltem fingunt se nescire, quia non faciunt, auertant non soli illi qui sic deficiunt, ymmo superiores qui dissimulant et non corrigunt. Quam turpiter percussus est Hely cum filiis suis quia eos ut debuit non correxit ! Bene legimus quod ipse corripuit eos quandoque dicens (I Reg. 2,

<sup>1</sup> enim om. B.

24) : *nolite filii mei non est hoc bona fama quam audio de uobis quia tamen non cum tanta seueritate quanta oportuit, ideo cum eis percussus fuit et iuste, quia dissimulatio prelati et facilitas uenie [218va] prebent incentiuum et audaciam delinquendi. Juxta illud Jer. VII (18) : *fili colligunt ligna*, id est accumulunt sibi peccata, *et patres succedunt ignem*, id est incentiuum delinquendi prestant dum ista dissimulant. Propter hoc superiori prelato et suis subditis dictum est illud Num. XVIII (1-2) : *tu et filii tui sustinebitis peccata sacerdotii uestri et fratres tuos filios Leui sumes tecum qui presto sint et ministrent tibi. Tu autem et filii tui ministrabunt in tabernaculo testimonium.**

[Division 2] Ubi notantur quatuor que debent nos sollicitos reddere ad personalem custodiam subditorum, primum quia non estis mercenarii set hereditarii successores, *tu et filii tui*. Secundo quia inter eos et Deum estis necessarii intercessores, *sustinebitis peccata sacerdotii uestri* (Num. 18, 1). Tertium quia estis ordinarii, non accessores, *fratres tuos filios Leui sumes tecum* (Num. 16, 10). Ordinarii est assumere adiutorem. Quartum quia estis gratie Dei ministri et dispensatores, *tu autem et filii tui ministrabitis* etc.

[a] Circa primum nota quod carpentarius uel lathomus qui pro mercede reparat domum ruinosam, plus habet oculum ad peccuniam lucrandam quam ad ruinam domus reparandam. Si uidet domum ruere, parum curat, ymmo gaudet quandoque propter mercedem quam exspectat, set ille qui hereditario iure domum inhabitat, non habet oculum ad mercedem siue spem mercedis, ruinas eius restaurat, dampnum ruine scit esse suum. *Ecce [218vb] tu et filii tui possidetis*. Vides domum tuam tota die ruere in scandalis. Vides ruinam in multis lateribus, in personis multis tue cure subiectis. *Multiplicata est in eis ruina* (Ps. 105, 29). Ex quo filius es et heres, tu teneris reparare ruinas, emendare deffectus ; alias, si non facis, dampnum ruine reuertetur super te, quia *si lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius*, III Reg. XX (39). Dampnum ruine imputabitur tibi. *Ruina hac sub manu tua*, Ysa. III (6). Modo ponamus quod tu repares ruinas. Vide an tu facias tamquam heres, filius uel tamquam mercenarius. Si in correctione et in punitione deffectuum tu habes principaliter oculum ad mercedem et peccuniam extorquendam magis quam ad conscienciam subditi emendendam, iam tu non es dignus uocari filius set uilis mercenarius, similis filio prodigo qui dicebat in Luca (15, 19) : *iam non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis*. Figuratus fuit ille qui talis est per illum Jacob qui tamquam mercenarius habitabat in domo Laban dicens (Gen. 31, 41) : *immutasti mercedem meam decem uicibus*. Ille pro mercede debuit habere oues maculosas. Ideo accepit uirgas et decorticauit eas in parte ad quarum aspectum oues concipiebant fetus maculosos. Jacob uolens habere pro mercede oues maculosas significat illum. Si aliquis talis est qui plus uult habere sub cura sua homines [219ra] maculosos, criminosos, quos punire possit et ab eis peccuniam extorquere, quam uellet habere innocentes et iustos, talis decorticat uirgas in parte. Virga correcta in<sup>1</sup> parte decorticatur, quando decorticatur bursa et non corrigitur consciencia quod puniuntur subditi set non emendantur.

---

<sup>1</sup> in] pro B.

Videntes hoc oues subditi concipiunt<sup>1</sup> fetus maculosos, maculosa proposita cogitant quod secure possunt enormia committere ; si deprehendantur, poterunt similiter per bursam suam euadere. Dicebatur in ueteri lege in Leuitico (6, 30) : *hostia que ceditur<sup>2</sup> pro peccato*. Quando subditus punitur pro suo delicto, hostia hec non debet comedi set igne comburi, quia correctio talis non debet procedere ex auida cupiditate set ex feruida caritate, timere debent qui contrarium faciunt ne contingat eis quod contigit filiis Aaron, de quibus dicitur in Leuitico (10, 1-2) quod *quia posuerunt ignem alienum in thurribulis et egressus ignis a Domino deuorauit eos et mortui sunt*. Ignis proprius est caritas, ignis alienus est cupiditas. Sicut enim ignis in materia aliena ut ligno uel stupa continue crescit, satiari non potest, sic cupiditas insatiabilis est. *Non satiantur oculis eius diuitiis* (Eccle. 4, 8). Cupiditas est ille *ignis qui numquam dicit sufficit*, Prou. XXX (16). Illi ergo ponunt ignem alienum in thurribulum qui tribulant et puniunt subditos moti non ex hylaritatis feruore, qui est ignis proprius<sup>3</sup>, set ex cupiditatis [219rb] ardore, qui est ignis alienus. Timere habent illi ne egrediatur super eos ignis ultionis diuine, de quo in Ps. (Deut. 32, 22) : *ignis succensus in furore meo*.

[b] Circa secundum nota quod ad hoc sunt data ecclesiastica beneficia, ut beneficiati supportent peccata populi apud Deum per orationum suffragia. Ita dicitur prima questio primo<sup>4</sup> [capitulo] : « Ipsi sacerdotes pro populo interpellant et *peccata populi comedunt* (Osee 4, 8) quia suis precibus ea delent atque consumunt », et hoc iustum quia nos qui uiuimus de beneficiis aliorum, sustineamus peccata eorum. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus*, Job (2, 10). Quod autem ad hoc data sunt beneficia habetur expresse Num. XVIII (8) : *ecce dedi tibi et filiis tuis custodiam primitiarum mearum*. *Custodiam* dicit non omni uel possessioni cuidam. Bernardus<sup>5</sup> : « Bona ecclesiarum patrimonia sunt pauperum. » Sequitur (Num. 18, 18) : *et omnia que sanctificata sunt a filiis Israel tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali*. Ecce quod beneficia sunt data pro officio et ideo in detrimentum anime sue recipit beneficium qui non exercet officium. Timere debet qui talis est ne contingat ei quod contigit illi Oza in II Reg (6), de quo legitur quod quia extendit manum ad sustentandum archam Domini declinantem, percussus est a Domino et mortuus subito. Ubi dicit quod ipse archam propriis humeris portare debebat et imposuit eam plaustro, ita quod solam manum extendit, non humerum supposuit. Similes sunt illi Oza qui imponunt mercena[219va]riis onus ecclesie quod tenentur ferre propriis humeris, qui solam manum extendunt ad archam<sup>6</sup>, quia manum habent extentam ad recipiendum beneficium pro sustentatione sui et suorum set non subponunt humerum ad onus portandum, non exercent officium contra tales qui sunt ualde multi. Proponit grauem queremoniam Ysaias (51, 18) nomine matris ecclesie : *non est sustinens eam ex omnibus filiis quos genuit etc.*

<sup>1</sup> concipiunt] oues *add. P, B.*

<sup>2</sup> ceditur] comeditur *P, B.*

<sup>3</sup> proprius] proprie *B.*

<sup>4</sup> *Decretum Gratiani*, II, causa 1, q. 1, c. 91 (E. Friedberg, 1879, p. 391).

<sup>5</sup> Ps.-Augustinus Belgicus, *Sermones ad fratres in eremo commorantes*, 21 (PL 40, 1269).

<sup>6</sup> archam] sustentationem arche *B.*



[c] De tertio nota quod ordinarii est assumere adiutorem et ad litteram Leui interpretatur assumptus<sup>1</sup>. Ergo filii Leui sunt illi qui assumuntur ab ordinariis adiutores, consilarii uel ministri. II Paral. XXIX (34) : *fratres eorum Leuite adiuuerunt eos*. Ad litteram ad detrahendum pelles animalium, illud erat antiquitus officium Leuitarum excoriare animalia que offerrebantur<sup>2</sup> in holocaustum, et uere uidetur quod inter omnes officiales ecclesie, illi qui melius retinuerunt officium suum sunt Leuite. Vix Parisius in martello inueniuntur tot excoriatores sicut in curia unius magni uiri principis uel prelati breuiter consilarii, cubicularii<sup>3</sup>, quicumque ministri, per quos habetur accessus ad dominum, fere quot accessores tot excoriatores, et conuenit frequenter quod ibi fiunt diuites et habundant ubi principales domini indigent. Utinam superiores auerterent et facerent eis iuxta uaticinum Malachie (3, 3) quod *conflarent ar[219vb]gentum eorum et purgarent filios Leui*.

[d] De quarto nota quod minister nomen est humilitatis. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi* etc. etiam prima Cor. (4, 1), et reuera si uentus superbie nocet quibusdam hominibus, summe nocet illis qui sunt sublimati in dignitatibus. Arbores enim quanto sunt situate in altiori loco, tanto sunt in maiori periculo subuersionis a uento. Item dicit beatus Augustinus<sup>4</sup> de<sup>5</sup> prelato qui inter nos quanto in loco superiore, tanto in periculo maiore uersatur. Fiat ergo iuxta consilium Saluatoris in Luca (22, 26) : *ut qui maior est nostrum fiat minor et qui precessor est sicut ministrator*. Set dicit (Num. 18, 2) : *ministrabitis in tabernaculo*, non dicit in templo. Olim Moyses in tabernaculo suo fecit duo cherubim que habebant aspectum ad propiciatorium, set diu post Salomon in templo fecit alia duo que aspiciabant ad exteriorem domum. Cherubin, plenitudo sciencie<sup>6</sup>, significat sacerdotem de quo Malachie II (7) : *labia sacerdotis custodiunt scienciam*. Olim cherubin sacerdotes habebant oculum ad Deum ut faceret<sup>7</sup> cum peccatoribus propicium. Modo habent oculum ad exteriorem domum, ad exteriora bona congregandum. Primo Paral. (23, 32) dicitur : *Leuite custodiant obseruationes tabernaculi et ministrent in domo Domini*. Item dicit tabernaculum testimonii : nos sacerdotes predicatorum principue sumus illi quibus in Actibus Apostolorum (1, 8) dictum est : *eritis mihi testes Jerusalem* etc. et in eodem (Act. 10, 42) : *precepit [220ra] nobis predicare populo et testificari*. Modo iste qui habet testes pro se contra quos nihil potest excipi, lucratur de facili causam suam quia olim testes Domini ad plebem erant sine exceptione. *Virtute magna reddebant apostoli testimonium* (Act. 4, 33). Dominus testimonio et predicatione eorum infinitas animas lucrabatur, set hodie tot excipiuntur contra nos in uita et moribus et in sciencia quod *testimonium nostrum nemo accipit* (Jo. 3, 32). Dominus totum perdit, dyabolus lucratur per astutiam suam totam. Unde debet examinari et

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 68.

<sup>2</sup> offerebantur] offerebant P.

<sup>3</sup> cubicularii] hostiarii *add. B.*

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Prelatio BZ (Isidorus de summo bono) ; Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, VII, 4 (L. Verheijen, 1967, p. 436).

<sup>5</sup> de *om. B.*

<sup>6</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

<sup>7</sup> faceret] facerent B.

probari qui mittitur predicare populo et testificari. Prima Thy. III (7) : *oportet illum testimonium bonum habere ab hiis qui foris sunt ne in obprobrium incidat et in laqueum dyaboli*. Faciat<sup>1</sup> ergo quibus incumbit<sup>2</sup> mittere iuxta illud Act. VI (3) : *considerate fratres ex uobis uiros boni testimonii plenos Spiritu et sapientia quos constituamus super hoc opus*.

[II] Circa secundum principale ubi dicitur quod uos super hoc excusabilius exigimini : custodite *tu mandasti mandata tua custoditi nimis* (Ps. 118, 4). Audite quod stricte exigetur a quolibet nostrum custodia pastoralis. III Reg. XX (39) : *custodi mihi uirum istum qui si lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius*. Ecce grauis comminatio set non terreamini quia econtra repromittitur<sup>3</sup> grandis remuneratio. Zach. III (7) dicitur : *si in uiis meis ambulaueritis et custodiam meam custodieritis tu quoque iudicabis domum meam et custodies atria mea*.

[Division 3] Ubi tanguntur quatuor que sacerdos habet uel habere debet. Debet enim esse [220rb] securior in aliorum directione, *si in uiis meis ambulaueritis* ; sedulior in contemplatione, *et custodiam meam custodieritis* ; superior in iurisdictione, *tu quoque iudicabis domum meam* ; felicior in retributione, *et custodies atria mea*.

[a] De primo nota : Ps. (24, 10) dicit quod uie Domini in uniuerso sunt due : *uniuerse uie Domini misericordia et ueritas*. Via ueritatis propter ignorantes, uia misericordie propter indigentes. Per utramque uiam tenetur sacerdos subditos suos dirigere, quia debet ostendere uiam ueritatis ignorantibus, *uiam Dei in ueritate doces* (Mt. 22, 16), et impendere beneficia pietatis indigentibus. Set heu qui alios docere debent ipsimet per deuiam ambulant. *Non enim qui operantur iniquitatem in uiis eius ambulauerunt* (Ps. 118, 3). Si primo de uia ueritatis agitur, locum habet questio Saluatoris (Luc. 6, 39) : *quomodo potest cecus cecum ducere* etc. Populus cecus est, ignorans est. Si sacerdotes, populi duces, sunt ceci ignorantia uel excecati malitia, nonne ceci sunt duces cecorum, et si cecus ceco ducatum prestat, ambo in foueam cadunt. Item dicit Gregorius<sup>4</sup> : « Dum pastor per abrupta graditur restat ut ad precipucium grex sequatur. » Dominus per Jeremiam (50, 6) conqueritur quod illi qui deberent alios ducere sunt eius occasio deuiandi : *grex perditus factus est populus meus pastores eorum seduxerunt nos*. Baruc III (13) : *non ambulauerunt per uiam mandatorum Dei nec per semitas ueritatis eius ingressi sunt*. Si [220va] secundo de uia misericordie loquimur, illa passiuè frequentat inter clericos quia nec ipsi uadunt per eam nec per eam uaditur ad eos. Regula est apud grammaticos : quo casu queris, hoc respondere teneris. Olim clerici erant datiui casus, misericordes erant, libenter dabant pauperibus et ideo tunc respondebatur eis in datiuo, multa tunc dabantur eis iuxta illud (Luc. 6, 38) : *date et dabitur uobis*. Set modo clerici declinauerunt a datiuo usque ad ablatiuum. Qui dare solebant modo auferunt, et ideo iuste in ablatiuo respondetur eis : quilibet gaudet et reputat lucrum hodie quicquid potest auferre ab eis. Tot exactiones hodie fiunt super clericos quod uix possunt aliqui

<sup>1</sup> faciat] faciant B.

<sup>2</sup> incumbit] eos add. B.

<sup>3</sup> repromittitur] repromittatur P.

<sup>4</sup> Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 2 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 134).

uiuere et cum maximis redditibus et iustum Dei iudicium est. Baruc III (13) : *si in uia Dei ambulasses habitasses utique in pace sempiternam*<sup>1</sup>.

[b] De secundo nota quod propter hoc ponuntur speculatores et custodes in castris ut ipsi uigilent, clament et annuntient, si uiderint<sup>2</sup> hostes ex quocumque latere uenientes. *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes tota nocte et die non tacebunt* (Is. 62, 6). Speculator deputatus ad custodiam ecclesie est sacerdos. *Fili hominis speculatorem dedi te domu Israel* (Eze. 3, 17). Ideo debet uigilare sollicite iuxta gregem suum. Nota, si uis, quomodo grues<sup>3</sup> proficiunt sibi unam quasi reginam<sup>4</sup> que precedit eos uoce et uolatu, ista uigilat aliis dormientibus et ne dormiat, tenet unum pedem eleuatum a terra et in illo pede [220vb] lapidem unum. Applica. Sic olim pastores erant uigilantes et custodientes uigilias noctis super gregem suum. Item [pastor] debet clamare et denuntiare si uidet<sup>5</sup> hostes, id est excommunicatos, rebelles debet denuntiare et eis interdicere ingressum ecclesie. Aliter si celebret scienter coram eis, peccat mortaliter, et si deinde absque absolutione celebret, irregularitatem incurrit. Eze. XXXIII (6) : *si speculator uiderit gladium uenientem et insonuerit buccinam et populus se non custodierit ueneritque gladius et tulerit de eis animam ille quidem iniquitate sua captus et sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram*. Figuram ad hoc I Reg. XXVII (26, 16) : cum Abues princeps militie Saulis dormiret, uenit hostis eius Daud et tulit hastam que erat ad caput eius et uas aque et tunc quia non clamauit Abues, dixit Daud : *uiuuit Dominus quia filii mortis estis uos omnes qui non custodistis dominum uestrum regem hasta uel gladius ecclesie est sententia excommunicationis, dormiente principe et clamante, id est sacerdote non denuntiante set dissimulante*<sup>6</sup> passiuue, intrant ecclesiam quando celebrantur diuina et quid sequitur ? Aufertur, id est auertatur<sup>7</sup> et contempnitur hasta ecclesiastice interdictionis et uas aque deuotionis. *Amen dico uobis filii mortis* etc.

[c] De tertio quod sit superior in iurisdictione habetur in Deut. (17, 11) : sequere sententiam sacerdotis qui preerit populo. Et hoc dicitur (Zac. 3, 7) : *tu quoque iudicabis domum meam*. [221ra] Domus debiles situate in profundo uallis facilliter euelluntur et destruuntur ; subuertuntur ab impetu torrentis a quo non leduntur domus fortes situate in cacumine montis. Amos propheta comparat sententiam iudicis impetui torrentis (Amos 5, 24) : *reuelabitur quasi aqua iudicium et iustitia quasi torrens fortis*. Et optime quia iudices hodie non audent impetu sue sententie ferre contra potentes et diuites qui possunt eis resistere, timent quod qui tetigerit montem lapidabitur. Set contra<sup>8</sup> debiles et pauperes qui sunt in profunda ualle miserie, contra illos proferuntur impetuose sententie, non possunt

<sup>1</sup> sempiternam] super terram P, B.

<sup>2</sup> uiderimus] uiderint P, B.

<sup>3</sup> Exemplum 30.

<sup>4</sup> reginam] reginata B.

<sup>5</sup> uidet] uident P, B.

<sup>6</sup> dissimulante] excommunicati add. B.

<sup>7</sup> auertatur] euertatur B.

<sup>8</sup> contra] econtra P.

resistere. Unde dicit Agellius<sup>1</sup> quod leges nostre sunt sicut tele araneorum : fortia animalia dimittunt et debilia retinent. Item dicit : *quasi aqua iudicium*. Baculus quantumcumque rectus si ponatur in aqua, apparebit curuus. Nauis multum ponderosa posita in aqua quasi pondus suum perdit. Sic de iudicio : deducatur in iudicio causa pauperis, quantumcumque recta et iusta, aduocati et iudices, si uolunt, faciunt eam curuam. Econtra proponatur in iudicio contra diuitem aliquod factum graue et ponderosum, aduocati et iudices si uolunt faciunt quod apparet leue et prope nullum. Videtur nostris temporibus euenisse quod olim uiderat Sap. qui dicebat (Eccle. 3, 16) : *uidi sub sole in loco iustitie iniquitatem*. Miror quod tales peruersi iudices non timent ne contingat eis quod conti|221rb|git illis duobus presbiteris in Daniele, de quibus dicitur (Dan. 13, 5) : *egressa est iniquitas a iudicibus qui uidebantur regere populum*. Ipsi spiritualiter fuerunt a populo lapidati.

[d] Quarto felicior in retributione : *et custodies atria mea* scilicet Jerusalem, que dicuntur atria in plurali propter pluralitatem mansionum que sunt in illa Jerusalem celesti. *In domo Patris mei mansiones multe sunt* (Jo. 14, 2). Felicem reputat se curatus ecclesie parochialis habens modicum beneficium cum magna cura, si possit optinere beneficium et cum hoc dignitatem uel officium in ecclesia cathedrali. Modo officium custodis computatur inter principalia beneficia ecclesie cathedralis. Exemplum de officio custodiendum scilicet [in libro] II *Moralium*<sup>2</sup>. Ecclesiam cathedralem uoco ecclesiam triumphantem : in illa enim est solium sedes episcopalis quam uiderat Ysa. (6, 1) qui dicebat : *uidi Dominum sedentem super solium* etc. Iterum in ea sunt proprii canonici<sup>3</sup> habentes beneficia sine cura. Cantamus<sup>4</sup> de ea : « O quam iocunda curia que cure prorsus nescia. » Set parochialem ecclesiam uoco nostram ecclesiam militantem, in qua, etiam si sunt multi beneficiati, tamen uere non sunt hec beneficia sine cura, Ecces. IIII (4) : in hoc supplete mundo uel seculo *uanitas et cura superflua est*. Tunc cura est superflua quando non est beneficio proportionata, quando scilicet est modicum beneficium et maxima cura et uere beneficia militantis ecclesie, bona temporalia modica sunt et prope nulla in comparatione ad beneficia ecclesie triumphantis. Ps. (83, 11) : *melior |221va| est dies una in atriis tuis super milia*. Et tamen ista bona non habentur sine maxima cura. Ecces. II (26) : *peccatori dedit Deus afflictionem et curam superfluam ut addat et congreget*. Felix est ergo habens beneficium in ecclesia militante si possit optinere dignitatem uel officium in ecclesia triumphante. Talis est sacerdos curatus quia cum hoc quod est beneficiatus in mundo habet iam dignitatem uel officium custodis in celo. *Custodies atria mea* (Zac. 3, 7). Custos est et clauiger ostii paradysi. IIII Reg. XII (9) : *sacerdotes custodiebant ostia*. Set heu in Gen. (3, 24) dicitur quod Dominus *collocauit ante paradysum cherubim ad custodiendum uiam ligni uite*. Timeo quod *cherubim* sacerdotes aliqui qui sic custodiant uiam celi quod se et alios malo exemplo suo excludant ab introitu paradysi.

<sup>1</sup> Cf. *Manipulus florum*, Lex I (Valerius Maximus de memorabilibus dictis) ; Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, VII, 2, 14 (J. Briscoe, Teubner, 1998, p. 450).

<sup>2</sup> *Non inueni*.

<sup>3</sup> proprii canonici] proprie canonicè B.

<sup>4</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

Carissime, licet tu iam habeas officium custodis in ecclesia triumphante, nondum tamen adhuc percipis beneficium, non es adhuc in possessione prebende. Multi sunt exspectantes illam prebendam qui numquam habebunt eam. *Multi enim sunt uocati* etc. (Mt. 20, 16). Unde in persona exspectantis et deficientis loquebatur Ps. ubi dicebat (83, 3) : *concupiscit et defecit anima mea in atria Domini*. Set in persona exspectantis et peruenientis loquitur ubi dicit (Ps. 64, 5) : *beatus quem elegisti et assumpsisti inhabitabit* etc.

**SERMON 100**

De uno confessore.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 221va-vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 42rb.

F. 221va : *Considerauit semitas domus sue*, Prou. ult. (31, 27).

Ad dominam pertinet res domus sic ordinate ut libere possint intrantes per [221vb] domum ambulare et pedibus non offendant. Domina domus ecclesie Maria est<sup>1</sup> quibus offendunt pedes hominum qui in ecclesia sunt positi<sup>2</sup>. Ideo prouidet predicatoribus quo ordinentur ista, impetrans eis gratiam docendi et auditoribus gratiam implendi, et sic domus ecclesie ordinet et non sunt in ea offense set semite eius libere sunt. Vide curam diligentem, *considerauit*, stratam multam dirigentem, *semitas domus sue*, illa debet habere officium que diligenter exequitur, hec est huiusmodi quia numquam finxit se.

Circa secundum nota quod officium sibi proprium est circa domum Dei, quia propter se ipsam que domus Dei est<sup>3</sup> scit quomodo domus Dei debeat aptari ut ad eam ueniat Deus.

*Considerauit semitas domus sue*, Prou. ult. Sicut dicitur communiter homo non est bene cautus donec errauit, ideo permittit aliquando hominem ut in posterum cautior sit, tunc adhibet remedium contra ea que sibi fuerunt causa erroris, quod bene probatur per ea que circa istam dominam gesta sunt. Considerauit enim uias quibus peccatum in eam intrauerat, et ibi posuit spinas penitentie ne de cetero culpa transiret, discretio studii, *considerauit*, directio compendii, *semitas*, protectio presidii, *domus sue*.

---

<sup>1</sup> est] ea *P*, *B*.

<sup>2</sup> positi] posita *P*, sunt peccata *B*.

<sup>3</sup> Dei est *om. P*.

## SERMON 101

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 221vb-223ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 78ra-79ra.

F. 221vb : *Caritas uestra magis ac magis habundet* (Phil. 1, 9). Secundum beatum Augustinum<sup>1</sup>, tria faciunt habundare spiritualiter, humor in deuotione, uigor in tribulatione et amor in compassione.

Primum sic declaratur [222ra] nam arbor in terra arida radicata arescit et in fructu non habundat. Set arbor in uallibus radicata et in terra humida iuxta fontem habundat in foliis, floribus et in fructu et uirorem sue pulcritudinis diu custodit et conseruat. Spiritualiter loquendo, homo arbori comparatur. Unde Mach. (Marc. 8, 24) : *uideo homines uelut arbores*. Unde in libro de Anima<sup>2</sup> dicitur quod homo est sicut arbor euersa. Set fons iuxta quem ista arbor debet radicari per effectum est fons caritatis, per quem sitis et ardor cupiditatis et auaritie in nobis temperantur. Augustinus<sup>3</sup> : « Si non uultis in isto heremo mori siti, bibite caritatem. » Fons est quem Dominus ponere uoluit<sup>4</sup> ne deficiamus et habundantius eam bibamus cum ad patriam uenerimus. Et ideo homo carens fonte caritatis et deuotionis arrescit per peccatum nec habundat in fructu bone operationis, set si homo in ualle humilitatis radicetur et fonte caritatis irrigetur, habundat in fructu bone operationis et uirorem innocentie diu per gratiam conseruat et custodit. Gregorius<sup>5</sup> : « Ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multe uirtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid uiriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. »

Secundum quod requiritur est uigor in tribulatione. Exemplo sensibili hoc apparet nam granum in terra seminatum quanto gelu plus premitur et magis retardatur, tanto maior in [222rb] fructu expectabatur habundantia. Sic spiritualiter quanto cor bonum gelu tribulationis uel<sup>6</sup> aduersitatis plus comprimitur, tanto plus in gratia multiplicatur et habundat. Figuram habemus in Ex. (1, 12) de filiis Israel : *quanto plus opprimebantur, tanto plus crescebant* in merito per fructum bone operationis. Unde Gregorius<sup>7</sup> : « Electorum desideria dum premuntur, aduersitate perficiunt, nam sicut ignis flatu premitur ut crescat, et unde extingui cernitur, inde roboratur. » Sic bonum cor quasi tribulatione mori cernitur set fortius in caritate et constantius roboratur. Unde Apostolus II Cor. II (1, 5) : *sicut habundant consolationes<sup>8</sup> Christi in nobis, sic per Christum habundet consolatio nostra*.

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Caritas G (Augustinus super epistolam Johannis cap. VII) ; Augustinus Hipponensis, *In Iohannis epistolam ad Parthos tractatus*, VII, 1 (PL 35, 2029).

<sup>4</sup> Dominus – uoluit] uoluit Dominus ponere B.

<sup>5</sup> Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, II, 27, 1 (PL 76, 1205AB).

<sup>6</sup> uel] in P.

<sup>7</sup> *Manipulus florum*, Tribulatio Z (Gregorius 26 Moralibus) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XXVI, 14, 24 (M. Adriaen, SL 143B, 1985, p. 1282).

premutur] premitur P.

<sup>8</sup> consolationes] passiones *Vulg.*

Tertium quod facit habundantiam spiritualem est amor siue caritas in compassione, quod sic declaratur secundum Apostolum (II Cor. 9, 6): *qui parce seminat parce metet*. Unde uolens habundanter in fructu metere non debet in seminando parcus esse. Spiritualiter quid per semen nisi opus pietatis et caritatis? Nam sicut bonum semen parum in terra mala proficit et multum in bona, et sicut arbor non proficit, si radicem non habeat, sic si opus pietatis et misericordie fiat non radicum in caritate amore, in compassione gloriam non meretur. Unde 2<sup>a</sup> Pe. (I 6-7): *ministrare in sciencia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate feruitatis amorem, in amore feruitatis caritatem. Ministrare, inquit, in sciencia abstinentiam* quantum [222va] ad humorem in deuotione, *in abstinentia patientiam* quantum ad uigorem in tribulatione, in pietate caritatem quantum ad amorem in compassione. Sequitur: et ministrabit nobis habundanter. Et quia ista tria fiunt per caritatem, ideo admonet nos Apostolus ut in caritate firmius radicati in plenitudine gratie habundemus, dicens uerba preassumpta: *caritatis uestra* etc. In quibus uerbis tria breuiter innuuntur. Ecce fundamentum nos substantificans in nostra penitentia ut uincamus uiriliter, *caritatis uestra*. Ecce fulcimentum meritum fortificans in patientia ut proficiamus de bono in melius, *magis ac magis*. Ecce nutrimentum grani amplificans in habundantia ut fructum habeamus in opere uberius, *habundet*.

Primo dico quod ecce fundamentum nos substantificans in nostra penuria ut uincamus uiriliter, *caritatis uestra*. Domus habens fundamentum lutosum et mobile cito cadit, corrui et adnihilatur. Set domus habens fundamentum firmum et stabile ad flatum alicuius uenti uel alicuius tempestatis ipsam impellentis, numquam corrui set magis in se ipsa confirmatur. Spiritualiter loquendo fundamentum firmum et stabile quod numquam cadit est caritas. Unde ad Cor. (I Cor. 13, 7) dicitur: *caritas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Caritas umquam excidit fundamentum caducum, mobile et transitorium est mundus et concupiscentia huius mundi. [222vb] II Pe. II (I Jo. 2, 17): *transit mundus et concupiscentia eius*. Et ideo non est firmus nec stabilis in eius fundamento. Unde I Mach. 20 (Eccli. 10, 12): *hodi est rex et cras morietur*, hodie extolletur et cras non inuenietur. Et ideo persona uolens uento tribulationum mundanarum resistere uiriliter, debet domum cordis sui in fundamento caritatis stabilire et in Christo per dilectionem se fundare, quia ad Thy. (II Tim. 2, 19): *firmum fundamentum Dei* est. Ratio huius est quia [est] fundamentum super firmam petram, id est<sup>1</sup> Christum qui est firma petra. *Petra erat Jhesus* (I Cor. 10, 4). Unde in Ecclesiastico (26, 24): *fundamenta eterna*, id est eternorum contemplantia, *super firmam petram*. Et ideo talis persona que sic in Christo est fundata, adueniente flatu temptationis et tribulationis, numquam corrui in peccatum per consensum set semper in sua bonitate perseuerat, quia secundum Augustinum<sup>2</sup>: « Caritas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat in duris passionibus fortis ». Set qui in honoribus huius mundi gloriatur, qui diuitiis, deliciis habet cor inuolutum et sepultum per inordinatam concupiscentiam, adueniente flatu temptationis, statim corrui in peccatum per consensum. Job (4, 19): *qui habitant in domos luteos*.

<sup>1</sup> id est] quia P, B.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Caritas A (Augustinus de laude caritatis).



Qui terrenum habent fundamentum consumuntur, unde de talibus potest dici illud Job (22, 16) : *fluuius scilicet carnalis uoluptatis subuertit fundamentum eorum*. Non sic gloriosi martires qui in caritate radicati [223ra] omnia genera tormentorum pro Christo uiriliter sustinebant. Unde ad Cor. (Eph. 3, 17) : *in caritate radicati et fundati*. Unde (I) Cor. XVI (13-14) : *uigilate state in fide uiriliter agite et confortamini et omnia opera uestra in caritate facite*.

Secundo dico quod ecce fulcimentum meritum fortificans in patientia ut proficiamus de bono in melius, *magis ac magis*. De hoc potest dici illud ad Ephe. II (I Thess. 4, 1) : *ambulatis ut habundetis magis*. *Ambulatis* : ecce labor meritum fortificans in operatione ut habundet magis. Ecce premium letificans in eterna consolatione.

Et tertio dico ecce nutrimentum grani amplificans in habundantia ut fructum habeamus in opere uberius, *habundet*. Unde Cor. X (II Cor. 9, 8) : *potens est Deus omnem gratiam facere in uobis ut in nobis omnem sufficientiam habeatis et habundetis in omne opus bonum etc*.

## SERMON 102

In nuptiis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 223ra-226ra.

Plan :

Prothème – Les premières et secondes noces.

Thème – Fiançailles et mariage. Le Christ nous invite au mariage.

I – C'est une invitation personnelle.

Division 2 (Mt. 11, 28) : caractéristiques de cette invitation :

- a. invitation matinale
- b. action de pénitence
- c. récompense

F. 223ra : *Venite ad nuptias*, Mt. 22 (4).

[Prothème] Statutum principale est extra de nuptiis, capitulo primo, ut nuptie secunde, quamuis sint licite et honeste, careant illa benedictione sollempni que fieri solet etiam nuptiis secundis ex parte utriusque coniugis uel ex parte saltem mulieris. Quando enim nuptie sunt secunde solum ex parte uiri, quia uidelicet sponsa uirgo est, ratione sponse uirginis datur benedictio in secundis nuptiis sicut in primis. Hoc ideo dixi quia habetis hodie primas nuptias et secundas. Primas nuptias celebrauit magister hodie mane, predicans primo de nuptiis [223rb] que nuptie prime non caruerunt sollempni benedictione, multa bona dixit et sollempniter. Bene ipse est alter tholomeus qui *fecit nuptias quasi rex in gloria magna*, primo Mach. X (58). Set ego nunc in uespere habeo secundas nuptias celebrare, secundo de nuptiis predicare. Nunc dico quod iste nuptie carebunt benedictione, nisi benedictio datur ratione uirginis sponse, nisi benedictionem impetret nobis uirgo benedicta. Certus sum quod carebimus benedictione necessaria. Hoc fuit nobis monstratum in Jo. 2<sup>o</sup> capitulo (1) ubi dicitur quod *nuptie facte sunt in Cana Galilee et erat ibi mater Jhesu*, ubi nuptie ille uino carebunt, quando Virgo mater apud filium impetrauit quod ipse mutauit aquam in uinum, et sic benedictione sua nuptias decorauit. Ne ergo nuptie nostre secunde careant celesti benedictione, rogemus Virginem sponsam ut ipsa uelit presentialiter interesse et salutemus eam dicentes : *auē* etc.

[Thème] *Venite ad nuptias*, ubi supra. Aliud tempus assignatur in iure pro sponsalibus contrahendis, aliud pro nuptiis celebrandis. Pro sponsalibus enim assignatur primum septenarium, pro nuptiis uero septenarium secundum. Et uidetur hoc duplex septenarium figuratiue habuisse ortum in Gen. (29, 30) ubi legitur quod Jacob duplex septenarium compleuit ut potiretur *optatis nuptiis* Rachel. Primo iura uolunt et consuetudo laudabilis habet quod sponsalia [223va] nuptias precedunt, et hec est differentia inter sponsalia et nuptias, quia sponsalia que sunt promissio futuri matrimonii, etiam si sunt iuramento fidei et cautione firmata, faciliter soluuntur et in multis casibus dirimuntur. Et

soluuntur enim sponsalia ipso iure per matrimonium cum alia contractum, et propter fornicationem sponse soluuntur sponsalia et si non de ipso iure saltem auctoritate ecclesie, set nuptie perfecte numquam soluuntur uiuente uxore sine utroque coniuge. *Mulier alligata est uiro quamdiu uiuit uir eius*, dicit Apostolus (I Cor. 7, 39), propter illud quia sponsalia sic soluuntur et sic sequens matrimonium impeditur. Sponsus et sponsa qui tenere et mutuo se diligunt, timentes ne aliquid superueniat quod sponsalia dirimat et sequens matrimonium impediatur, uterque quantum potest nuptias accelerat. Unus alium ad nubendum inuitat. Apoc. 2 (22, 17) : sponsus et sponsa dicunt *ueni et qui audit dicat ueni*. Itaque accelerabat nuptias sponse sue sponsus ille qui dicebat, Can. 4 (8) : *ueni de Libano sponsa mea ueni coronaberis*. Hoc ideo dixi quia si ius posituum statuit primum septenarium et est tempus uite presentis quia uoluitur spatio VII dierum, in hoc primo septenario per septiformem gratiam Spiritus Sancti, quelibet fidelis anima desponsatur Christo. Unde cantatur<sup>1</sup> : « Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium. » De hac desponsatione dicit Apostolus, secunda Cor. XX (11, 2) : *despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo*. Hec sponsalia contrahuntur per fidei [223vb] dationem, id est per sacramenta fidei, scilicet baptismi susceptione. Osee 2<sup>o</sup> (20) : *sponsabo te mihi in fide*. Dicit bene *sponsabo* quia hic non celebrantur nuptie cum sit primum septenarium, set solum trahunt sponsalia que prodolor faciliter soluuntur et frequenter dirimuntur. Quotiens enim anima Christo desponsata fornicatur, id est in alio quam in sponso suo Christo deordinate dilatatur, quotiens per consensum presentem in mortale peccatum contrahit ad matrimonium, totiens soluuntur sponsalia inter ipsam et Christum. Infelix anima que propter unam miseram fornicationem perdit talem sponsum et tam nobilem ! Osee 4 (13) : *fornicabuntur filie uestre et sponse adultere erant*. Ecce ergo primum septenarium pro sponsalibus contrahendis tempus uite presentis. Secundum septenarium pro nuptiis celebrandis sollempniter est septima dies, celebris et sollempnis dies eternitatis. In Ex. (12, 16) : *in die septima erat sollempnitas Domini*. Tunc autem, non ante, copulantur anime Deo uinculo indissolubili, uinculo matrimonii et nuptiali. Ad hoc facit directe figura pretacta. Rachel enim interpretatur uisio<sup>2</sup>, quod ergo Jacob in primo septenario non est *potitus optatis nuptiis*. Rachel significat quod homo in primo septenario uite presentis attingere non potest ad optatas nuptias Agni, ad fruitionem illius beatissime uisionis (Apoc. 19, 9) : *beati qui ad cenam nuptiarum Agni uocati sunt*, propter illud quia sponsalia in hac [224ra] uita tam faciliter dirimuntur. Sponsus cuiuslibet anime fidelis [est] Christus qui sponsas suas adeo tenerrime diligit et dilexit quod pro eis sanguinem suum fudit, Ex. 4 (25) : *sponsus uirginum tu mihi es*, ne<sup>3</sup> aliquid superueniat quod sponsalia dirimat et nuptias impediatur, in uerbo primo proposito, nuptias accelerat et sponsas suas ad nubendum inuitat dicens : *uenite ad nuptias*. Cuius uocationem parere debemus propter duo que hic

<sup>1</sup> AH, vol. 54, n<sup>o</sup> 153, p. 235 (de Spiritu Sancto, ascribitur Innocentio Papae III).

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 70.

<sup>3</sup> ne] nec P.

tanguntur, et primo quia sumus ab eo personaliter inuitati et celeriter citati, *uenite*, secundo quia erimus cum eo perhemniter federati et sollempniter festiuati, *ad nuptias*.

Circa primum sciendum quod episcopus uel officialis summus in citationibus tenet ordinem illum quia primo mittit citationem simplicem et curialem que non compellit citatum in persona propria comparere et uenire : ymmo potest per procuratorem aliquem respondere postea, si post citationem contempnitur. Mittat citationem aliam personalem et hoc est efficacior quam sit prima, quia compellit citatum uenire in persona propria, nec sufficit quod alium pro se mittat. Omnes nos citati sumus ad curiam summi regis et pontificis Christi Jhesu. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, Rom. IX (14, 10). Set citationes quedam sunt curiales et gratiose, quedam personales et peremptorie. Omnia enim que Deus mittit nobis in hac uita presenti, siue sint prospera et<sup>1</sup> gratiosa siue aspera et penosa, sunt quedam Dei incitamenta et nostra |224rb| incitamenta. Diuites ergo quibus Deus mittit prospera, citantur gratiose et curialiter, non peremptorie et personaliter. Diuites ergo hoc auantagium habent quod si non possunt in propria persona uenire opera penitentie faciendo, possunt procuratores mittere elemosinas pauperibus largiendo. Ecc. 24 (Eccli. 29, 15) : *conclude elemosinam in sinu pauperis et hec pro te exorabit apud Deum*. Ecce quod apud Deum pauperes sunt procuratores diuitum, sicut summa pena puniri debet aduocatus uel procurator qui pecuniam alicuius reciperet nec tamen causam eius coram iudice diligenter tractaret, ymmo necligeret, sic grauissime punitentur quicumque de elemosinis uiuens si in orando pro eis fuerint necligentes. Viri ecclesiastici omnes de elemosinis uiuunt et ideo debent esse aliorum procuratores, set hodie sunt multi similes filiis *Hely filii Belial nescientes officium sacerdotis ad populum* (I Reg. 2, 12-13). Illi filii Hely sciebant optime et sciunt hodie officium populi ad sacerdotem, dicebant (I Reg. 2, 16) : *da mihi, alioquin tollam ui*. Sciunt sacerdotes recipere donaria et obligationes a subditis et utinam nihil tollerent ui ab eis set officium sacerdotis ad populum Christi nesciunt uel saltem simulant se nescire quia non faciunt. Auertant non solum illi qui sic deficiunt, ymmo superiores qui dissimulant et non corrigunt. Quam turpiter percussus est Hely cum filiis suis qui eos ut debuit non correxit. Patet ergo quod diuites habent aduocatos |224va| et quibus Deus dedit prospera, citantur gratiose et curialiter, quia possunt comparere per procuratores, set pauperes et infirmi citantur peremptorie et personaliter quia citatio compellit eos in personis propriis ad Deum uenire. Gregorius<sup>2</sup> : « Mala que nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt. » Ps. (15, 4) : *multiplicate sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt*. Prima citatio hodie est nimie efficacie quia prosperitatem habentes nec uolunt ad Deum uenire opera penitentie faciendo, nec procuratores mittere pauperibus elemosinas largiendo. Figuram habemus ad hoc 2 Reg. 14 (32) ubi legitur quod Absolon misit nuntios ad Joab ut ueniret ad se qui primo et secundo uenire contempsit. Tunc Absolon fecit incendi segetes, quo facto surrexit Joab et uenit ad Absolon in domum suam. Recte filius Dei hoc modo compellit nos temporibus istis uenire ad se.

<sup>1</sup> et] siue P.

<sup>2</sup> Non inueni.

Primo enim citauit nos uenire ad se, mittens annos multos fertilitatis et tunc contempnimus eum. Modo temporibus istis segetes ut uidetur incendit, uinum et blada totum destruxit, ad quod certe ut qui uolumus ad eum uenire curialiter inuitati, ueniamus necessitate compulsi. Sumus ergo personaliter citati et celeriter inuitati set modo inuitat Christus, Mt. XI (28) : *uenite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam uos*. Ubi Christus primo premitit matutinale inuitatorium, *uenite ad me*. Secundo admittit |224vb| opus penale ut meritorium ibi, *qui laboratis et onerati estis*. Tertio promittit commensale recreatorium uel rectorium, *et ego reficiam uos*.

[a] Quantum ad primum ad litteram, inuitatorium in matutinis incipit per uenire nec alicui hore canonice dicitur inuitatorium nisi in matutinis tantum. In completorium ullus numquam dixit inuitatorium hora completorii completa et perfectio hominis. Tren. 4 (18) : *appropinquauit seruus noster, completi sunt dies nostri*. Hora matutarum est etas puerilis mane iuuentutis. Modo licet Deus uoluntate antecedente uelit omnes homines saluos fieri et ad cognitionem ueritatis uenire, non solum cum matutinis uidetur inuitatorium cantare, quia singulariter illos qui sunt in mane iuuentutis uidetur ad se inuitare. Unde in Mt. (19, 14) : *sinite paruulos uenire ad me ; et nolite eos prohibere talium enim est regnum celorum* (Mt. 10, 14). Multi enim murmurantur et murmurant hodie de hoc quod nos religiosi inuitamus ad ingressum religionis illos qui sunt in mane iuuentutis, pueros, iuuenulos, non homines prouecte etatis. Recte tales murmurant de hoc quod et cantamus inuitatorium, non in completorio set in matutinis. Causa quare completorium<sup>1</sup> incipit : « Conuerte nos Deus » etc. Homines prouecte etatis ita sunt obdurati in seculo quod non possunt attrahi ad ingressum religionis nisi Dominus |225ra| conuertat eos miraculose. De hoc murmure habemus figuram et exemplum in Luc. (Marc. 10, 13) ubi legimus quod offerebant pueros ad Jhesum *ut tangeret eos*, quod uidentes discipuli increpabant illos. Tunc Jhesus uocans eos dixit (Luc. 18, 16) : *sinite paruulos uenire ad me et nolite eos uetare ipsorum enim est regnum celorum sum Dei*. Discipuli uiri ecclesiastici, si layci homines quorum pueri religionem intrant, turbantur, de hoc etiam murmurant : naturale est, tolerabile est ; set quod discipuli Christi murmurent : execrabile est, Luc. XI (52) : *ue uobis legis peritis qui tulistis clauem sciencie ipsi non introistis et eos qui introibunt prohibuistis*. Bernardus<sup>2</sup> : « Siquid religionis in corde nascitur quicumque resistit, quicumque repugnat plane cum Egyptiis paruulos israeliti necare cogantur, ymmo cum Herode paruulum nascentem persequitur. » Nota quomodo magister Jordanus<sup>3</sup>, qui fuit magister ordinis predicatorum, consciencia ductus intrauit ordinem quia semel retraxerat unum iuuenem uolentem intrare. Arguebat enim apud se quod qui abstulisset alicui domino seruum suum, teneretur ei restituere etc. Ergo bene premititur matutinale inuitatorium, *uenite*.

[b] Secundo admittitur opus penitentiale ut meritorium, *omnes qui laboratis et onerati estis*. Ubi nota quod unum et idem onus in terra sicca adeo ponderosum quod homo portare non potest,

<sup>1</sup> R.-J. Hesbert, *Antiphonale Missarum Sextuplex*, antienne, de mortalitate, 206b.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Religio AG (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Epiphania Domini*, 3, 3 (SBO, IV, p. 306).

<sup>3</sup> Exemplum 31.

ymmo sub onere deficeret, et si ponatur in aqua, leue efficitur nec homo portans [225rb] sub onere deficit, ymmo onus illud per aquam portat hominem ad portum salutis qui alias submergeretur in mari. Ita contingit de tabula fracte nauis sicut est recte de laborioso onere penitentie, quia existenti in terra sicca sine aqua gratie, *anima mea sicut terra sine aqua tibi* (Ps. 142, 6). Ponderosum est et importabile, set existenti in gratia et caritate suaue est et delectabile. *Tolle iugum meum* etc. (Mt. 11, 29). *Jugum enim meum suaue est et onus meum leue* (Mt. 11, 30). Non solum hic set ymmo ipse est secunda tabula post naufragium que liberat hominem a periculo maris et deducit ad portum salutis. De hoc onere dicit Bernardus<sup>1</sup>: « Quid leuius onere, que non solum onerat, ymmo omne quod subponitur portat? Uterum onus uirgineum grauidat<sup>2</sup>, et quantum in massa crescit, tantum pondere decrescit. » Figuram habemus ad hoc in Gen. (Ex. 1, 12) ubi filii Israel quanto magis opprimebantur ab Egyptiis, tanto magis multiplicabantur et crescebant. Nota quomodo Egyptii imponebant onera grauia Israel, affligentes eos operibus duris, scilicet luti et lateris, nec tamen ipsi lateres faciebant. Later primo de terra formatur, postea decoquitur igne ut fortior et firmior reddatur. Item later quanto plus lauatur aqua, tanto amplius sordidatur. Later iste est corpus humanum, ad litteram de limo terre formatum, quod quando igne tribulationis et aduersitatis decoquitur, ad uirtuosa opera roboratur. *Quando enim infirmior tunc fortior sum et potens.* [225va] Item later iste quanto plus in aquis deliciarum mittitur, tanto plus peccatorum sordibus maculatur. Ysa. 16 (7): *hiis qui letantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas*, plagas, id est culpas quas incurrunt uel penas quas passuri sunt quia in letitia et deliciis uixerunt. Juxta illud (Apoc. 18, 7): *quantum glorificauit se et in deliciis* etc. Si later est corpus humanum igne tribulationis decoctum, illi more Egyptorum imponunt onera Israel, affligentes eos operibus duris, luti et lateris, non tamen lateres faciunt qui sedentes super cathedram Moysi dicunt et non faciunt, *imponunt enim onera grauia et importabilia* etc. (Mt. 23, 4). Tales sunt hodie clerici qui popularibus imponunt opera penitentie que tamen sibi non assumunt, Luc. XI (46): *ue uobis legis peritis ue qui onerastis homines oneribus que portare non possunt et ipsi uno digito non tangitis sarcinam.*

[c] Tertio promittit commensale recreatorium et refectorium ibi, *ego reficiam uos*. In domo pauperum religiosorum, qui uult amicum suum recreare, non inuitat eum ad refectorium quia uictus refectorii est paucum ualde. Unde esse in refectorio non est esse in recreatorio, set in abbacia pingui et opulentissima. Qui uult recreare amicum inuitat eum ad refectorium: ibi enim melius habet et ordinatius seruitur quam alibi. Domus pauperum religiosorum est domus ecclesie militantis, in qua pauperes facti sumus nimis. [225vb] In hac domo est refectorium adeo parcum et tenue quod breuiter nihil datur ibi quod possit humanum animum ad satietatem reficere, animum enim Dei capacem nihil

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Penitentia AP (Bernardus in epistola 72); Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 72, 2 (SBO, VII, p. 176).

<sup>2</sup> uterum – grauidat] aurum opus unum grema leuigatur P.

minus Deo replere potest. Augustinus<sup>1</sup> : « Hic enim non satiatur oculus uisu nec auris auditu » etc. Ymmo plus refectarium mundi est talis conditionis quod quanto homo plus ibi comedit, tanto plus de bonis suis mundialibus incorporat sibi, tanto plus esurit et magis appetit. Ergo qui uult amicum suum, id est animum, recreare, non ducat eum ad refectarium mundi, quia uere esse hic in refectorio non est esse in recreatorio, habundare in bonis mundi, magis est afflictio animi quam recreatio, et plus diuites qui reficiuntur de refectorio mundi exhibunt famelici : *ue uobis qui saturati estis quia esurietis*, Luc. I (6, 25). Set abbatia pinguis et opulentissima habens optimum refectarium est ecclesia triumphans (Ps. 67, 16) : *mons Dei mons pinguis*. In ea est illud cenaculum grande structum de quo dicit Christus (Marc. 14, 14) : *ubi est refectio mea ubi pascam cum discipulis meis manducem*, ecce refectarium commensale. Esse in hoc refectorio est esse in recreatorio. Deut. 12 (18) : *letaberis et reficieris coram Domino Deo tuo*. Ad illud refectarium etc. Nota supra auctoritatem Bernardi<sup>2</sup> : « Mundus clamat, ego deficio ; caro clamat, ego inficio ; dyabolus [clamat], ego decipio ; Christus clamat, ego reficio. » Ad quam etc.

---

<sup>1</sup> *Non inveni.*

<sup>2</sup> Cf. *Manipulus Florum*, Mundus T (Bernardus).

### SERMON 103

Pro serenitate temporis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 226ra-229rb.

Plan :

Thème – L’homme joue le rôle d’avocat au tribunal de Dieu. L’avocat n’est pas écouté pour les raisons suivantes :

- a. orgueil
- b. avarice
- c. volonté de destruction
- d. luxure
- e. envie
- f. naturel féminin

Nécessité de la prière :

I – La prière protège comme un bouclier.

Division 2 (Judith 7, 4) : ce qui est indispensable pour voir sa prière exaucée :

- a. intention droite
- b. humilité
- c. bonne réputation
- d. prière unanime
- e. protection divine

II – Le bénéfice que l’on retire de la prière

III – La protection que l’on en attend

F. 226ra : *Orauit ut non plueret super terram et non pluit*, Jac. ult. (5, 17).

[Thème] Aduocatus uidens quod libellus conclusit coram aliquo iudice in aliqua causa, quando habet similem coram eodem iudice, libenter informat libellum suum eodem modo quo uidit libellum primum formari, sperans quod eodem modo quo uidit primum concludet. Hoc autem facit quia causa frequenter perditur propter malum modum formandi libellum. Jac. 4 (3) : *petitis et non accipietis eo quod male petatis*. Omnes habemus causam coram summo iudice in qua sumus rei aduocati. Sicut enim uidemus in curiis mundi, multi repelluntur ab officio aduocationis, sic in curia Dei repelluntur multi ab huiusmodi officio qui tanguntur in hiis uersibus<sup>1</sup> : « Non cuicumque datur ut postulet, ymmo necatur addictus pene surdus puer actor arene, luminibus cassus mulier muliebra passus. » Sic spiritualiter ab officio aduocationis coram Deo<sup>2</sup> eius oratio non exauditur<sup>1</sup>, ymmo repellitur.

---

<sup>1</sup> *Non inueni.*

<sup>2</sup> Deo] et *add. P.*



[a] Primo addictus pene. Vocatur autem addictus pene secundum iura qui capitali crimine uel calumpnia pupplici iudicii dampnatur, et significat superbos quia superbia est caput et initium omnium uitiorum, propter quod Lucifer primus peccator est dampnatus. Job 26 (12) : *prudencia eius percussit superbum*. Modo oratio talis non recipitur coram Deo. Ratio est cibus qui alicui presentatur ex parte inimici sui non recipitur, [226rb] quia semper timetur de ueneno. Superbus proprie est inimicus Dei quia illud quod proprium est Dei aufert sibi scilicet gloriam, de qua dicit Ysa. 42 (8) : *gloriam meam alteri non dabo*. Idem usurpat sibi superbus et propter hoc oratio eius, cum sit plena ueneno superbie et uane glorie, non acceptatur a Deo. Job 26 (35, 12) : *clamabunt et non exaudiet propter superbiam malorum*. Figura Luc. 19 (2) de publicano et phariseo.

[b] Secundo repellitur surdus et significat illum qui habet aures surdas ad clamorem pauperum et ad precepta Dei implenda. Set dicitur communiter quod non est ita malus surdus sicut ille qui non uult audire, et tales sunt diuites huius mundi quia nec clamores pauperum nec alia pertinentia ad salutem uolunt audire. Causa autem est quia obturant aures suas sicut aspidis qui obturat cum cauda, et sic auribus obturatis non potest capi ab incantatore. Sic diuites huius mundi unam aurem cordis claudunt per inordinatum amorem temporalium, aliam per dilectionem caude. Diligunt enim magnam caudam filiorum, famulorum et nepotum. Diligunt enim magnas caudas uestium in filiis et filiabus et idcirco nolunt audire uerbum Dei quod precepit ista dimitti. Luc. 2 (16, 19) : non recitatur dampnatus esse diues epulo qui *induebatur purpura et bysso epulabatur cotidie splendide*. Nolunt etiam audire clamores pauperum petentium [226va] epulas et restitutiones, quia si darent epulas sicut deberent et restituerent ea ad que tenentur, non possent ducere tales caudas et propter hoc orationes talium non exaudiuntur. Prou. XXI (13) : *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis ipse clamabit et non exaudietur*.

[c] Tertio repellitur puer per quem intelliguntur tyrani et raptores et alii mali diuites huius mundi. Ratio est quia pueri per totum diem stant in luto, faciunt molendina de festucis, furnos de luto, castra et huiusmodi et in istis faciendis sunt ita solliciti sicut multi, magnas domos et stabules edificando, tamen quando in nocte ad domum paternam redeunt, ueniunt toti famelici et lutosi et omnia in quibus per totum diem laborauerunt subito destruuntur. Sic multi per totam uitam suam stant in luto peccati, si uideant furnum uel molendinum uel castrum sibi propinquum, per quamcumque uiam iustam uel iniustam illud uolunt habere uel de nouo talia edificiant. In istis procurandis sunt longe magis ardentes et multi magis solliciti quam sint in procuratione domus celestis, et tamen omnia ista que agregant citissime destruuntur. Apo. 19 (18, 10) : *ue ciuitas illa magna Babilon ciuitas illa fortis quoniam una hora uenit iudicium tuum*. Et sequitur (Apoc. 18, 17) : *quoniam una hora destitute sunt tante diuitie*. Ba[226vb]bilon confusio uel translatio interpretatur<sup>2</sup>, quia tales confundentur et ad duplex eterne dampnationis, scilicet corporis et anime, transferentur. Quando enim tales in nocte

<sup>1</sup> exauditur] exaudiatur P.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 62.

mortis redire credunt ad domum patris celestis, inueniuntur pleni luto diuersorum peccatorum et famelici carentes cibo bonorum supernorum. Ps. (58, 7) : *conuertentur ad uesperam et famem patientur ut canes et circuibunt ciuitatem*. Et bene dicit *circuibunt* : sicut enim ille qui circuit aliquam domum, sic ipsi ciuitatem paradysi non intrabunt et isti etiam orationes eorum non exaudiuntur. Figura Luc. 16 (24) de diuite epulone qui guttam aque non potuit impetrare.

[d] Quarto repellitur actor arene. Vocatur autem actor arene quia pro peccunia pugnat cum bestia detenta, et significat personam luxuriosam, sicut meretricem que peccunia ad modum bestie permittit se duci et se abuti, et significat etiam hominem qui propter miserrimam affectionem carnalem quam habet ad aliquam personam, permittit se duci ab ea sicut bestia ducitur et totus efficitur bestialis. Prou. a (7, 21) : *blanditiis labiorum protraxit eum*. Statim sequitur eam (Prou. 7, 22) : *quasi bos ductus ad uictimam* et subditur. Et nescit quia de periculo anime illius agitur et isti etiam non exaudiuntur. Michee tertio (4) : *clamabunt ad Dominum et non exaudiet eos et abscondet faciem suam ab eis*. Dominus autem [227ra] luxuriosos non solum non exaudiet, set etiam faciem suam ab eis abscondit.

[e] Quinto expellitur luminibus cassus, id est cecus, et significat immundos quia cecus non iudicat nec discernit inter pulcrum et non pulcrum. Ita uertit faciem suam ad turpem ymaginem sicut ad pulcrum et ita uertit dorsum pulcre ymagini sicut turpi, et ita uadit per lutum sicut per pulcram uiam et sequitur canem uel puerum qui ducit eum. Et istud est proprium inuidorum et detractorum. Non enim distinguit inter sanctos et non sanctos, bonos et malos. Ita uertunt dorsum sancto uiro eum diffamando et uertunt faciem inhonesto eum laudando, et frequentius quam econtrario quia secundum quod tanta<sup>1</sup> est puerilis eorum affectio [quod] ducit eos sicut incedunt et ex hoc accidit et frequentius afficiuntur ad lutosos quam ad uertuosos. Hii sunt filii Hely de quo dicitur primo Reg. 3 (3) quod non potuerunt uidere lucernam Dei donec extingueretur. Ista est conditio inuidorum ut de gratiis alicuius non loquatur. Set si in aliquo exarbitrauit, statim uideant et ipsum diffament, et isti etiam non exaudiuntur. Prou. I (28) : *inuocabunt et non exaudiam*.

[f] Sexto repellitur muliebra passus et significat illum qui habet conditionem mulieris. Conditio mulieris, ut communiter dicitur, est semper nitor et uentus<sup>2</sup> et significat impatientes murmuratores et obstinatos et huiusmodi, qui sanctis exhortationibus et monitionibus nolunt acquiescere contra uentum Spiritus Sancti, Act. VII (51) dicuntur : *ceruice*<sup>3</sup> etc. [227rb] *uos semper Spiritui Sancto resistitis omnes*. Isti pro aduocato in celesti curia non recipiuntur. Ysa. I (15) : *cum multiplicaueritis orationem uestram non exaudiam, manus enim uestre sanguine plene sunt*.

Igitur nos omnes sumus sicut aduocati qui semper habemus causam coram iudice nostro Christo et spiritualiter modo propter intemperiem ymbrium et aeris, et timeo ne causa nostra sit similis

<sup>1</sup> tanta] canina P.

<sup>2</sup> nitor et uentus] nititur et uentum P.

<sup>3</sup> ceruice] circuite P.

cause illorum qui fuerunt ante diluuium. Dicitur enim Gen. 6 (12) quod diluuium factum est propter hoc quod *omnis caro corruerat uiam suam*. Hodie totus mundus fere est corruptus, discurre per omnes status et per omnia peccata et idcirco timendum est ut Deus uelit mundum ista pluuiarum inundatione grauare. Osee 4 (2) : *maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundauerunt et sanguis sanguinem tetigit*. Propter hoc lugebit terra et omnis qui habitat in ea. N[ota] quia in ista causa, scilicet pro cessatione pluuiæ, coram Deo fuit formatus quidam libellus quem formauit Helyseus propheta, et iste libellus conclusit quia optinuit quod petebat. Idcirco formemus similem libellum. Iste libellus quem debemus formare est libellus orationis et propter hoc deuote oremus pro cessatione huius pluuiæ sicut fecit Helyas qui *orauit ut non plueret* etc. Et tanguntur tria.

[I] Primo tangitur officium quod debemus inchoare uel acceptare quia debemus orare, et hoc tangitur [227va] cum dicitur *orauit*. Nota : homines qui sunt in guerra mortali semper incedunt armati et continue scutum habent appensum ad cortinam<sup>1</sup> suam, scilicet blocherium<sup>2</sup>, ut statim quod aliquis uelit<sup>3</sup> eos percutere, illud accipiant et opponunt. Nos omnes sumus in guerra mortali contra mundum, dyabolum et carnem. Et ideo semper debemus incedere armati armis uirtutum et habere promptum scutum orationis, ut illud contra cuncta nobis aduersaria opponamus. Sap. 19 (18, 21) : *properas homo sine querela* deprecari pro populis proferens, per seruitutis sue scutum orationem, per incensum deprecationem allegans, restitit ne in finem imposuit necessitati. Notabiliter dicit *homo sine querela* quia talis debet esse qui uult quod oratio sua exaudiatur, ut scilicet sit sine querela coram Deo, set nota quod quidam incedunt armati per totum corpus, excepto capite, arma capitis portant appensa ad leuam galeam uel huiusmodi. Et propter hoc accidit frequenter quod quando inuaduntur ab hostibus, antequam possint<sup>4</sup> armare caput, percussuntur et quandoque decapitantur. Sic multi sunt bene armati quantum ad corpus quia corporaliter numquam peccarent, numquam facerent unum furtum, numquam homicidium et sic de aliis. Set caput mentis habent male armatum quia habent cor plenum turpibus et immundis cogitationibus, et sunt sic ocupati circa talia [227vb] quod frequenter dyabolus decapitat eos, quia facit eos esse sine capite Christo. Figura Gen. 40 (19) : *aufert pharao caput suum ac suspendet te*. Pharao interpretatur nudauit uirum<sup>5</sup> et significat dyabolum qui hominem denudat et alienat a capite suo Christo ut eum suspendat in inferno. Hoc autem totum procedit ex hoc quod multi portant arma cordis appensa ad leuam galeam, non curant de illis que ualent ad custodiam cordis. Ista sunt deuote orationes et sancte meditationes et ideo subito a dyabolo decapitantur, propter quod debemus semper habere promptum scutum orationis. Qualiter autem debeamus orare habemus in figura Judith (7, 4) : *dum filii Israel prostrauerunt se super terras mittentes cinerem super capita*

<sup>1</sup> cortinam] cortigiam P.

<sup>2</sup> blocherium] bocherium P.

<sup>3</sup> uelit] uolet P.

<sup>4</sup> possit] possint P.

<sup>5</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.

*eorum unanimes orantes ut Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum.* Et nota quod in ista auctoritate tanguntur quinque que debent esse in illis qui uolunt orationes suas exaudiri.

[a] Primo enim debent esse per rectam intentionem directi filii Israel. Israel interpretatur<sup>1</sup> directus Dei et significat quod uolens orare fructuose, debet habere intentionem directam. Nota : balistarius quando uult directe trahere ad aliquod signum, claudit unum oculum et cum alio dirigit sagittam et multo melius trahit quam si haberet utrumque oculum apertum. Sic orans si uult quod oratio eius dirigatur sicut incensum *in conspectu tuo Domine* (Ps. 18, 15), oportet alterum oculum claudere, quia debet in se restringere oculum [228ra] affectionis qui [se] habet ad mundana, et sic oratio eius perfectius ad Deum dirigatur. Figura Gen. 22 (32, 31) quando Jacob primo uocatus est Israel qui, sicut dictum est, interpretatur directus Dei, emarcuit neruus in femore eius et claudicauit. Ille qui claudicat, habet unam tibiam alia breuiorem, sic in illo qui uult quod oratio sua et facta sua ad Deum dirigantur, debet neruus amoris circa temporalia emarcescere et abbreviari. Unde bene dictum est quod qui uult orationem suam ad Deum dirigere, debet oculum alium clausum habere. Set hoc intelligo de oculo sinistro qui temporalia recipit, non de dextro qui spiritualibus respicit [et] dirigit quia oculus dexter debet esse apertus et sinister clausus. Set I Reg. XI (2) dicitur quod Naas dixit quibusdam : *in hoc feriam nobis cum fedus ut eruam omnium nostrum oculos dextros.* Qui quorum eruit quod in spiritualibus totaliter sunt excecati et tamen in temporalibus sunt ualde oculati. Hoc autem fit pro tanto quia quando homo non habet nisi unum oculum, clarius et melius uidet per eum quam per eum uidere posset, si cum eo haberet alium, et ratio est quia uirtus uisua congregabitur ad illum oculum qui est solus et sic melius uidet. Sic excecatus in spiritualibus, acutius uidet in tractibus et fraudibus mundi quam unus alius qui aliquando de spiritualibus et aliquando de temporalibus cogitat, et hoc quia tota uirtus sue affectionis et in[228rb]tentionis retracta est a spiritualibus et ad congregationem temporalium ordinata. Ecc. 20 (Eccli. 27, 1) : *qui querit locupletari auertit oculum suum*, supple a spiritualibus et dirigit ad temporalia.

[b] Secundo debent esse per ueram humilitatem subiecti. *Prostrauerunt se super terram* (Judith 7, 4). Nota ad hoc quod machina mundi possit proicere lapidem infra castrum, oportet quod pertica eius deprimatur, set quando depressa [est] et dimittitur altissima et usque ad castrum proicit lapidem, sic quando pertica rationis et uoluntatis<sup>2</sup> est bene depressa per humilitatem et laxatur per deuotam orationem, tunc lapis orationis qui ab ea proicitur pertingit usque ad castrum paradysi et usque ad tronum Dei. Ecc. 36 (Eccli. 35, 21) : *oratio humiliantis se nubes penetrabit et donec appropinquat non conrogabitur<sup>3</sup> et non discedet<sup>4</sup> donec aspiciet Altissimus.* Propter hoc dicebat Jer. 34 (38, 26) : *prostrauit preces meas coram rege.* Set nota quod prostratio malorum est eis dampnosa.

---

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> uoluntatis] uoluntas P.

<sup>3</sup> conrogabitur] consolabitur P.

<sup>4</sup> discedet] descendet P.

Legitur<sup>1</sup> quod carpa profundat se in luto, sic quod rethi capi non potest, dato quod rethe aliquando tangat caudam eius, tamen capi non potest. Sic aliqui rostrum affectionis sic habent infixum infra lutum luxurie et uoluptatis quod cum rethi predicationis uel monitionis non potest extrahi de peccato, licet quandoque modicum compungatur, tamen non corrigitur, quia minus est in luto illo radicans et infixus. Ps. (68, 3) : *infixus sum in limo profundi et non est substantia*. [228va]

[c] Tertio debent esse per sui reputationem deiecti. *Mittentes cinerem super capita eius* (Judith 7, 4). Nota : dicit Ambrosius<sup>2</sup> in Exameron quod fenix congregat multa ligna aromatica que uirtute uenti et feruoris estatis accenduntur, in quibus uoluntarie se ponit et ibi incineratus et in illis cineribus infra paucos dies egreditur auis uolans. Sic nos debemus congregare multa opera uirtuosa que debent per famam honeste conuersationis redolere et cum uento Spiritus Sancti et feruore accendi et infra ista debemus impulerizari, quia omnia facta nostra sunt, quantumcumque bona in nostra reputatione debent esse quasi nulla. Luc. 17 (10) : *cum feceris omnia que precepta sunt nobis, dicite : serui inutiles sumus*. Et tunc ex nobis poterit oratio procedere que usque ad conspectum Dei transuolabit. Bernardus<sup>3</sup> : « Quando fidelis et humilis et feruens oratio fuerit, celum sine dubio penetrabit, unde certum est quod uacua redire non possit. » Figura Ione 3 (6) ubi dicitur quod rex descendit *de solio suo et sedit in cinere* et sequitur (Jon. 3, 10) quod *uidit Dominus opera eorum et misertus est super malitia quam locutus est ut faceret eis*. Et propter hoc dicit Ps. (101, 10) : *cinerem tamquam panem manducabam*. Set nota quod quidam puluerizant aurum et quedam alia ut plus ualeant et magis reputentur. Sic aliqui fingunt se nihil ualere et se uelle apparere nihil reputari et hoc totum faciunt ut magis ab aliis reputentur et ista est ypocrisis duplicata [228vb] et pro talibus debet fieri oratio. Jer. 17 (18) : *duplici contritione contere eos*. Et ita erit quia ypocrite hic in mundo affliguntur et postea etiam in alio seculo conterentur.

[d] Quarto debent per affectionem esse collecti unanimes orantes. Nota : pauperes clerici exeuntes in curia romana, exspectantes gratiam a papa, congregant se simul et clamant ad papam quod faciat eis gratiam et frequenter propter multitudinem clamantium, impetrant quod unus uel duo, si fuissent soli, non potuissent impetrare. Sic nos exspectamus nunc gratiam et misericordiam a summo pontifice, et ideo omnes clamemus ad eum si ab eo aliquid uolumus impetrare, quia dicit Ambrosius<sup>4</sup>, libro de penitentia, quod « multi minimi dum congregantur unanimes et multorum preces impossibile est contempni. » Propter hoc fuit dictum Abrahe, Gen. 19 (16), quod parceret peccata populi et toti regioni, si ibi inuenirentur decem iusti, et propter hoc debemus currere nunc unanimiter ad orationem, ut meritis multorum optineamus quod non possemus si quilibet solus oraret. Ro. 3 (15, 6) : *unanimes honoremus Deum uno ore*. Set nota quod cordula facta de intestinis lupi corrumpit cordulas factas de

<sup>1</sup> Exemplum 32.

<sup>2</sup> Exemplum 33.

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Oratio AX (Bernardus) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Quadragesima*, 4, 4 (SBO, IV, p. 371).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Oratio AB (Ambrosius libro de penitentia).

intestinis ouium, si eis in cythara coniungantur. Sic timendum est quod oratio sanctorum hic presentium impediatur et non exaudiatur propter commixtionem eorum cum usurariis qui sicut lupi deuorant gregem Dei. Ps. (13, 4) : *deuorant plebem meam sicut escam panis*. Forte Deus retrahit manum suam ne bona |229ra| terre multiplicet, propter hoc quod ipso utuntur. Si enim est habundantia uini uel bladi, totum rapiunt, attrahunt et congregant ut postea carius uendant et pauperes fame moriuntur, contra quos dicit Sap. Ecc. 9 (Eccle. 5, 12) : *infirmetas pessima quam uidi sub sole diuitie congregatae in malum domini sui*.

[e] Quinto debent orare ut per Dei defensionem sint protecti, ut Deus Israel ostenderet manum suam super populum suum. In sola enim Dei misericordia debemus confidere. Nota : plumbum positum cum argento in fornace preseruat eum a consumptione. Sic nos existentes in fornace tribulationum, temptationum, pestilentiarum et miseriarum huius mundi consumeremus, nisi nos a consumptione diuina misericordia preseruaret. Tren. 3 (22) : *miseri cordie Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miseraciones eius*. Et propter hoc ipsa impetranda semper habemus orare cum Psalmo dicentes (84, 8) : *ostende nobis Domine misericordiam tuam*.

[II] Secundo principaliter tangitur suffragium uel beneficium quod uolumus impetrare, *ut non plueret super terram*. Nota : quando homo excitauit alium coram aliquo iudice super aliquo debito in quo sibi tenetur, si reus infra diem citationis componit cum actore, euadit exstimationem et etiam expensas ad quas adiudicaretur, si exspectaret diem et inuenitur culpabilis. Quando Deus affligat nos super defectibus nostris et quando ad ipsum reuertamur, et ideo cum nos affligat modo per habundantiam pluuiarum et per multas alias miserias, exponamus [nos] cum eo placantes eum quantum ad ea in quo |229rb| offendimus eum et sic euadamus excitationem eterne dampnationis et expensas presentis afflictionis quia retrahit manum suam, et dicit illud Ysa. 6 (5, 6) : *mandabo nubibus ut non pluat super terram ymbrem supra excelsum*.

Tertio tangitur presidium quod debemus exspectare, *et non pluit*. Nota : inter omnia membra corporis, illud quod maxime ualet ad defensionem eius, maxime contra ictus qui ueniunt ex parte superiori, est manus. Nullum aliud membrum potest perfecte tueri hominem contra illos ictus nisi manus. Sic spiritualiter illud quod summe ualet ad repellendum ictus tribulationum et maxime illarum quibus a Deo affligantur, est manus bone operationis. Si enim haberemus in nobis manus ad Deum per bona opera eleuatas, omnes tribulationes quibus nunc affligimur mitigarent. Figura Ex. IX (33) : *extendit manus ad Dominum et cessauerunt tonitrua et grando nec ultra stillat pluuia super terram*. Rogabimus Dominum etc.

## SERMON 104

Pro serenitate temporis.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 229rb-232vb.

Plan :

Thème – La grâce qu'accorde Dieu aux hommes. Certains sont réprouvés en raison de leur conduite.

I – Le remède que Dieu accorde

Division 2 (Is. 64, 11-12) : les éléments que la prière doit comporter :

- a. la beauté de Dieu
- b. la miséricorde
- c. la douceur de Dieu
- d. la pénitence

II – L'Eglise demande à Dieu d'adoucir son pouvoir.

III – Elle demande sa clémence.

F. 229rb : *Sufficit nunc, contine manum tuam*, 3 Reg. ult. (II Reg. 24, 16).

[Thème] Mater que habet filium insolentem et dissolutum, qui forte lusit uestes suas uel expendit bona sibi data a patre, bene sustinet quod pater uerberet eum causa correctionis, set quando uidet quod uerberatione aggrauabitur, currit ad manum patris et cogat eum quod tolleret a uerberatione, quia mater non potest diu dissimulare quin ostendat maternum affectum ad filium. Ysa. 49 (15) : *numquid obliuisci potest mater infantem suum ut non misereatur filio uteri sui*. [229va] Ecclesia militans que est sponsa Christi secundum illud Apoc. 21 (9) : *ueni ostendam tibi sponsam uxorem agni*, multos habet filios saltem numero, licet paucos merito. Nescitur enim quis sit filius Ecclesie per gratiam et quis non, *quia nescit homo utrum amore uel odio dignus sit*, Ecc.a (Eccle. 9, 1). Potest tamen haberi aliqua coniectura nunc, quamdiu sumus in hac uita et postea in fine clare cognoscetur.

Dico primo quod potest autem haberi coniectura, licet non habeatur tanto. Ratio est filius alicuius principis non distinguitur a seruis per hoc quod melius induitur uel quod delicatius nutriatur, set per hoc quod habet spiritualement magistram sine quo nusquam uadit, nihil facit, quem non habet seruus. Sic filii gratie non distinguntur a seruis peccati quod hoc quod in uestibus uel deliciis uel diuitiis plus habundent, quia peccatores habundantes in seculo optinuerunt diuitias, set quia habent Spiritum Sanctum magistram sine cuius consilio nusquam uadunt uel operantur uel cogitant uel loquuntur. Reg. 9 (Rom. 8, 14) : *quicumque Spiritu Dei aguntur hii filii Dei sunt*. Figura Mt. 4 (1) : *filius Dei Ihesus ductus est in desertum a Spiritu*. Unde ex hoc potest quilibet cognoscere utrum sit filius gratie, si incessu, statu, habitu et in omnibus motibus suis regitur a Spiritu Sancto.

Secundo dico quod in fine clare cognoscetur. Nota : quamdiu agni sunt in campis, nescitur quis agnus cuius ouis sit filius, set quando redeunt de nocte ad domum percipitur, quia ouis odorandus

caudam recognoscit filium suum. Sic modo quamdiu sumus in campo huius |229vb| mundi, nescitur quis sit filius Dei et quis non. Set in morte, quando redibimus ad domum eternitatis, Christus finem uite nostre odorabit et illos qui odorem bonorum operum proferent recipiet tamquam filios. Gen. 27 (27) : *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit*. Mt. 29 (25, 34) : *esuriui et dedistis mihi manducare* etc. *Venite benedicti* etc. Illos autem in quibus inuenit fetorem peccatorum abiciet tamquam alienos. Ibidem : *esuriui et non dedistis mihi manducare*. *Discedite a me maledicti* etc. (Mt. 25, 41). Igitur ecclesia multos habet filios, licet eorum meritum ignoretur. Modo inter istos multi sunt insolentes et indisciplinati, qui uestem innocentie quam in baptismo receperunt, ludendo cum dyabolo perdiderunt. Can. V (3) : *exspoliaui me tunica mea*, bona scilicet spiritualia, scilicet gratiam, caritatem et alia bona Spiritus Sancti, que Pater noster celestis eis contulerat, consumpserunt sicut filius prodigus qui dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriose. Et propter hoc Pater noster qui est in celis uerberauit eos multipliciter pestilentia<sup>1</sup> temporis et innundantia<sup>2</sup> pluuiarum quia ecclesia patienter sustinuit ex hoc exspectantes correctionem eorum. Set quia sibi uidetur quod huiusmodi uerberatione nimis aggrauetur, currit ad manum eius supplicando quod uelit ab eius flagellatione cessare dicens : *sufficit* etc. Et tanguntur tria que petit Ecclesia.

[I] Primo petit a Deo |230ra| Patre ut ipse acceleret remedium cui inuitur<sup>3</sup>, *nunc contine*. Nota : quando homo minuitur in brachio uel alibi, bene sustinet quod sanguis exeat in aliqua quantitate, set quando uidet quod satis est et quod si amplius exiret noceret, sibi rogat minorem quod liget plagam et sic cesset fluxus sanguinis. Deus nunc minuit et percussit mundum plaga graui, immittendo tantam aque habundantiam quod non solum bona terre minuit, ymmo fere destruuntur, et si amplius continuetur pluuiia, totum est in periculo perdicionis et ideo debemus rogare quod *ligat aquas in nubibus suis ut non erumpant pariter deorsum*, Job 29 (26, 8). Ut ipse hanc plagam liget, manum suam contineat, ab huiusmodi afflictione desistat. Unde dicamus illud Ysa. 64 (11-12) : *anima desiderabilia nostra uersa sunt in ruinas numquid super hiis continuebis te Domine tacebis et affliges nos uehementer*. Et nota quod in ista auctoritate tanguntur quatuor que in oratione nostra debemus proponere Deo, ut ipse inclinetur ad exaudiendum nos.

[a] Unde debemus primo dicere : Domine, attende uestigium tue pulcritudinis omnia desiderabilia nostra. Vestigium enim pulcritudinis diuine relucet, in omni creatura rationali recipitur. Modo debemus in oratione nostra Deum orare, quod ipse attendat ad uestigium sue pulcritudinis, ut per hoc inclinetur ad nos et nos exaudiat. Nota : frequenter accidit quod<sup>4</sup> prelatus |230rb| complet illud quod continetur in aliqua littera, non propter amorem uel affectionem quam habet ad illum qui presentat sibi litteram, set propter hoc quod uidet in sigillo illius littere ymaginem suam. Sic peccata et scelera mundi non merentur quod orationes nostre exaudiantur set quod potius repellantur. Ysa.

<sup>1</sup> pestilentia] pestilentiam P.

<sup>2</sup> innundantia] innundantiam P.

<sup>3</sup> innuitur] innititur P.

<sup>4</sup> quod] uel *add.* P.



primo (15) : *cum multiplicaueritis orationem non exaudiam manus enim uestre plene sanguine sunt.* Et ideo rogamus eum ut non respiciat ad iniquitates nostras set ad uestigium pulcritudinis sue bonitatis, quia omnia desiderabilia mundi in quibus relucet sicut in uestigio, bonitas et pulcritudo eius sunt in periculo destructionis, quod potest uerificari et quantum ad bona spiritualia et quantum ad temporalia. De spiritualibus enim qualiter sunt destructa apparet cuilibet. Unde uidetur quod dyabolus fecit multis sicut facit formica granis. Formica enim, quando habet granum, abscindit illud per quod posset germinare et per consequens fructificare. Sic dyabolus a multorum cordibus rescindit bona et sancta proposita, que possent esse principium germinis, et fructus spirituales abscindit et ab operibus que ex suo genere bona sunt et [secundum] rectam intentionem, ut non fiant propter Deum set propter fauorem mundanum, quod si ita sit peior fructus spiritualis quia secundum Augustinum<sup>1</sup> : « Superbie bonis operibus insidiatur ut pereant. » Unde potest dici hodie illud Tren. I (10) : *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* Bona etiam temporalia sunt in periculo destructionis, et forte ratio est quia quando aliquis tenet domum [230va] ab aliquo pro qua tenetur soluere census, illi cuius est principale dominium, si non soluatur census domus, currit ad domum, amouet fenestras et ostia, expellit habitantes de domo et dimittit domum quasi desertam. Deus [est] principalis dominus omnium que possidemus et pro quolibet tenemur ei soluere census, cuius ratio est quia Mt. 22 (21) legitur quod Christus uidens ymaginem et superscriptionem Cesaris in nummositate, precepit quod census redderetur Cesari dicens : *reddite que sunt Cesaris Cesari.* Ergo cum in omni creatura appareat superscriptio et uestigium Dei, omnis creatura tenetur ei ad census et specialiter creatura rationalis tenetur ei ad census et humilis et debite seruitutis. Judith 16 (17) : *seruiat omnis creatura.* Quantum enim ad bona nature, tenemur soluere census intellectus Dei, soluere census sanctarum affectionum memoria, census gratiarum super beneficiis receptis et similiter cetere potentie tenentur ei seruire in bonis operibus. Tren. 3 (Dan. 3, 57) : *benedicite omnia opera Domini Domino.* Tenemur etiam, inquam, ad bona temporalia soluere census piarum elemosinarum. Tob. 4 (7) : *ex substantia tua fac elemosinam,* set iste census pessime a multis soluitur quia nec naturalia in Dei seruitio expenduntur nec temporalia et ea destruit et dissipat, ut possumus dicere illud, Je. 13 (12, 10) : *dederunt portionem meam desiderabilem in desertum<sup>2</sup> solitudinis.*

[b] Secundo debemus ei dicere : Domine, perpende excidium tante uoraginis, [230vb] uersa sunt in ruinas. Nota : quando aliqua ecclesia corrui, consueuerunt peti elemosine pro eius reparatione. Ecclesia spiritualis pro magna parte corrui. Fides, que est fundamentum eius, recipit in multis uacillare et a pluribus impugnari. Spes, que est quasi paries que cor deberet sursum erigere, quasi tota hodie premititur in terrenis. Caritas, que est quasi tectum, fere totaliter laceratur, ueritas et castitas et cetere uirtutes uidentur pro magna parte corruisse, ut iam possit dici illud Mich. 7 (2) : *periiit sanctus*

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Superbia N (Augustinus in Regula) ; Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, I, 7 (L. Verheijen, I, 1967, p. 420).

<sup>2</sup> in desertum solitudinis] insertum solitudini P.

*de terra et rectus in omnibus non est.* Unde edificium spirituale uidetur minari ruinam. Cuius signum est quando enim domus corruiet et est destructa per ruinam, habitant in ea serpentes, buffones et cetera animalia uenenosa que, antequam corruisset, nullo modo erant ibi. Sic hodie in ecclesia in qua solebant habitare soli uiri sancti, habitant dolosi et ueneno pleni peccatorum propter quod faciunt ecclesiam ruere. Ps. (105, 29) : *irritauerunt eum in aduentionibus suis et multiplicata est in eis ruina.* Idcirco debemus petere a Deo elemosinam sue misericordie, per quam huiusmodi ruina repararetur, maxime quia bona terre uersa sunt in ruinis. Cuius forte ratio est quando homo habet domum quam diligit et quandoque inhabitat libenter, si est aliqua arbor prope ostium que impediatur ingressum domus uel prope fenestras que obfuscet [231ra] domum uel impediatur liberum aspectum, succidit illam et euertit. Cor hominis est domus quam Christus diligit et quam libenter inhabitat. Prou. 9 (8, 31) : *delicie mee esse cum filiis hominum.* Modo ingressum gratie<sup>1</sup> in hanc domum impediunt bona temporalia, fenestras sensum corporis occupant et obfuscant mentem et prohibent liberum aspectum mentis in Deum. Figura Luc. 19 (2-3) : *Zacheus princeps publicanorum et ipse diues, querebat uidere Jhesum quis esset et non poterat.* Dum faciunt tantam umbram in corde humano quod non permittunt clare contemplari Deum, et propter hoc Deus subuertit ea et retrahit ea a nobis, ut liberius Deo uacare possumus. Figura Jone. ult. (4, 7) ubi legitur quod Dominus parauit uermem qui *percussit ederam* que faciebat umbram super caput Jone et exaruit et tunc percussit sol super caput eius. Jonas columba siue ubi est donatio interpretatur<sup>2</sup> et significat cor hominis in quo sunt dona Spiritus Sancti, qui debet esse de numero illorum quibus dicitur Mt. 4 (10, 16) : *estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe.* Modo edera bonorum temporalium frequenter facit umbram et obfuscatur cor humanum, et propter hoc Deus percussit nos in bonis temporalibus, ut cor nostrum a sole luminis gratie liberius illustretur. Set aduertendum est quod homines infirmi faciunt apportari et poni in circuitu lecti sui ramos de salicibus, minuti faciunt claudi fenestras et nolunt uidere lumen. Rami salicii qui [231rb] nullum fructum portant significant diuitias et bona temporalia huius mundi quorum amor aufert fructum spirituale. Ecc. V (Eccle. 5, 9) : *qui amat diuitias fructum non capiet ex eis ipsis.* Nota : aliqui uolunt quod lectus cordis et corporis eorum circumdatus [sit] huiusmodi temporalibus, claudunt fenestras cordis, nolentes audire pertinentia ad salutem, et hoc est signum diminutionis gratie in ipsis et infirmitatis spiritualis. Ecc. V (Eccle. 5, 12) : *est et alia infirmitas pessima quam uidi sub sole diuitie conseruate in malum Domini sui.*

[c] Tertio debemus ei dicere : Domine, ostende prodigium tue dulcedinis. Numquid super hiis continebis te Domine, quasi dicat : tua misericordia tanta est quod non potes te continere quin miseriaris nostri. Nota : differentia est inter riuulum qui uenit ex fonte uiuo, et illum qui uenit ex accidenti sicut est torrens, quia riuulus accidentalis cito deficit et exsiccat, set riuulus qui manet ex fonte uiuo numquam deficit nec potest totaliter hauriri. Sic pietas et misericordia mundi est ualde

<sup>1</sup> gratie] ecclesie exp. P.

<sup>2</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 116.

parua et cito deficit ; unde licet mundus uideatur habere aliquod signum pietatis uel misericordie, uerumtamen in fine crudeliter tractat illos qui sibi seruiunt. Figura Osee I (6), Gomer peperit filium de quo dicit Deus : *uoca nomen eius Absque misericordia*. Gomer interpretatur<sup>1</sup> assumptio uel consumptio matris et significat mundum qui, quando assumit hominem, ostendit ei affectionem maternam, set in fine, quando homo consumatur per mortem, ista affectio uidetur esse sine misericordia. Set riuus diuine misericordie nusquam [231va] desiccatur. Unde uidetur esse de misericordia Dei sicut est de quodam lapide qui dicitur enidros qui perpetuas guttas emittit a se. Unde in lapidario<sup>2</sup> dicitur perpetuum fletas lacrimis distillat enidros qui uelut ex pleni fontis scaturigine manat. Sic non solum gutte, ymmo fluuii misericordie tanquam ex fonte plenissimo perpetuo distillant a Deo. Ps. (102, 17) : *misericordia Domini ab eterno usque in eternum*. Et iterum : *aut obliuiscitur misereri, aut continebit in ira sua misericordias suas*. Et uidetur sic arguere Ps. (76, 10). Si Deus aliquando operaretur sine misericordia, hoc uidetur esse quando est iratus, set tunc etiam non continet misericordias suas. Unde numquam operatur sine misericordia. Videtur enim esse de misericordia sicut est de mensura bladi : quando mensuratur bladum in foro, impletur mensura, postea supponitur Asser qui superducitur et amouetur cumulus. Sic multi cumulant peccata peccatis ita quod implentur usque ad summum et merentur penam infinitam et importabilem quia *pro mensura peccati et plagarum modus*, Deut. 25 (2). Set misericordia Dei superuenientis amouet cumulum semper puniendo citra condignum. Unde et deputati ecclesia condignum punientur ab eo quia in omni eius iudicio misericordia et ueritas obuauerunt sibi, et propter hoc ad eius misericordiam recurramus ei nunc et dicamus ei illud Ps. (24, 7) : *secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine*.

[d] Quarto debemus ei dicere : Domine, rescinde flagitium tanti grauamentis. *Tacebis et affliges nos uehe*[231vb]*menter* (Is. 64, 12) quasi dicat : quia taces, ideo affligimur ; quia aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, auertente te faciem tuam turbabuntur. Nota : dicit philosophus<sup>3</sup> : « Quidam herodius et consimiles aues predales, quando audiunt aquilam, uix predantur et tamen, quando non audiunt eam, predantur. » Sic celum elemosina et fere totus orbis uidetur impugnare. Hoc autem est quia Deus dissimulat et permittit nos affligi set si fecerit se audiri nobis auxiliando, omnia cessabunt. Dicitur<sup>4</sup> enim in lapidario quod est quidam lapis nomine ceranus, cadens de nubibus, quem si aliquis caste portauerit, non ledetur set fulgetur ; etiam domus in nullo non ledentur a fulgure in quibus fuit lapis ille. Lapis iste Christum significat qui de nube uteri uirginalis cecidit in hunc mundum. Modo qui habet animam castam, non corruptam per aliquod peccatum mortale, et deuote portat hanc lapidem in corde suo, a nullo fulgure siue temporali siue spirituali ledi potest, ymmo eo presente cessant omnes molestie. Figura Mt. 9 (8, 26) ubi dicitur quod *imperauit*

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 66.

<sup>2</sup> Exemplum 34.

<sup>3</sup> *Non inueni*.

<sup>4</sup> Exemplum 35.

*uentis et mari et facta est tranquillitas magna et tamen iam nauicula apperiebatur fluctibus. Sic quantumcumque sumus operi fluctibus pluuiarum et aliarum tribulationum, eo iubente, omnia cessabunt et propter hoc rogemus eum ut faciat nobis sicut fecit filiis Israel, qui affligebantur in Egypto de quibus dicit Exodi 3 (7) : uidi afflictionem populi mei.*

[II] Secundo principaliter petit Ecclesia a Deo [232ra] ut ipse temperet dominium suum cui subicimur : *contine, inquit, manum tuam.* Nota : quando medicus dat infirmo medicinam minus acutam, infirmus debet ei supplicare quod temperet illam medicinam ne minus grauetur in recipiendo, quia frequenter acuties medicine occidit infirmum. Pene sunt medicine, secundum Philosophum<sup>1</sup>. Modo Deus uidetur parare nobis minus graues penas dum ita incessanter tantis fluuiis nos affligit. Unde pena qua nos affligit uidetur fuisse figurata, primo Reg. 6 (5, 12), ubi dicitur quod  *fiebat pauor mortis in singulis urbibus et grauissima ualde erat manus Domini.* Hodie enim est pauor mortis in multis terris, quia manus Domini est grauissima et forte tamen, quando manus Domini est grauis super nos, fuit figurata<sup>2</sup> quare Deus ita aggrauaret manum suam super nos. Illas urbes de quibus dictum est quod Philistei acceperunt archam Dei et posuerunt eam iuxta Dagon (I Reg. 5, 2). Philistei potionem cadentes in ruina duplici et significat mundum quia propter potionem auaritie et aliorum peccatorum cadit a gratia et lumine<sup>3</sup>. In mundo est duplex ruina, timoris scilicet et amoris Dei, quia Deus hodie non timetur nec amatur nec oratur sicut debet. Mal. primo (6) : *si ergo pater ego sum, ubi est honor meus et si dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum.* Archa Dei in qua secundum Apostolum, Heb. 9 (4), *erant urna aurea habens manna et [232rb] uirga Aaron que fronderat et tabule testamenti,* significat cor humanum quod debet esse archa Dei quia in ea debent reponi secreta Dei. Luc. 9 (8, 10) : *uobis datum est nosce misterium<sup>4</sup> regni Dei.* In eo debet<sup>5</sup> esse urna aurea habens manna incorrupte dilectionis, uirga Aaron contritionis, a qua debent procedere frondes penitentie et afflictionis et tabule testamenti, recognitio scilicet diuinorum beneficiorum et obseruantia mandatorum. Modo manus Domini est hodie grauissima super mundum, quia quasi omnes de mundo ponunt hodie istam archam iuxta Dagon, qui interpretatur<sup>6</sup> piscis iniquus uel piscis inutilis, quia corda sua in quibus debent esse, que sunt dicta, in quibus debet habitare per gratiam et in eis reponere secreta celestia, applicant ad iniquitates et peccata et ad mundana que sunt inutilia ad salutem uel etiam exponunt ea deliciis, que per piscem inutilem intelliguntur. Sicut enim piscis dicitur inutilis qui superuacat aque quia tunc reputatur mortuus, sic cor humanum superuacans deliciis dicitur spiritualiter inutile et nociuum reputatur. I Thy. V (6) : *uidua que in deliciis est uiuens mortua est.* Et propter hoc debemus Deum rogare quod ipse temperet istam medicinam et retrahat manum suam, unde utantur consilio Gabaonitarum, de quibus dicitur Josue et dixerunt ei (9, 25) : *in manum tuam*

<sup>1</sup> Non inueni.

<sup>2</sup> figurata] Cassa II *add. P.*

<sup>3</sup> lumine] homine *P.*

<sup>4</sup> misterium] ministerium *P.*

<sup>5</sup> debet] debent *P.*

<sup>6</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 99.

*sumus quod tibi bonum et tecum uidetur fac de nobis.* Gabaonite ualles mestitie uel procliues iniquitati interpretantur<sup>1</sup> [232va] per quos signamur, quia sumus ualde proclini et proclines ad iniquitates et peccata. Gen. 39 (8, 21) : *sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et ideo debemus semper esse in ualle humilitatis et penitentiae et debemus ire ad locum qui interpretatur saluatio<sup>2</sup>, id est ad Christum, et dicere ei : *in manu tua sumus* etc. Et credo quod saluabit nos sicut Josue saluauit Gabaonitas et poterimus dicere illud, I Hesdre 9 (8, 31) : *manus Domini nostri sit super nos et liberauit nos.*

[III] Tertio principaliter petit ecclesia a Deo ut ipse consideret naufragium cui exponimur : *sufficit*, quasi diceret : non possumus plus sustinere, *sufficit*, cessa nos affligere. Nota : quando nauis oneratur in portu que debet nauigare per mare, et nauis uidet quod satis habet de onere, et quod si amplius oneretur, submergeretur nec perueniret ad portum ad quem tendit, sufficit quod rogat quod non plus oneretur. Quilibet nostrum est nauis tendens ad portum paradysi, modo tot tribulationibus possemus affligi quod submergeremur per impatientiam uel per impotentiam, quia non possumus supportare nec ad portum paradysi applicare, et propter hoc quando uidemus quod minus oneratur tribulationibus, sicut modo accidit, debemus ad Deum currere et rogare quod non amittet tribulationes set desistat nos affligere. Figura 3 Reg. 19 (4) ubi legitur quod cum Jezabel persequeretur Helyam, ipse fugit et dixit : *sufficit mihi Domine tolle animam meam.* [232vb] Jezabel interpretatur<sup>3</sup> fluxus natiuus uel fluens sanguinem, et significat quod propter hoc fluuius sanguinis peccatorum, fluxus pluuiarum in uanitatem et destructionem bona terre deducit et ideo debemus fugere ad orationem et dicere : *sufficit*, Domine, tolle animam meam, conferendo ei gratiam in presenti et gloriam in futuro. Amen.

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 94.

<sup>2</sup> Non inueni.

<sup>3</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 111.

**SERMON 105**

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 232vb-234vb.

Plan :

Thème – La justice et la miséricorde divines. Comment obtenir le pardon.

I – Le moment est venu d’implorer Dieu.

Division 2 (Jac. 5, 1) : comment implorer Dieu

- a. contrition
- b. confession
- c. satisfaction

F. 232vb : *Nunc clamemus in celum et miserebitur nostri Deus* (Macc. 4, 10).

[Thème] Arcus quantumcumque fortis et rigidus et ad percussendum paratus, numquam percussit nisi illum qui est oppositus sagittanti, ad quem arcus facies est conuersa. Ideo uolens sibi cauere ne sagittetur, debet faciem arcus fugere et se trahere uersus cordam ad partem sagittantis arcus. Iustitiam uel uindictam Dei Scriptura comparat arcui ; corda est misericordia. *Cum iratus fueris misericordie recordaberis* (Habac. 3, 2). Misericordia miserorum corda nunc est ; quod eodem modo quo sagittarius utitur arcu et corda, utitur Deus iustitia et misericordia sua. Sagittarius non statim primo tractu percutit super signum, set modo supra, modo subiectus, modo a dextris, modo a sinistris, breuiter in tantum hinc inde quod finaliter signum percutit et ipsum in duo diuidit, et iterum quanto amplius corda trahitur et arcus magis flectitur, tanto fortius percutit. Spiritualiter statim quod homo peccauit, arcus diuine misericordie paratus est ad eum sagittandum nisi penituerit. Ps. (7, 13) : *nisi conuersi fueritis gladium suum uibrabit arcum* etc. Deus tamen primo tactu non statim supra signum [233ra] percutit, hoc est dictum, non statim peccatorem in propria persona subiecta punit. *Exspectat enim Deus ut miseriatur nostri*, Ysa. 13 (30, 18). Set modo a dextris, modo gyrat hinc inde puniendo eum, subtrahendo bona fortune, percutit blada uel uineas tempestate, et ideo facit ut peccatorem terreat et terrendo etiam doceat a facie arcus fugere et se ad sagittam conuertere ut habeat ad<sup>1</sup> se cordam, id est impetret Dei misericordiam. Ps. (59, 3) : *Deus repulisti nos et iratus es ei et misertus est nobis*, et sequitur (Ps. 59, 6) : *dedisti timentibus te ut fugiant a facie arcus*. Finaliter quando tantum gyrat, percutit supra signum peccatorem in propria persona puniendo et diuidit eum in duo, dans corpus uermibus et animam demonibus etc. Quanto arcus, id est rigor iustitie, amplius flectitur et corda magis trahitur, id est peccator diutius ad misericordiam exspectatur, tanto finaliter grauius punitur. Gregorius<sup>2</sup> : « Lentis passibus incedit diuina iustitia set grauitate eius grauius recompensat. » Habemus ergo quod arcus paratus ad sagittandum peccatores Dei uindicta [est], corda est eius

<sup>1</sup> ad] aduersus *exp. P.*

<sup>2</sup> *Non inueni.*

misericordia, ergo peccator uolens sibi cauere ut non sagittetur, aliud remedium non habet nisi ut a facie arcus fugiat et se ad Deum sagittantem conuertat, ut habeat uersus se cordam, id est ut impetret diuinam misericordiam. Figuram ad hoc habemus in Gen. (6, 12) ubi dicitur quod *omnis caro corruerat uiam suam*. Dominus contra peccatores iratus arcu<sup>1</sup> sue uindictae grauiter uulnerauit. Cum enim pluis|233rb|set XL diebus XL noctibus, aqua diluuii omnes submersit. Postmodum iram Dei in misericordiam conuersam promisit se de cetero aquis diluuii non perdere omnem carnem. In cuius signum dicit ad Noe (Gen. 9, 13) : *ponam arcum meum in nubibus et erit signum federis*. Arcus apparens in nubibus habet faciem uersus celum et cordam uersus nos, ad significandum quod Deus iram suam a populo auertat et conuertat ad eum misericordiam suam, si umquam fuit mundus corruptus. Osee 4 (2): *maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundauerunt*. Ideo Deus contra uoraginem peccatorum uidetur diebus istis uelle facere nouum diluuium aquarum. Inueniamus remedium non in Deo aliquid nisi istud ut recurremus ad sagittantem Deum, ut arcum sue uindictae a nobis auertit et cordam sue misericordiae ad nos conuertat. Hoc consilium dat Mal. propheta primo capitulo (9) : *nunc precamini uultum Dei ut miseriatu nostri*. De manu enim nostra factum est huiusmodi malum, ipse manus nostre fecerunt, opera nostra meruerunt. Hoc idem consulit uerbum thematis preassumptum : *nunc clamemus*. Ubi tria notantur. Hic enim non admittitur morosa dilatio, *nunc*, set committitur clamosa deuotio, *clamemus in celum*, per quem remittitur iniuriosa actio, *ut miseriatu nostri Deus*.

[I] Circa primum nota quod temporis<sup>2</sup> elementa sunt modo turbata et quasi continue plorantia, inuitant nos et excitant ad plorandum, quod nihil fere fecerunt, plorant ut peccata nostra. *Usquequo terra lugebit et terra |233va| et herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea*, Jo. XII (Jer. 12, 14). Tanto magis nos qui peccamus, debemus deflere ea. Vere credo si ploremus nos ipsi quod elementa a fletu cessaret intemperies aeris. Ratio<sup>3</sup> que mouet me ad hoc credendum est ista : mater tenere diligens filium, non patitur diu ipsum plorare. Lacrima filii pungit cor pie matris in tantum etiam quod offensa dimittit, remittitur et dat ei. Numquid Christus petit, multo tenerius nos diligit et dilexit ? Quantum umquam alia mater dilexit filium suum, sicut mater unicum filium suum sic diligebat etc. Lacrima peccatoris pungit cor Saluatoris dicente Jeronimo<sup>4</sup> : « Lacrima Domini cogit, oratio lenit, illa pungit. » Quem si uideret nos plorantes, et offensam condonabit et quod petimus non negabit. *Plorans plorabit nequaquam miserans et miserabitur mei ad uocem clamoris tui. Statim ut audient respondebit* etc., Ysa. XXX c (19). Ecce ego quod elementa plorantia incitant nos ad idem plorandum, ad hoc idem monet nos Jac. in canonica illa V capitulo (1) : *agite nunc diuites plorate ululantes in miseriis uestris que aduenient nobis*. Nobis significanter loquens diuitibus actibus dicit *in miseriis uestris que aduenient nobis* non in miseriis quas habetis, quasi qui faceret

<sup>1</sup> arcu] arcus P.

<sup>2</sup> temporis] tempus P.

<sup>3</sup> ratio] est add. P.

<sup>4</sup> Manipulus florum, Lacrima F (Hieronymus super Isaiam).

festum ante uigiliam. Vigilia debet precedere festum, tota uita presens respectu uite future est uigilia cuiusdam magni festi. « Quam felix illa ciuitas in qua iugis sollempnitas<sup>1</sup>. » Et ideo diuites qui faciunt festum modo uiuentes [233vb] in letitia faciunt ce devant de rere. Vere tales faciunt uigiliam qui postea finaliter erunt in miseria et tristitia. Luc. (6, 24-26) : *ue uobis diuitibus qui habetis consolationem uestram, ue uobis qui saturati estis quia esurietis, ue uobis qui nunc ridetis quia lugebitis et flebitis*. Econtra pauperes, quia nunc faciunt uigiliam uiuentes in luctu et miseria, facient festum postea in letitia. *Beati qui nunc esuritis quia saturabimini, beati qui nunc fletis quia ridetis*. Exemplum in mathematicis : linee non parallele, id est non equaliter distantes, quando concurrunt in puncto set ultra protrahantur, illa que primo fuit dextra fit sinistra et econtrario. Per dexteram [intelligitur] status prosperitatis et letitie, per sinistram status aduersitatis et miserie. Linee non equaliter distantes sunt uita uoluptuosa diuitum et uita erumpnosa pauperum. Prima est a dextris, secunda a sinistris. Multum erant distantes adinuicem, uita diuitis epulonis qui inducebatur purpura et bysso et epulabatur cotidie splendide, et uita Lazari ad ianuam, plenus ulceribus cupiens saturari, et tamen iste linee concurrerunt in puncto mortis. *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis etc. Mortuus est autem diues et sepultus etc.* (Luc. 16, 22). Ecce quod ille qui ante punctum mortis erat a dextris, nunc positus est a sinistris. Unde diuiti dictum est (Luc. 16, 25) : *fili recordare quia recepisti bona etc. Nunc autem hic consolatur tu uero [234ra] cruciaris*, quasi dicat : tu qui primo fecisti festum, modo facis uigiliam ; econtrario tu qui primo fecisti uigiliam uiuens in miseriis, modo facis festum uiuens in letitia. Ps. (11, 6) : *miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exponam in salutari*. Figura dicitur in Gen. (35, 18) : Benjamin uocatus primo a matre *filius doloris postea a patre filius dextere*. Item cum Joseph adduxit duos filios ad Jacob patrem suum, posuit primogenitum ad dexteram patris, secundogenitum ad sinistram. Jacob autem prudens secundogenitum maiorem futurum cancellauit manus, posuit dexteram manum super secundogenitum, sinistram super primogenitum et sic duobus benedixit. Applica. Ergo bene dicit : *agite nunc diuites etc. in miseriis que aduenient uobis*. Tria dicit : plorate lacrimas contritionis, ululantes in uoce confessionis, agite opera satisfactionis.

[a] Circa primum nota quante uirtutis sit ploratus contritionis. Vulgaliter dicitur quod tria sunt que hospitem eiciunt de domo sua : fumus, stillicidium et litigiosa mulier. *Tecta iugiter pestilentia et mulier litigiosa* comparatur in Prou. (19, 13). Hospitium dyaboli est cor peccatoris, mulier dyabolo desponsata est, peccatrix anima consensus in peccatum facit, matrimonium litigium mulieris est remorsus consciencie, cum tali muliere non potest dyabolus diu remanere. Ecce derisorem et exhibit cum eo uirginum, fumus cordis est suspirium contritionis ad quem sequitur stillicidium lacrimose deuotionis, [234rb] habet fumum stillicidium, dyabolus non potuit pati, quia numquam potuit confiteri. Unde in Tob. (6, 8) : Tobias minor debuit ducere in uxorem quamdam in quam dyabolus habuerat tantam potestatem quod interficeret ei VII uiros contra quos dedit ei angelus Raphael remedium

<sup>1</sup> Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).



dicens : *cordis particulam si super carbones ponas extricat omne genus demoniorum*. Mulier VII uiris mortuis desponsata est, anima VII uitis mortalibus irritata uel hec mulier est mundi machina, in tantum hodie dyaboli potestati subiecta quod fere omnes uiri per VII peccata mortalia sunt hodie interfecti. Hanc interfectionem deplorabat Jeremias dicens (9, 1) : *quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum et plorabo die ac nocte interfectos filie populi mei*. Vis potestatem et dominium dyaboli eicere ? Fumus cordis extricat omne genus demoniorum id est suspirium contritionis, prouocans ad lacrimas deuotionis, hoc fecerimus, principes huius mundi eicientur foras.

[b] Secundo inuitat nos ad ululatum confessionis, plorate ululantes. Optime copulat ista simul planctum et ululatum quia unum sine alio non sufficit. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles* (Num. 10, 2). Et sequitur (Num. 10, 9) : *si existentis ad bellum de terra uestra contra hostes qui dimittat aduersus clangetis ululantes tubis et erit recordatio uestri coram Domino Deo uestro*. Clangor uel sonitus duarum tubarum est duplex uerbum cordis et oris mentale, et per primum [234va] homo loquitur tibi ipsi et Deo in contritione, per secundum Dei uicario sacerdoti in confessione. Volens ergo totaliter exire a peccato et hostes suos demones impugnare iuxta illud, primo Mach. 4 (18) : *state nunc contra inimicos et expugnatate eos*, debet simul duabus tubis ululantes clangere. Nihil enim ululatio ualet confessionis sine clangore contritionis, nunc econtrario, sufficit contritio<sup>1</sup> nisi confessio in uoto habeatur, in nullo facto ualet aliquod uerbum uocis in orando, nisi concordet cum eo uerbum cordis. Augustinus<sup>2</sup> : « Hoc uersetur in corde quod profertur in ore. »

[c] Tertio inuitat nos ad opus satisfactionis, *agite nunc*. Ergo recte Dominus facit nobis istis temporibus sicut facit aquila pullis suis in nido pigrescentibus. Aquila pullis suis torpentibus subtrahit cibum et uerberat eos alis, et sic prouocat ad uolandum. Sic Christus nos uerberat nunc tribulationibus multis, specialiter intemperie aeris. Videtur quod uelit nobis subtrahere cibum et bladum et uinum, et quare facit hoc ? Certe ut nos excitet ab otio et peccato et prouocat ad bene operandum et orandum. Job I (42, 5-6) : quare Dominus ipsum ita grauiter uerberat et omnem cibum, ymmo omne temporale, ad miraculum subtraxerit quasi excitatus a sompno dicebat : *nunc oculus meus uidet te, idcirco me reprehendo et ago penitentiam*, quasi dicat : usque modo dormiui et oculos clausos habui, set nunc per penas me excitasti. Gregorius<sup>3</sup> : « Pena oculos aperit quos culpa claudit. » Ne ergo Dominus occasionem habeat subtrahendi nobis cibum [234vb] et nos amplius uerberandi, non pigritemus in nido. Similiter agamus iuxta illud 2 Paral. XIX capitulo (11) : *confortamini et agite diligenter et erit Dominus nobiscum in bonum*. Modicum autem dicitur agentes sic non peccabitis, uestis otiosa plicata in archa cito rubiginabitur, sic homo otiosus contrahit rubiginem peccati, corroditur a tinea peccati, multam enim malitiam peccati docuit otiositas. Figura Ex. (4, 6-7) cum Moyses misisset manum suam in sinum suum, facta est lepra, cum secundo retraxisset, apparuit curata. Similiter in bacca erat homo

<sup>1</sup> contritio] confessio *exp. P.*

<sup>2</sup> Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, II, 3 (L. Verheijen, I, 1967, p. 421).

<sup>3</sup> Cf. Gregorius, *Moralia in Job*, XV, 51 (M. Adriaen, SL 143 A, 1979, p. 786).

in synagoga habens dexteram manum aridam cui dixit Jhesus (Mt. 12, 7): *extende manum tuam*. Quam cum extendisset, curatus est. Applica. Nota quod dextera manus erat arida, non sinistra. Multi enim habent manum sinistram aridam ad dandam intentione sinistra, scilicet pro gloria mundi uel sua ribaldia, dant diuitibus, dant ioculatoribus, dant iudicibus, set manum dexteram habent contractam, quia pro Deo nihil dant. Dicit ergo *agite*, non solum dicite, quia in sermone non est regnum Dei set in uirtute eorum. *Set agite penitentiam et appropinquabit regnum celorum*, Math. 3 capitulo (2). Ad quod nos perducatur.

## SERMON 106

In synodo.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 234vb-237va.

Plan :

Thème – L’Eglise militante est en danger.

- a. Elle est le champ de tensions et de divergences.
- b. Elle est mal gardée.
- c. Le diable est son ennemi.

Dieu exhorte les hommes à être de bons gardiens.

I – Le devoir de prévoyance.

Division 2 (III Reg. 20, 39) : ce que les prélats doivent respecter :

- a. l’attribution des bénéfices
- b. leur condition périlleuse

F. 234vb : *Custodite sollicite animas uestras*, Deut. 4 (15).

[Thème] In castris et ciuitatibus obsessis sunt custodes in diuersis partibus ciuitatis, et super ipsos sunt alii principaliores custodes, qui uidentes inferiores custodes negligenter se habere in custodiis suis, consueuerunt eos ad diligentiore custodiam exhortari. [235ra] Figura I Reg. 16 (26, 16) ubi legitur quod Dauid reprehendit custodes regis qui erant negligentes dicens : *uiuuit Dominus quoniam filii mortis estis uos qui non custodistis dominum uestrum*. Tota ecclesia militans est sicut ciuitas in qua diuersi ad eius custodiam sunt perfecti, papa in tota ecclesia, episcopus in sua dyocesi, abbas in abbacia, curatus in cura, et sic de aliis et ista ciuitas obsessa est. Job 19 (12) : *obsederunt in gyro tabernaculum meum*. Et propter hoc est in periculo.

[a] Ratio est duplex : prima est quod ciuitati obsesse yminet magnum periculum, quando est dissensio inter illos de ciuitate, potissime inter custodes, quia dum illi de ciuitate pugnant [se] mutuo, subito irruunt inimici et ciuitatem ingrediuntur et eam spoliunt et deuastant. Ecclesia hodie est plena brigis et dissensionibus, potissime inter custodes ecclesie : rixantur ad ciuitatem et causa rixe eorum uidetur esse illa quam recepimus inter canes. Canes enim sunt in pace in aula, donec proicitur inter eos frustrum panis uel carniem, set quando proicitur quilibet currit illuc, uolunt enim ipsum accipere et mordent se mutuo et clamant ita quod tota aula repletur tumultu. Sic in aula ecclesie uel episcopi tenent se multi pacifice, donec occurrit prouisio fienda de aliqua prebenda uel dignitate, qui quando yminet, currunt omnes, mordent se mutuo, rixantur adinuicem, turbatur ecclesia et spiritualiter et temporaliter naufragatur. Figura Gen. 26 (25, 23) : Rebecca concepit duos filios qui in utero matris in pace fuerunt usque ad exitum, set in exitu collidebantur adinuicem, et ibi dicitur quod prior egressus est. Sic multi sunt in pace in utero ecclesie, donec exire uoluerunt ad dignitatem aliam

optinendam, set quando yminent tales promotiones, tunc faciunt in ecclesia collisiones, inductiones et illicitas partialitates et frequenter accidit quod peior optinet dignitatem et quem assignatur ibidem quia qui prius egressus est ruffus erat et totus in modum pellis hispide<sup>1</sup>. Hec est enim causa quare peior promouetur ad dignitatem quia plus habet de auro et non est nisi terra ruffa et quia magis est uallatus pellibus amicorum et ex istis dissensionibus sequitur quod inimici ecclesie et spirituales et temporales eam opprimunt et confundunt, quia hodie ecclesia brigas et cupiditates ministrorum suorum in diuersis mundi partibus multipliciter est oppressa, quia *omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur et domus supra domum cadet*, Luc. XI (17).

[b] Ratio secunda est quia quando custodes ciuitatis sunt confederati cum inimicis ciuitatis, tunc ciuitas est in periculo. Exspectatur enim ut de hora in horam reddatur in manibus inimicorum. Inimici ecclesie et totius populi christiani sunt mundus, caro et demonia, qui contra nos diuersa mouent prelia, modo cum istis sunt rectores ecclesie confederati, cum carne enim copulati sunt quia neminem promouent nisi cognatos, compatriotas et consanguineos uel nepotes, de quibus dicit Jeronimus<sup>2</sup> in quadam [235va] epistula : « Quidam non querunt eos in ecclesia erigere, quos plus cognoscunt ecclesie prodesse, set quos uel ipsi amant, uel quorum sunt obsequiis dediti uel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, ut deteriora taceam qui ut clerici fierent muneribus impetrauerunt. » Ettamen primo uicario Christi fuit dictum, Mt. 16 (17) : *beatus et Symon bariona quia caro et sanguis non reuelauit tibi*. Set paueat tales quando *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, I Col. 16 (I Cor. 15, 50). Custodes etiam ecclesie non solum sunt confederati, tamen [in] mundo sunt ad uestes eius, scilicet mundi sunt superbia, auaritia et luxuria etc. Clerici autem sunt hodie magis fastuosi, ambitiosi, seditiosi, luxuriosi et inuidi quam layci. Unde Bernardus<sup>3</sup> in libro de consideratione ad Eugenium papam dicit sic : « Miror cuius ordinis sunt clerici nostri, nam in aggregatione temporalium se habent ut layci, in apparatu notabili ut milites, in acquisitione reddituum ut clerici, set non laborant ut layci, neque pugnant ut milites, neque euangelizant ut clerici, et tamen utriusque ordinis esse cupiunt ; utrumque deserunt, utrumque confundunt. Tamen unusquisque in ordine suo resurget. Isti in quo... » et subdit : « Vereor eos non alibi ordinandos quam ubi nullus ordo, set sempiternus horror inhabitat. »

[c] Tertio etiam dico quod federati sunt cum alio hoste, scilicet cum dyabolo, coniurationes et inuocationes eorum, sortilegia et alia maleficia que non nisi per predicationes factas a dyabolo fieri possunt a clericis ad laycos [confor]mantur. [235vb] Unde potest dicere illud Ysa. 39 (28, 15) : *percussimus fedus cum morte*, id est cum dyabolo et qui auderet dicere ipsi uidentur esse demones incarnati. Apostolus enim, id est Col. XL (I Cor. 11, 10) : ministros ecclesie uocat angelos dicens : *debet mulier habere uelamen super caput propter angelos*, id est propter ecclesie ministros, set malus

<sup>1</sup> hispide] hispidis P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Electio F (Hieronymus super illud Titi 1 et ponitur 8 questione 1 capitulo *Moses*).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Clericus G (Bernardus libro 3 de consideratione ad Eugenium) ; Bernardus Clareuallensis, *De consideratione libri V*, III, 20 (SBO, III, p. 448).

angelus est dyabolus, ergo mali ministri sunt dyaboli. Unde propter multos ministros ecclesie potest hodie dici de ecclesia illud Apoc. XVIII (2) : *facta est habitatio demoniorum custodia omnis spiritus immundi*. Et sic habemus duo. Primum enim quod principalis custos ciuitatis obsesse, uidens custodes inferiores negligentes uel sompnolentes, excitat eos et ad diligentiore custodiam exhortatur. Secundum est quod tota ecclesia militans est sicut ciuitas obsessa et quia Christus qui est principalis custos et Dominus ecclesie militantis, unde Jo. 9 (8, 48) : uocatus est *Samaritanus*, qui interpretatur custos, uidet quasi omnes rectores ecclesie negligentes figere in custodiendis animabus sibi commissis. Idcirco hortatur nos ad diligentiore custodiam dicens : *custodite* etc. et hortatur eos ad tria in uerbis prepositis.

[I] Primo uult eos esse prouidos<sup>1</sup> propter onus impositi grauitatem, *custodite*. Bonus enim suscepti regiminis debet nos compellere ut simus prouidi et discreti. Ratio huius est quando aliquis ad regnum alicuius associatur uiris prudentibus et discretis, debet multum conari quod in illo regimine prouide se habeat et prudenter et conformet se regimini eorum quantum potest. Modo sic est quod rectores ecclesie in regimine animarum angelis associantur. Dicit enim Jeronimus<sup>2</sup> super Mt. quod « magna est dignitas animarum quod unaqueque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui angelum deputatum. » Istis associantur prelati, qui non solum habent unam animam regere, set ymmo infinitas, et idcirco debent prudenter et prouide se habere et se quantum possunt angelorum regimini conformare. Regimen autem sine custodia angelorum uidetur esse sicut regimen celi. Est enim differentia inter regimen celi bestiarum uel auium quia regimen celi cedit ad utilitatem illius quod regitur, non autem ad utilitatem suam. Nullam enim utilitatem recipit celum ab istis inferioribus que reguntur ab eo, ymmo illud quod ab eis eleuat in eorum utilitatem conuertit, sicut patet de uaporibus et exalationibus uirtute solis eleuantis que ad utilitatem terre nascentium in niues et plumas conuertuntur. Sic prelatus in suo regimine debet attendere non suam set subditorum utilitatem et bona que ab eis recipit, retento de eis pro uictu suo et uestitu, debet totum residuum in subditorum necessitatibus elargui et tunc regimen eius erit proficuum. Gregorius<sup>3</sup> super Eze., omelia XI : « Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per uitam, ut possit prodesse per prouidentiam. » Et Augustinus<sup>4</sup>, libro de pastoribus dicit : « Quicumque ita propositus est sic gaudeat et honorem suum querat et commoda sua solum respiciat, se pascit non oues. » Set notandum quod uapores et exalationes que in una regione uirtute solis eleuantur, aliquando uirtute uenti deportantur ad alias regiones et ibi terram irrigant et infundunt et terra remanet arida et sterilis, de qua uapores predicti fuerunt eleuati. Sic propter uentum affectionis carnalis qui sufflat in cordibus

<sup>1</sup> prouidos] prouidi P.

<sup>2</sup> *Manipulus florum*, Angelus C (Hieronymus super Matthaum 3. libro) ; Hieronymus, *Commentarii in euangelium Matthaui*, III (D. Hurst, M. Adriaen, SL 77, 1969, p. 159).

<sup>3</sup> *Manipulus florum*, Prelatio Z (Gregorius homelia 11 super illud Ezechielis : filii hominis speculatorem dedi et cetera) ; Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechielem prophetam*, I, 11, 4 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 171).

<sup>4</sup> *Manipulus florum*, Prelatio A (Augustinus libro de pastoribus) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 46, 2 (C. Lambot, SL 41, 1961, p. 530).

multorum prelatorum, bona unius dyocesis ad alias regiones remotas transportantur, de quibus maneria ibi construuntur et redditus emuntur. Ecclesia [est] a qua ista habita fuerunt et que inde serui et sustentari in paupertate et inopia remanentes. Figura Gen. 29 (17) que *lippis erat oculis*. Facta fuit fecunda Rachel, que interpretatur ouis<sup>1</sup> uel uidens Deum, sorore eius sterili permanente, et significat quod carnales amici prelatorum uiles et ydiote ditantur de bonis ecclesie ubi sancti uiri et litterati permanent pauperes et egeni, set timeant tales illud quod Dan. 6 (5, 2) dicitur quod Balthasar *precepit ut afferent uasa aurea et argentea que asportata fuerant de templo quod fuit de templo quod fuit in Jerusalem ut biberet in eis rex et optimates eius uxoresque eius et concubine*. Et ibi (Dan. 5, 30) dicitur quod *eadem nocte interfectus est Balthasar*, absorbens diuitias interpretatur<sup>2</sup>, et significat prelatum cupidum qui sua cupiditate absorbet et spoliat ecclesiam suam ; qui, propter hoc quod bona ecclesie male expendit [236va] et uilibus personis tribuit, mortem peccati incurrit. Item notandum quod eorum que a terra uirtute solis eleuantur, quedam consumuntur a calore, quedam conuertuntur a fulgura et quedam a uento disperguntur, et significat quod bona temporalia ecclesie que prelati recipiunt a subditis, quedam consumuntur igne uoluptatis, quedam in litibus et placitis, quedam in uanitatibus et pompis. Figura Eze. V (1) ubi dicitur quod Dominus precepit Ezechieli quod raderet omnes pilos capitis et barbe et tertiam partem igne comburit in medio ciuitatis, tertiam concidet gladio et tertiam in uento dispergeret. Sic hodie tertiam partem bonorum ecclesie multi comburunt igne uoluptatis et luxurie, dando ea meretricibus, mediatoribus et mediatricibus, tertiam partem concidunt gladio quia eam conuertunt in fulgura licitum et placitorum, et ut uerius loquatur eam ad litigandum reseruant, tertiam autem aliam partem in uento dispergunt in equitaturis, commissationibus<sup>3</sup> et uestibus superfluis expedentes, contra quos dicit Bernardus<sup>4</sup> in quadam epistula : « Conceditur tibi ut, si bene deseruis altaris, de altario uiuas, ut non de altario superbias aut luxurieris, aut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deaurata, uaria grisiaque pellicia. » Regimen istorum non est regimen celi nec Dei, ymmo de talibus conqueritur Dominus. Osee 9 (8, 4) : *ipsi regnant non ex me principes astiterunt et non cognoui*. Unde regimen tale uidetur [236vb] esse regimen bestiarum uel auium. Leo enim regendo animalia nihil eis prodest set obest quia comedit de pinguioribus. Idem dico de aquila respectu auium. Sic multi rectores ecclesie in nullo prosunt subditis suis set nocent. Numquam subditi recipiunt unam consolationem uel auxilium set frequenter recipiunt nocumentum, quia rapiunt quicquid in eis pinguedinis inuenitur, de quibus conqueritur Dominus per Eze. dicentem (34, 2-4) : *ue pastoribus Israel qui pascebant semet ipsos nonne greges pascuntur a pastoribus, lac comedebatis et lanis operiebamini et quod crassum erat occidebatis gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum non consolidatis et quod egrotum non sanastis*. Regimen et custodia talium non conformatur regimini custodie angelorum, set magis assimilatur regimini

<sup>1</sup> Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 70.

<sup>2</sup> *Non inueni*.

<sup>3</sup> commissationibus] commessionibus P.

<sup>4</sup> Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 2, 11 (SBO, VII, p. 21).

bestiarum. Ps. (48, 13): *homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis*. Et tamen custodia cuiuslibet subditi prelato imponitur sub pena mortis. 3 Reg. 20 (39): *custodi uirum istum qui si lapsus fuerit anima tua pro anima illius aut talentum argentum appendes*. Nota quod in ista auctoritate tanguntur quatuor ad que continue debent prelati respicere.

[a] Primum est pretiosa ratione dimissi set fructuosa ratione meriti. Unde Augustinus<sup>1</sup> in quodam sermone: «Nihil enim in hac uita et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosus, periculosus episcopi aut prelati officio [237ra] set apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet.» Facit enim Christus rectoribus ecclesie sicut facit rex lupariis suis. Habet enim rex Francie quosdam quorum officium<sup>2</sup> est capere lupos, quibus dat bona et pingua stipendia, et isti sic capiunt eos quia ipsi habent canes quos de stipendiis habitis a rege nutriunt, quos sic edocent quod ad solos lupos currunt et eos arceant et inuadunt, animalia mansueta dimittunt. Sic prelati habent a Christo pingua stipendia bonorum temporalium et exspectant si bene receperint pinguiora quia stipendia beatorum I Thi. V (17): *qui bene presunt presbiteri duplici honore digni habeantur*. Hoc totum habeant ut a gregibus ouium Christi lupos spirituales demones scilicet et homines arceant et repellant. Ad hoc faciendum deberent habere personas sanctas et litteratas quibus debent de bonis ecclesie prouidere, quas sic debent edocere ut nemini mansueto<sup>3</sup> uiuenti noceant uel perturbent, set solum inuadant et noceant peccatores et contrarium faciens reprehenditur. Deut. 13 (Dan. 13, 52): *uenerunt peccata tua que operaberis*. Prius (Dan. 13, 53): *iudicans iudicia et iniusta et nocentes opprimens et dimittens noxios dicente Domine: innocentem et iustum non interficies*. Set aduertendum est quod tales luparii aliquando habent canes famelicos uel male edoctos, qui non inuenientes lupos uel timentes eorum incessus, dimittunt eos et currunt ad animalia [237rb] mansueta et ea mordent et transgulant. Sic prelati ponunt in seruitio suo aliquos pauperes et famelicos male edoctos, qui nihil penitus sciunt, et isti timentes potentiam aliquorum peccatorum non audentes euadere set currunt ad simplices et ydiotos qui non audent nec possunt se defendere, istos inuadunt, excoriant et corrodunt. Isti sunt canes de quibus dicitur Ysa. 96 (56, 11): *canes impudentissimi nescientes saturitatem*. Unde uidetur quod prelati, qui ex officio suo deberent esse luparii, facti sunt uenatores. Venatores enim uolentes capere feras, non tenent omnes canes simul, set ponunt eos in diuersis partibus, ut fere nullo modo possint euadere. Habent enim quosdam paruos canes qui gallice uocantur bracheti, qui predam eleuant et releuant. Item habent magnos leporarios qui eam capiunt et arrestant. Habent enim famulos qui eam excoriant. Omnes aliquid habent de preda: canes habent de sanguine, famuli pellem, dominus habet carnes. Sic prelati habent insidiatores per diuersas partes sue dyocesis, quosdam qui predam eleuant et accusant dicentes: «Iste fecit hoc», et hii leporarii qui

<sup>1</sup> *Manipulus florum*, Prelatio E (Augustinus in quodam sermone).

<sup>2</sup> quorum officium] officium quorum P.

<sup>3</sup> mansueto] mansueti P.

predam arrestant et condemnant, sigillatores qui excoriant et domino presentant emendas. Mich. 3 (1-2) : *audite duces domus Israel, qui odio habetis bonum et diligitis malum qui uiolenter tollitis pelles desuper eis et carnem eorum desuper ossibus eorum.* Hoc tamen sciendum [237va] quod quilibet istorum habet aliquid de spoliis : unus habet propter expensas, alius propter taxationem expensarum, alius pro scriptura, et sic de aliis. Et sic pauperes homines confunduntur et spoliuntur. De talibus dicit Apostolus, Phil. 3 (2) : *uidete canes uidete malos operarios uidete concisionem.* Set notandum quod licet canes capiant multas predas et propter hoc dantur eis satis comedere, uerumptamen quando Dominus uadit, cubitum expelluntur. Sic isti raptores, licet in mundo multa capiant et laute et delicate uiuant, tamen in die iudicii, quando Christus ibit, cubitum cum bonis expelluntur. Apoc. ult. (22, 15) : *foris canes et uenefici impudici et homicidie.* Hic nota exemplum quod habes in sermone *Super muros* de episcopo theutonice. Tales non sunt boni custodes. Unde possunt dicere illud Can. primo (5) : *posuerunt me custodem in uineis uinea non custodiui.* Ymmo sub manu mea *singularis ferus depastus est eam*, in Psalmo (79, 14).

[b] Secundum ad quod debent prelati attendere est periculosa conditio *qui si lapsus fuerit.* Nota : portatio uitrorum est multum periculosa. Nisi enim ille qui portat ea mature et discrete incedat, omnia franguntur. Anime prelati commisse sunt sicut uitra quia uitra in illa forma in qua primo formantur, remanent quamdiu durant.